Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Heinrich Wilhelm Bernsau

Theologia Dogmatica Methodo Scientifica Pertracta ...

Pars I. [Sec. 2] : In Qua Ea, Quae In Sacra Sriptura De Deo, S. S. Trinitate Et Decretis Divinis Traduntur, Demonstrantur, Fundamentis Errorum Una Subversis

Lugduni Batavorum, 1747

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823346366

Band (Druck) Freier Zugang



Pr. 541 p
XIV. Pr p 543 – 940. Ind
52 b. 7.

T. h – 1007.

21. V. 9.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn823346366/phys_0002
DFG

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ METHODO SCIENTIFICA PERTRACTATÆ

PARS PRIOR.

IN QUA EA,

QUÆ

IN SACRA SCRIPTURA

DE

DEO, S. S. TRINITATE

ET

DECRETIS DIVINIS

TRADUNTUR, DEMONSTRANTUR,

FUNDAMENTIS ERRORUM UNA SUBVERSIS;

AUTORE

HENRICO WILHELMO BERNSAU,

PROFESSORE THEOLOGIÆ ORDINARIO

FRANEQUERANO,

CUM PRÆFATIONE

CHRISTIANI DE WOLFII,

UNIVERSITATIS HALLENSIS CANCELLARII.

LUGDUNI BATAVORUM,

CIↃIↃCCXLVII.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823346366/phys_0005

DFG

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ METHODO SCIENTIFICA PERTRACTATÆ

IN QUA EA, QUÆ DE DEO, S. S. TRINITATE ET DECRETIS DIVINIS TRADUNTUR, DEMONSTRANTUR, FUNDAMENTIS ERRORUM UNA SUBVERSIS;

AUCTORE

HENRICO WILHELMO BERNSAU,

Professore Theologiæ ordinario Francofurtano;

CUM PRÆFATIONE

CHRISTIANI DE WOLFII,

Universitatis Halensis Cancellarii.

LECTIONI PATRONUM,

CIↃIↃCCXLVIII.

SERENISSIMO AC CELSISSIMO

PRINCIPI

GULIELMO CAROLO HENRICO FRISONI,

DEI GRATIA ARAUSIONENSI

ET NASSAVIO PRINCIPI.

COMITI CATTIMELIBOCORUM, VIANDÆ,

DECIÆ, SPIEGELBERGÆ, BURÆ,

LEERDAMI, ETC. ETC. ETC.

GELRIÆ, FRISIÆ, GRONINGÆ

AGRORUMQUE CIRCUMJACENTIUM,

NEC NON

DRENTIÆ GUBERNATORI,

REIQUE BELLICÆ

PRÆFECTO,

ACADEMIÆ FRANEQUERANÆ

CURATORI

MAGNIFICENTISSIMO,

ETC. ETC. ETC.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823346366/phys_0007
DFG

ET

VIRIS

PERILLUSTRIBUS

ET

GENEROSIS,

HESSELIO DOUWONI ERNESTO AB AYLVA,

THEODARTO AB AYLVA,

LIVIO SUFFRIDIO LYKLAMA A NYEHOLT,

TJALLINGO EDA SIXMA.

FRISIÆ ACADEMIÆ

CURANDÆ

QUATUORVIRIS,

STRENUIS ARTIUM, LITERARUMQUE

STATORIBUS,

Has primitias dicat,

sacratque

H. W. BERNSAU.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823346366/phys_0008
DFG

SERENISSIME PRINCEPS

VIRI AMPLISSIMI.

Sublimior nec datur, nec dari potest cognitio, quam quæ ab ipso Deo Ente summe perfecto nobis revelata, neque majoris momenti, quam hæc ipsa, quippe quæ tradit, quæ ad salutem creditu, scituque sunt necessaria, & profanas hominum de Deo ac religione cogitationes

ex eorum animis funditus extirpat. Noſtrum jam eſt has tam ſublimes, tamque neceſſarias, ſalutaresque veritates agnoſcere ac iis ad æternam noſtram beatitudinem juxta voluntatem ſupremi Entis uti. Id unicum eſt, quod in hoc opere Deo duce quærimus. Nemo eſt, qui neſciat ſcientias, earumque cultores atque promotores a nullo melius protegi, quam ab iis, qui multiplicem illarum in Divinis, ut & humanis fructum experti, de pretio ex ſemetipſis ſtatuunt.

Quo-

Quovis enim Argo oculatior in pervidendis utilitatibus, quæ vel summum acumen facile effugiunt. Raro ac prorsus singulari exemplo hoc ipsum doces CELSISSIME PRINCEPS, *probatis* Viri Amplissimi, *qui in virtutem præeminentem, qua Princeps maximus & præfecti illustres nonnisi ad summa conenditis.* CELSITUDO TUA *non solius Reipublicæ hujus atque Germaniæ, sed & totius Europæ oculos in SE convertit. Eam admirantur omnes; meritis con-*

de-

decorare encomiis valet nemo. Ego me admiratorem profiteor summum CELSITUDINIS TUÆ *attenta mente rimor, ut boni Principis in ea naſcatur idea facem prælatura ad videndum ea, quæ principem reddunt maximum, ut &, quæ præfectos alicujus Reipublicæ efficiunt magnos. Quocunque enim mentis aciem intendo, nil niſi quod auguſtum eſt, deprehendo. Optimum atque maximum* TE *probas Principem, bonos, magnosque præfectos, cum omnem curam*

ram ac ſollicitudinem ad felicitatem ſubditorum firmandam & augendam, verosque Chriſtianos efficiendos & Veſtro exemplo, & mediis ad hunc finem obtinendum aptis convertitis, &, quæ animo præclare concipiſtis prudentia ſumma perficitis. Obſtant plerumque magnis moliminibus magna obſtacula, ut perficiantur. Verum enimvero maxima res, qualis eſt vera religio, verus ſolius Dei cultus CELSITUDINI TUÆ & vobis *Viri Ampliſſimi non*

ſinit

ſinit poni limites. Sint modo magna ac excelſa, quid? quod omnium maxima, qui ſemet-ipſos fideles Dei filios ſentiunt, Deum ipſum auxiliatorem habent, hoc duce ad metam perveniunt, nihilque obeſſe poteſt. Loquatur pro me veſtra *Academia, quæ florens ornata & aucta! Loquantur doctiſſimi, ac mihi ſemper Chariſſimi Profeſſores ejusdem! Loquatur inauditum illud exemplum, quod nuper dediſtis huic muſarum ſedi ſimul dando quatuor Profeſſores, augen-*

gendo eorum honores, iisque probando munificentiæ vestræ *limites poni velle, omnino nefas esse, simulque quatuor alios plane de novo dando, sicque augisse docentium numerum ad maximum culmen! Loquatur studiosa juventus! Quocunque me verto, nihil nisi maxima, præclaraque video! Quid? quod ubi tot, tantaque rerum testimonia adsunt, non opus est verbis! Quem TE principem ubivis maximum & ad summa contendentem, quosque vos magnos*

 esse,

esse, omnes autem simul veros Mecænates præbetis. Cum enim in TUA CELSITUDINE *ac in* vobis, Viri ampliſſimi, *virtutes ceteræ omnes singulare quid spirent; pietas inprimis in Deum, veraque ac unice Salutaris Religio Christiana, quasi propria existimari debet, qua nihil* Vobis *pretiosius, nihil antiquius, nihil magis curæ atque cordi est. Eandem cum Magnificentia, quæ* vobis *summa est, atque exemplis caret, amico vinculo copulastis, ut singulari quo-*

dam

dam in vobis *splendore fulgeat. Loquatur denuo loco mei tota Frisia, quæ sub alis* vestris *in summo debellantium stridore alta fruitur tranquillitate! Loquatur pro me & exemplum, quo gregem summi nostri Pastoris Jesus Christi instruitis quotidie, ut* vos *præeuntes sequatur! Loquatur vigilantia, quæ PRINCIPEM,* præfectosque *maxime decet virtus, Tanta in* vobis, *ut sortem fere humanam superare existimetur! Loquantur res*

maximæ, in quibus ubivis ſingularia pietatis veſtræ *conſpiciuntur monumenta, &* vos *ſeris, immo ultimis nepotibus commendabunt! Quem TE Principem, quosque præfectos ac literatorum Mecænates ac ſcientiarum & artium bonarumque literarum protectores, inprimis veræ religionis cultores præſtatis, ubivis maximi atque ſine exemplo.* Vos *dudum hoc nomine venerantur, quotquot ad ſcientias & artes perficiendas, amplificandas-*

dasque atque bonas literas excolendas, inprimis quotquot ad veræ religionis cultum animum appellant, ut, quæ toto terrarum orbe celebrantur, de iis iterum ſermonem inſtituere, ſuperfluum exiſtimem. Quamobrem cum eo tempore, quo improvide prorſus a CELSITUDINE TUA, vobisque curatoribus perilluſtribus *ad munus publicum in Theologia vocarem, in publicum a me proferatur opus, quod, quæ ex revela-*

tio-

tione de Deo, de S. S. Trinitate, deque decretis Divinis ſcimus, methodo exaſciata adornatum, religionem Chriſtianam ad apicem claritatis, evidentia ac certitudinis evehens, ad ſinceram in Deum pietatem plurimum profuturam, ut ſpero ac opto, complectitur; non mihi e longinquo petenda eſt ratio, cur CELSISSIMO NOMINE TUO, illuſtribusque nominibus veſtris *eidem ſplendorem concilliare, ipſumque*

po-

posteritati, cui semper sancta erit memoria Vestra, *commendare voluerim. Quodsi enim seris etiam nepotibus constabit, SUMMAM CELSITUDINEM TUAM,* illustriaque nomina vestra *opus, quod humillime offero, gratioso vultu adspexisse; Gratia* vestra, *qua autorem complexi estis, omnem ei addet splendorem atque autoritatem. Servet TE Deus, PRINCEPS CELSISSIME, ac* vos generosos Curatores, *ut VOBIS prote-*

* * * *clo-*

floribus & Mecænatibus scientiæ, artes, bonæ literæ, ac inprimis cultus veri Dei indies majora capiant incrementa! Ita voveo! Dabam Lugd. Batav. die 25. Martii. 1747.

* * *

PRÆ-

PRÆFATIO.

Amplissimum non solum ingredimur campum, dum Theologiam Dogmaticam ad certitudinem evehere conamur. Tot enim dantur veritates tam puræ, quam mixtæ, ut vix maximum volumen iis sufficiat, immo ut, ubi has omnes accurate discutere volueris, maxima demonstrandorum seges proveniat. Neque

 hic

hic ſufficit omnem veritatem Divinitus revelatam enumeraſſe: docendum etiam eſt, quomodo ejus indolem intime ac penitus perſpicere detur, ne in difficultates inextricabiles, quid? quod errores incidamus, ſicque abutamur veritatibus ad ſalutem revelatis in maximum, idque æternum damnum. Sed & arduum ſane aggredimur opus, dum cunctam revelatam veritatem, ſeu Dogmaticam, quam ſacer codex porrigit, methodo accurata tradere conſtituimus. Neque enim adeo facile eſt exaſciatas de Deo, de S. S. Trinitate, decretisque Divinis (de quibus ſolum in hac parte agitur, reliqua in poſterum, Deo favente, in œconomia ſalutis tractaturi.) dare demonſtrationes: ut non miremur, alios hunc laborem prorſus intactum reliquiſſe, alios metam non attigiſſe propoſitam. In arduis enim & voluiſſe, & tentaſſe ſufficit. Noſtro tamen ævo non una de cauſa apprime neceſſarium eſt Syſtema Theologiæ Dogmaticæ, hoc eſt, in quo doctrina Divinitus revelata concatenata ratiociniorum ſerie ad certitudinem evehitur, ne de veritatibus tam inſignis momenti quis dubitare poſſit, niſi ſua culpa. Vidimus enim omnes Chriſtianos ſibi gratulari de Sacra Scriptura, eamque pro verbo habere inſtinctu Dei exortum: Atat! qui Chriſto nomen ſuum

dant,

dant, inter se etiam in veritatibus maximi momenti dissentire, adeo notum est, ut quis mundo exulare debeat, si hoc nescire velit. Eodem modo patet utramque dissentientium partem ad hunc Sacrum codicem provocare, quando eadem res ab uno affirmatur, quæ ab altero negatur. Attamen contradictoria, sibique e diametro opposita simul ex eodem demonstrari, per se impossibile est. Res itaque eo redit, ut accurate inquiratur in id, quod hic codex asserit, cuique favet sententiæ. Enimvero hoc fieri nequit, nisi ordinando catenam veritatum in eodem contentarum. Hac concatenatione non modo inanes tolluntur disputationes, sed & veritas ab errore discernitur, ut ea, non nisi sua culpa, ignorari queat. Quique perpendit has veritates ad salutem esse revelatas, intelligit, quam necessarium sit, eas certo scire. Adeo ut ex his evidens sit, summam necessitatem me movisse, ut Theologiam Dogmaticam hac methodo exararem. Adde dari, qui omnes veritates puras negant, quique de mysteriis audacter rident, vel qui perperam ac prorsus contradictorie eadem ex ratione demonstrari posse venditant. Hos ad eorum diverticula usque sequendum esse & per se patet, & experientia docet. Quare cum hi ex notioni-

bus Philosophicis confusis, ex principiis precario sumtis, figmentisque in errorum præcipitia incidant, eos pede presso ad ipsam Philosophiam usque persequendos esse, extra omnem dubitationis aleam positum est. Ecquis porro Atheos, Deistas, Spinosistas, Antiscripturarios, aliosque ad incitas redigere potuit, nisi nostra methodo cum iis in arenam descenderit? Anne & experientia, & ipsa res probant, non nisi hac via ad certitudinem sensus genui verbi Divinitus revelati pervenire posse? Nonne tot lachrymæ ortæ, hac semita neglecta? Ab iis, qui veritates puras, aut, si magis arridet, mysteria sacrarum literarum probant, docuimus, quod ea sint, quid sint, & quomodo de fide eorum certi reddamur. Nimirum concatenando id, quod Deus de mysteriis in verbo suo docuit (in mysteriis enim ultra scripturam sapere velle arrogantia est, ne quid gravius dicam), cum veritatibus mixtis, aut, si mavis, cum veritatibus & ex ratione & ex revelatione simul notis: utrasque denique cum iis ex ratione notis, hoc est, cum Philosophia veri nominis. Non sine prægnante ratione loquimur de Philosophia veri nominis, ne quis existimet hic locum habere hypotheses Philosophicas nondum ad certitudinem evectas, quæ

nobis minime negotium faceſſcunt, ſed eas his relinquimus. Ex noſtra methodo quoque exulant inanes quæſtiones, ſolliciti de veritatibus ad ſalutem ſcitu, creditu que neceſſariis. Unde & per ſe evidens eſt, nos admittere non potuiſſe Philoſophiam, aut, ſi magis arridet, ſyſtema Philoſophicum obſcurum, nec diſtinctum, quale illud Scholaſticorum: deficientia ſyſtemata uſui nobis eſſe non potuere, ne iiscum deficeremus, vitiaque ſubreptionis committeremus precarioque aſſumeremus, quæ contra veritatem, ſicque in errorum abyſſus proſterneremur. Adeo ut ſumma neceſſitas nos coëgit, inquirere numne detur ſyſtema Philoſophicum, quod nomen ſuum tueri poſſit. Unicum illud, quo utimur, invenimus. Hinc nullum veritatis cultorem offendi jure exiſtimo, quod hoc eousque admiſi, quousque ex eo conubium rationem inter ac revelationem oſtendere potui. Minime vero cenſeo quemquam me ita imprudentem eſſe, ut jurarem in nomen alicujus Philoſophi. Veritatis cultori enim eſt veritatem ubivis querere, & in unoquoque amare. Immo atro carbone notandus eſſem, ſi id facerem; agitur enim hic de veritatibus a Deo revelatis; injuria itaque in ipſum Deum eſſet, nomen ſuum a quopiam homine mutuo accipere velle. Adde has veritates ad ſalutem

æternam ducere; maximum adeoque esset damnum nomen adoptare humanum. Solum nomen Christi mihi sufficit, & ad hoc genua mea unice flecto, omnis reliqua nomenclatura est odiosa, homineque Christiano indigna. Ex dictis facillime colligitur totam nostram methodum consistere in concatenatione veritatum naturalium cum revelatis, mixtarumque cum puris. Id, quod jam dudum & toties desiderarunt Viri maximi nominis, quorumque nomen orthodoxia commendat. Silentio, nec possum, nec præterire debeo, me passim citasse systema summi Philosophi Excel. Baronis de Wolfii; adeo ut, si invenies Vr. Gr. Logic. Ontol. Cosmol. &c. statim perpendendum esse hujus Philosophi. Porro systema meum ea cum industria composui, ut connubium veritatis revelatæ & naturalis in eodem luculenter pateat. Quæ enim ad demonstrationem necesse inveni principia Philosophica, totidem verbis apposui: adeo ut hoc systema legi possit sine hæsitatione. Cui autem hæc principia intimius perscrutari placet, ad ipsum fontem sese convertere debet. Caput de Sacra Scriptura præmittere minime potuimus, sed hoc competenti suo loco reservamus. Nostra enim methodus jubet, Antiscripturariusque vult omnem evitare circu-

culum, nec peccare in formam probandi. Reliqua, quæ de legibus methodi, aut de meo instituto addi possent, reperiuntur in Præfatione Excel. Baronis de Wolfii, quam amice præmisit. Alteram hujus Theologiæ partem D. T. O. M. duce sub nomine œconomiæ salutis dabo tribus in sectionibus: Nimirum, quæ ad salutem præcognitu sunt necessaria, quomodo salus sit acquisita, & denique salutis applicatio. Si vero hæc pars ad votum meum non statim amicis meis Charissimis communicabitur, ratio non erit in me querenda; atat! in bibliopolis. Et hæc quoque primaria fuit ratio, cur sectio posterior hujus partis tamdiu incommunicata manserit. Denique obsecro atque opteſtor B. L. benevolo animo has primitias accipere. Scio equidem me facillime quædam dicere potuisse, quæ adhuc intimius perlustrari potuerant; sicque ulterius progredi valuisse: atat! prolixitatem metui, & si cuidam amico placebit quædam notare, id solummodo enixe rogo, ut tendat ad veritatis incrementum, quod unice mihi curæ, cordique est. Atque ita tandem futurum spero, ut religionis Christianæ excellentia ac necessitas intimius agnoscatur, & conjunctis viribus veritas in lucem protrahatur, errorque e mundo Christiano exulet atque omnes intendamus nervos, ut simus ad Dei gloriam,

riam, noſtramque ſalutem. Id, quod maxime, uniceque voveo. Dabam Lugd. Batav. die 25. Martii A. O. R. 1747.

C A-

CONSPECTUS

Partis prioris sectionis posterioris Theologiæ Dogmaticæ.

CAPUT I.

De S. S. Trinitate in Genere. 543

CAPUT II.

De Deo Patre. 551

CAPUT III.

De Filio Dei. 587

CAPUT IV.

De Spiritu Sancto. 659

CAPUT V.

De S. S. Trinitate in Specie. 735

CAPUT VI.

De decretis Divinis. 844



I N-

SECTIO II.

DE

S. S. TRINITATE ET DECRETIS DEI IN GENERE.

CAPUT I.

DE

S. S. TRINITATE IN GENERE.

§. 647.

Ratione agnoscimus non nisi unum Deum esse, nec successive nec simul plures esse posse. Ex locis sacrarum literarum classicis docemur non modo unum esse solum verum Deum, quemadmodum ex dictis allatis (§. 147. 148.) luculenter patet; sed & eædem simul confirmant Deum nullatenus pati posse, ut ens ullum aliud pro Deo habeatur, adeo ut, si hoc fieri contingat, propterea maximopere irasci dicatur, atque ea propter Zelotes vocetur (§. 634.) Deus enim unus est, quoniam *sibi similem non habet Exodi.* *Unitas Dei quanti habenda.*

VIII. 10. IX. 14. XV. 11. *Jes.* XLIV. 6. 8. (1. 3.). Hoc posteriori loco Deus unitatem suam demonstrat eo, quod praeter se nullus sit Deus; & quod hinc cuncta sculptilia ac fusilia dii esse nequeant *vers* 4. *seqq.* E contrario diserte asseverat, se esse illum *Jehovam* unum, *qui gloriam suam alteri non dabit, nec laudem suam sculptilibus Jes.* XLIII. 8. Gloria Dei, cum sit complexus attributorum divinorum, quatenus a creatura rationali agnoscitur (*Theol. natur. part. I.* §. 610.); Deus gloriam suam alteri enti dare alio modo nequit, nisi quatenus permitteret, ut aliquod ens aliud, quale quale illud sit, a creatura rationali habeatur pro vero Deo, quasi id possideret complexum attributorum divinorum. Si ens aliud praeter Deum etiam habeatur pro vero Deo, praeter Deum unum adhuc secundus, tertius, quartus &c., Seu plures haberentur pro vero Deo; Atque adeo Deus quando affimat se gloriam suam alteri non daturum, eo ipso evicte docet, se permittere nolle, quidni nec posse, ut plures quam unus statuantur esse dii. Praeterea *Exodi* XXXIV. 14. legitur: *Non convenit te incurvando honorare Deos alienos; Jehova enim nomen* (est) *Zelotes, Deus fortis Zelotes est.* Qui Deos alienos cultu divino, soli Deo vero conveniente, prosequitur, hos pro vero Deo habet; Adeoque plures Deos admittit, unitatemque Dei negat, seu unum verum Deum. Quamobrem cum Deus Zelotes vocetur ab excandescentia sua in omnes eos, qui pessimas edunt actiones (§. 634.), & prohibeat cultum divinum deorum alienorum, sive negationem sui tanquam unius veri Dei, minando, se esse Zelotem; Prohibuit cultum divinum alienorum deorum, seu negationem sui tanquam unius veri Dei sub minis excandescentiae suae. Deus itaque, teste

sa-

ſacro codice, non ſolum unus eſt; ſed nec ferre poteſt, ut præter ſe alius habeatur pro Deo, immo excandeſcentiam, ſeu iram ſuam maximam minatur omnibus, qui unitatem negare audent.

§. 648.

Tres dicuntur Deus.

Hoc non obſtante ex ſacris paginis docemur tres eſſe, qui ſunt verus ille Deus. Nimirum unus illorum vocatur *Pater*, & de eodem Salvator noſter Jeſus Chriſtus affirmat, quod ſit verus Deus *Johan.* XVII. 3. his verbis: *Hæc eſt vita æterna; ut te agnoſcant* τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν *ſolum verum Deum.* Ex contextu evidens eſt illum, quem agnoſcere debemus ſolum verum Deum eſſe, Patris nomine inſigniri, videlicet ex *verſu* 1. 5. Alterum *Filium* appellat ſcriptura I. *Joh.* V. 20. *Sed ſcimus, quod* ὁ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ *Filius Dei venerit* -- Οὗτος ἐστιν ὁ ἀληθινὸς Θεὸς. *Hic eſt verus Deus.* Quem Johannes modo Dei Filium vocavit, eundem Paulus *Chriſtum* nuncupat *ad Rom.* IX. 5, & de eo aſſerit, *quod ſit ſuper omnes Deus benedictus in ſecula.* Ὁ Χριστὸς --, ὁ ὢν Ἐπὶ πάντων Θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας. Apud *Mathæum* hæc duo nomina conjunguntur tanquam ſynonyma *cap.* XVI. 16. *Reſpondens vero Simon Petrus, dixit, tu es Chriſtus, Filius ille Dei viventis.* Nec Apoſtolo hoc nomen, Filius Dei, ignotum eſt, quemadmodum patet ex *Hebr.* I. 8. Idem quoque *ſermo* ſtylo Johanni uſitato appellatur *Joh.* I. 1. his verbis: *In principio erat ſermo, & ſermo erat apud Deum,* καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος, *eratque Deus ſermo ille.* Hic conferri poſſunt *vers.* 14. 15. 17. 18. I. *Joh.* V. 7, quod nomen inde videtur accepiſſe, quod Deus voluntatem ſuam de generis humani redemtione per eum nobis manifeſtaverit, & ſecundum hanc Patris ſui voluntatem totam ſalutem acquiſi-

verit *Joh.* XVII. 6. 8, licet multi ex paraphraſte Chaldæo, vel a Pythagoricis, aut Platonicis hanc locutionem deſumtam putant. Nos diſcuſſionem hujus rei Criticis relinquimus, contenti Dei Filium Jeſum Chriſtum ſermonis nomine a Johanne inſigniri, eumque a Deo Patre miſſum eſſe ad voluntatem divinam de generis humani redemtione manifeſtandam, totamque ſalutem acquirendam. Tertium denique *Spiritum Sanctum Lucæ* III. 22. Itemque *Spiritum Dei* nominat codex ſacer cum Chriſtus in Jordane baptizaretur *Matth.* III. 16. Illum ipſum Petrus verum Deum eſſe probat *Actorum.* V. 3. 4. hoc effato: *Dixit autem Petrus, Anania, cur implevit Satanas cor tuum ut mentieris Spiritui Sancto - -. Non es mentitus hominibus, ſed Deo.* Ex dictis itaque evidens eſt, ſacram ſcripturam tres appellare verum Deum, nimirum Patrem, Filium atque Spiritum Sanctum.

§. 649.

Exceptionibus occuritur.

Quæ hactenus de Deo dicta ſunt, & ratio & revelatio ſimul docent. Jam autem aggredimur doctrinam de S. S. Trinitate, quam revelatio ſola docet, ratio autem ignorat; Adeoque hæc doctrina veritas pura eſt. Nemo, obſecro, miretur, nos hanc doctrinam tradere in libro, quem vocamus Theologiam dogmaticam methodo ſcientifica pertractatam, quaſi contradictoria ſimul affirmare velimus. Bona verba quæſo! Veritates revelatæ puræ, cum ſint ſupra rationem, ex principiis rationis quidem demonſtrari nequeunt; Conſequenter nec cum diſciplinis philoſophicis eo modo connecti poſſunt, quo ipſæ inter ſe connectuntur, neque notiones in Theologia revelata ita reſolvi poſſunt, ut penitus intelligantur, quemadmodum accidit in iis, quæ ſunt rationis.

nis. Interim tamen constat easdem veritates puras inter se connecti posse, ut perfectum, seu verioris nominis constituant systema, ac in iis connectendis usui esse propositiones determinatas atque definitiones accuratas, quibus tanquam principiis utimur in ratiociniis, quorum concatenatione opus est ad illas inter se connectendas, id quod cum *Cl. de Wolfio in horis subsecivis Anni* 1731. *trimest. brumal. num.* 1. §. 8. *pag.* 23. ratum habemus. Dubium quoque, quod incautis facilime suboriri poterat, quasi ex principiis rationis demonstrandum quæ sunt supra rationem ei, qui Theologiam revelatam in systema veri nominis redigere allaborat, idem *Philosophorum Princeps logic.* §. 980. plane removit. Neque enim in omnibus ratiociniis occurrunt principia rationis, ac in nullo utraque præmissa rationis est; sed alterutra semper a revelatione pendet, ita ut vel ex sacro codice immediate desumatur, ubi nimirum locus classicus reperitur, vel ex illarum propositionum numero sit, quæ ex istiusmodi principio fuere deductæ. Præterea definitiones, quibus res puræ revelatæ indigitantur, a nobis minime sumuntur, nisi quæ vel disertis verbis in scriptura continentur, vel ex iis per necessariam consequentiam illata fuerunt. Unde quoque luculenter patet insignis illa differentia, quæ intercedit inter hoc nostrum systema, & ea, quæ hucusque a Cl. Viris exornata vidimus, ex quorum defectu sapere licuit.

Locus *Joh.* XVII. 3, quem ad probandam divinitatem Patris allegavimus, ab *Antitrinitariis* adhibetur ad negandam Filii atque Spiritus Sancti Deitatem, dicentes. *Si Pater solus, Deus verus est, Filius ac Sp. S. verus Deus non sunt.* Quantum vero a sensu genuino, quem hic locus habet, hac detorsione aberretur, patet. Etenim hic essentia divina, quam Filius Patri suo tribuit, & ob quam

Explicatio loci Joh. *XVII.* 3. *defenditur.*

Patrem ſolum verum Deum eſſe aſſerit, non opponitur eſſentiæ divinæ, qua non minus gaudet Filius atque Spiritus Sanctus. Nam 1) ex ipſo contextu evidens eſt, Chriſtum divinitatem Patris urgere ex ejus ſola eſſentia divina; Adeoque demonſtrare eundem verum eſſe Deum, ac *in eo conſiſtere vitam æternam, ut agnoſcamus Patrem eſſe illum verum ſolum Deum* in oppoſitione ad eos, qui verus Deus non ſunt, *& quem miſit Jeſum Chriſtum*, quem pariter ſolum verum illum Deum eſſe, agnoſcere debemus, ſi vitæ æternæ participes fieri velimus. 2) Alius etiam horum verborum ſenſus eſſe nequit. Etenim ſi per interpretationem prodeat propoſitio contradictoria ejus, quæ per alia ſcripturæ loca manifeſta, in ea aberratum eſſe conſtat (*logic.* §. 976.). Ex aliis locis ſacrarum literarum claſſicis (§. 648.) citatis luculenter patet, Chriſto tribui veram Dei eſſentiam, eumque verum Deum eſſe; Conſtat alium ſenſum, ſi ab errorum præcipitiis tutus eſſe velis, admitti non poſſe, quam quo eſſentia divina Patri ita tribuatur, ut de Filio ſimul ea affirmetur, vel ſaltem deitas Filii, Spiritusque Sancti non negetur. Conferri hic poteſt *Bechmann* in annot. ad Hutt. p. 70. *Scherzer* in colleg. Anti. Socin. disput. IV. quæſt. II. §. 5. 6. p. 438. Sane pro præſente ſufficit, in hoc loco divinitatem Chriſti minime negari, & ſcire eandem in aliis ſacrarum literarum locis diſerte affirmari, quia in ſequentibus demum locus erit competens divinitatem Filii Dei uberius evincendi; hic vero ſufficit tres in ſacris recenſeri, qui Deus verus in iis dicuntur, & qui tales a nobis agnoſcendi; Atque adeo hanc veritatem in loco hoc minime negari, ſicque argumentum adverſariorum ſponte ſua corrui.

Sp. S. verus eſt Deus. Denique de divinitate Spiritus Sancti acturi, oſtendemus luculentius eum verum eſſe Deum. Sane niſi ſenſum ver-

verborum Petri *Actorum* V. 3. 4. magno molimine detorquere nolis evidens est Spiritum Sanctum diserte ibidem dici verum Deum, id quod solo auditu horum verborum consentiendum. Sic enim Petrus ait: *Anania, cur implevit Satanas cor tuum, ut mentieris Spiritui Sancto? - -. Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Quem itaque modo vocavit Spiritum Sanctum, jam asserit non esse hominem, sed Deum; Adeoque idem est, ac si dixisset, Ananiam non mentitum esse hominibus, sed Spiritui Sancto, qui est Deus, seu Spiritum Sanctum non esse hominem, sed Deum.

§. 650.

Sacra scriptura porro docet hos tres, quorum quemlibet verum Deum esse affirmat (§. 648.), inter se differre. Sic enim Christus *Joh.* V. 32. Ἄλλος, inquit, ἐστὶν, ὁ μαρτυρῶν περὶ ἐμοῦ. *Alius est, qui testatur de me.* Qui vero hic alius sit *versu* 37. docet: *Qui misit me, Pater, de me testatus est.* Evidens itaque est, Salvatorem nostrum asserere, quod alius a Patre sit. Prætera actiones, qualis est testificatio, ordinarie sunt suppositorum. Quamobrem cum Christus Patrem vocet ἄλλον *alium*, qui testatur de ipso Christo, & cujus testimonium propterea verum esse probat, quia non de se ipso testatur, sed hic alius, nimirum Pater *vers.* 31. 32; Eo ipso innuit Patrem esse aliud quoddam suppositum a se diversum. Porro idem Christus *Joh.* XIV. 16. inquit: *Ego vero rogabo Patrem*, καὶ ἄλλον παράκλητον δώσει ὑμῖν, *& alium paracletum dabit vobis.* Describit hunc, quem vocavit paracletum subsequente *versu* 17. his verbis: *Spiritum illum veritatis* &c. immo *versu* 26. hæc duo conjungit tanquam Synonyma, ajens: *Paracletus autem ille, Spiritus Sanctus, quem mittit Pater in nomine meo* &c. his adde cap. XV. 26. ubi verba

Hi tres differunt inter se.

ejus-

ejusdem hæc sunt: *Quum autem advenerit paracletus ille, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritus ille veritatis, qui a Patre procedit, ille testabitur de me.* Adeoque paracletus ille, de quo Christus loquitur, est Spiritus ille veritatis, seu Spiritus Sanctus, quem Pater in nomine Filii mittit, aut quem Christus nobis a Patre mittit, quique a Patre procedit, & de quo Dei Filius simul asseverat, quod sit ἄλλος *alius*, a se, & quod testabitur de se; Consequenter affirmat Spiritum Sanctum esse aliud quodpiam a se diversum suppositum. Denique qui ab alio mittitur & ab eodem procedit ordinarie diversum est suppositum ab eo, qui eundem misit, aut a quo procedit. Quare cum Christus affirmet Sp. S. a Patre mitti ac hunc ab eo procedere; Eo ipso probat hunc Spiritum quoque diversum a Patre esse suppositum. Christus nos docet Patrem esse aliud a se diversum suppositum, Spiritum S. esse aliud a se diversum suppositum, nec non hunc Spiritum esse aliud a Patre diversum suppositum; & Pater, Filius atque Spiritus Sanctus sunt illi tres, quos sacer codex verum Deum agnosci jubet (§. 648.); Christo igitur Magistro illi tres, quos sacræ paginæ verum Deum agnoscere jubent, nimirum Pater, Filius, Spiritusque Sanctus, ἄλλοι *alii*, seu diversa inter se suppositа sunt.

§. 651.

Quæ hic notanda.

Hic sufficit agnoscere, quod sacer codex Patrem, Filium atque Spiritum Sanctum unum illum verum Deum prædicet, quorum tamen quivis ἄλλος καὶ ἄλλος seu diversum a reliquis suppositum sit. Jam distinctius inquirendum erit, quid revelatio de quovis horum trium in specie doceat, & deinde in quo hi tres conveniant, in quo differant, ac quomodo unum sint. His ordinatis

do-

doctrina de S. S. Trinitate in Systema redacta erit, eamque nullus, nisi se scepticismi reum probare velit, unquam in dubium vocare potest. Unde simul luculenter patet summa necessitas hanc salutarem veritatem tradendi methodo scientifica.

CAPUT II.

De Deo Patre.

§. 652.

Patrem verum Deum esse nullus unquam dubitavit, & Salvator noster hoc disertis affirmat verbis *Joh.* XVII. 3. *Hæc est vita æterna, ut te* (Patrem) *cognoscant illum solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* Quem hic solum verum Deum vocat, *versu* 5. appellat Patrem. Accedit, quod ipse Christus illum Patrem suum vocet, quem Judæi Deum suum dixerunt esse *Joh.* VIII. 54, ubi hæc leguntur verba: *Respondit Jesus, si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est: Pater ille meus is est, qui glorificat me, quem vos dicitis Deum vestrum esse.* Quod Lutherus bene reddit: Jesus antwortete: So ich mich selber ehre / so ist meine ehre nichts. Es ist aber mein Vatter / der mich ehret / welchen ihr sprechet / er seie eüer Gott. Quamobrem, cum Judæi illum suum Deum esse dixerunt, de quo Moses atque Prophetæ toties scripserunt, cuique ab iis essentia, attributa & opera divina, veluti creatio, conservatio atque gubernatio, itemque nomina divina tribuuntur; Christus illum Patrem suum vocat, cui Moses ac Prophetæ essentiam, attributa, opera, nec non nomina Divina tribuunt, *Pater verus est Deus.*

quemque Judæi Deum suum dixerunt. Patris Divinitatem etiam admittunt omnes, qui Dei concedunt existentiam, Patris nomen ideo ipsi tribui putantes, quod omnium rerum fons & origo sit, atque omnia ab ipso dependeant. Non est igitur, cur, existentia Dei (sectione præcedente) sufficienter demonstrata, Divinitatem Patris adhuc ulterius probemus. Christo itaque Doctore, Pater est verus ille Deus, cui essentia, attributa, opera atque nomina Divina, quæ soli Deo competunt, in sacris tribuuntur, seu Pater ab essentia, attributis, operibus, nominibusque Divinis in S. S. verus dicitur Deus.

§. 653.

Pater cur dicatur.

Patrem solemus vocare eum, a quo alius dependet per generationem, qui eodem respectu filius appellatur. Quin eodem sensu *Deum Patrem* nominet Christus, eumque *suum Joh.* VIII. 54, extra omnem dubitationis aleam positum est, cum idem diserte affirmet *Joh.* III. 16. *se esse Filium illum Dei unigenitum.* Quo eodem sensu etiam Apostolus I. *Joh.* IV. 9. Christum vocat *Filium illum unigenitum, quem misit in mundum*, & Paulus *ad Rom.* VIII. 32. cum dicit *proprium Filium* Dei, seu literæ sacræ Deum appellant Patrem, & Christum Filium. Scripturæ adeo convenienter statuitur, Deum habere Filium unigenitum, & quidem proprium, qui etiam verus Deus (§. 648.), ac ideo dicendum esse Patrem, quia Filium suum genuit, seu ob generationem Filii vocatur hic Pater.

Ge-

§. 654.

Generationem dicimus actum, quo ens aliud a se eandem specie essentiam habens ad existentiam perducitur. Pater & Filius sunt ἄλλοι *alii* (§. 650.), qui non solum eandem specie, sed & numero essentiam habent: quoniam non nisi unus solus verus Deus est (§. 647.), & quod idem numero essentia sint, in sequentibus, independenter ab hac propositione patebit. Quamobrem cum Deus, referente Gentium Apostolo *Actorum* XIII. 33, de se ipso affirmet, se genuisse Filium: diserte enim dicitur: *Filius meus tu es, ego hodie genui te;* Hoc aliter explicari nequit, quam quod Deus Pater alium a se, videlicet Filium, qui ejusdem numero secum essentiæ est, ad existentiam perduxerit. Et cum hic *ad Rom.* VIII. 32. dicatur ὁ ἴδιος Υἱὸς *proprius Filius* Dei; Evidens est, Deo, in revelatione, propriam tribui generationem Filii, quatenus in Deo Patre datur actus, quo alium a se, nimirum Filium ejusdem secum & specie & numero essentiæ, ad existentiam perduxit, seu generatio Divina est actus Dei Patris, quo diversum a se suppositum (§. 650.), videlicet suum Filium, qui ejusdem secum & specie & numero essentiæ est, perduxit ad existentiam.

Generatio Divina quid.

§. 655.

Deus dicitur, quia Filium suum genuit, seu a quo Filius per generationem dependet (§. 653.); Consequenter Pater, quia alius non datur, qui hujus iterum Pater sit, ab alio per generationem non dependet, sed a se ipso est, seu existit. Quamobrem cum ἀνάρθρως denotet illum,

Quomodo Pater sit αὐτόθεος.

qui a se ipso Deus est; Pater αὐτόθεος est, qui a se ipso Deus est non solum quoad essentiam Divinam (§. 652.), sed & quoad existentiam, seu modum habendi essentiam.

§. 656.

Monitum generale de terminis ecclesiasticis.

Probamus Patrem & essentia & existentia αὐτοθέον esse, quoniam utramque a se, nec ab ullo alio habet. Deinde quoque patebit & Filium & Spiritum Sanctum sola essentia, non autem existentia αὐτοθέους esse. Doctrina de S. S. Trinitate a pluribus male sane intellecta, quia res a se invicem diversas non accurate discernunt, ansam dedit variorum, noxorumque dissidiorum atque errorum; Adeoque terminis indigemus, quibus a se invicem diversa tanquam diversa exprimimus. Talis est præsens terminus, sunt etiam tales omnes illi, quibus in sequentibus utemur, quorum alii ἕτεροι, ἄγεφοι alii, in ecclesia tamen dudum recepti. Hoc prænotamus, quoniam Quakeri, Fanatici ac id furfuris alii, qui, dummodo aliquando recte de re ipsa sentiant, omnes tamen illos terminos male sane & præcipitanter proscribi jubeant, & si non blaspheme, sæpissime saltem cum magna audientium offensione de iis, loquuntur, quod non sine tristitia, experientia propria edoctus. Res non tam ad terminos illos, quam potius ad ipsum arduum, de quo agitur, dogma redit. Termini nimirum, dum adhibentur tantum ad rem ipsam breviori modo & magis distincte exprimendam, erroris minime reus est, qui quoad ipsam rem veram amplectitur sententiam, eamque tuetur, sive iisdem utatur, sive ab iis citra contumeliam aut ludibrium abstineat. Etenim nihil hic agit, quam ut definitum adhibeat, ille autem, quam ut pro definito definitionem substituat, quod utrumque sine ullo errore fieri, ex

ex logica constat. Unde optime Doctissimus *Hebenstreit in* Syst. Theol. tom. I. loc. 20. th. 70. §. 18. pag. 574. *in formulis*, inquit, *loquendi vel enunciandi sacra dogmata, modo in re consensus sit, hæresis nulla est, quia rerum, non vocum diversitas hæresis est.* Attamen quoniam termini, si modo exacte definiantur, succincte enunciant, quæ alias prolixius, pro definito definitione substituta, essent exprimenda; prætereaque illi ab antiquissimis temporibus jam eo sensu in ecclesia recepti sunt, in quo eosdem accipimus, illis relictis, antiquiores ecclesiæ Doctores intelligendi copia non daretur; nulla est ratio, cur eosdem deseremus. Nec est, quod excipias, vulgus imperitum non satis illos terminos intelligere. Plures enim reperiuntur termini ἄγραφοι, quos nec vulgus intelligit, nisi exacte explicentur, id quod Doctorum ac Oratorum sacrorum proprium munus est. Quid? quod in sublimiori sparta constitutus est is, qui Theologi nomen prætendit, utpote hic non tantum recte sentire, sed etiam, ut facilius, feliciusque linguam adversariis & male de re sentientibus occludat, bene, concinne ac accurate loqui de veritatibus Theologicis debet; maxime cum experientia dudum docuerit, eum, qui inusitata aut nova verba substituit terminis receptis, haud raro in ipsis doctrinis aliquid monstri alere. Attamen bene notare meretur, sollicite cavendum esse, ne quis terminis utatur alio in sensu, quam quo vel usu accepti sunt, vel ipse eos definivit. Etenim hoc neglecto oritur confusio, ac sæpissime contradictio, quidni error.

§. 657.

Veteres ecclesiæ Doctores οὐσίαν *essentiam* Deo tribuentes, hac voce intellexerunt id quod primum de Deo concipitur, & in quo ratio continetur sufficiens, cur cetera in- οὐσία *essentia Dei.*

sint. Etenim Orthodoxi cum contra Arianos, Sabellianos, aliosque, qui contra S. S. Trinitatem errabant, disputarent, usi sunt voce οὐσίας *essentiæ*, asserentes, οὐσίαν μίαν εἶναι τοῦ Πατρὸς, καὶ τοῦ Υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος, ἐν τρισὶ τελείαις ὑποστάσεσι, ἤγουν τρισὶ τελείαις προσώποις. *Unam esse essentiam Patris, Filii, Spiritusque Sancti, in tribus perfectis hypostasibus, sive tribus perfectis personis.* Hæc sunt ipsa verba concilii Constantinopolitani I, quod II fuit œcumenicum, quemadmodum constat ex *epistola Synodica* apud *Theodoretum*, histor. eccles. lib. V. cap. VIII. Unde facile infertur, hos patres οὐσίαν hypostasi atque personis opponentes, & hanc unam esse tribusque hypostasibus simul communem affirmantes, per οὐσίαν nihil aliud intellexisse, quam quod omnibus tribus personis simul sumtis convenit. Cum vero hypostases seu personas tres nominant perfectas, has ipsas a se invicem distinguunt; Consequenter οὐσία illis fuit id, quod omnibus tribus his personis a se invicem differentibus simul competit. Quamobrem cum his tribus ex eorum mente nihil tribui possit commune, quam, quod sint verus Deus, seu quod iis competant simul ea, per quæ unus ille verus Deus ab omnibus entibus aliis distinguitur: Deus verus vero ab omnibus aliis entibus distinguitur per id, quod primum de eodem concipitur, & in quo ratio continetur sufficiens, cur cetera quoque insint; id autem cum *Cl. de Wolfio* (*Ontol.* §. 168.) essentiam salutamus. Consilii Constantinopolitani patribus οὐσία, essentia Divina est id, quod nos cum summo Philosopho essentiam vocemus, nimirum quod primum de Deo Concipitur, & in quo ratio sufficiens continetur, cur cetera insint.

§. 658.

§. 658.

Gerhardus in locis Theolog. lib. III. §. 48. pag. 346, inquit: *dicitur* οὐσία *ab* ὤν, *quod est Dei nomen proprium Exodi* III. 14. *Apocal.* I. 4. IV. 8. Si cui hæc derivatio non placuerit, nobis perinde erit. Sane id certum est, vocabulum οὐσία quidem in sacris extare, sed non eo sensu, qua a patribus concilii Constantinopolitani de S. S. Trinitatis doctrina adhibetur. Nimirum legitur *Lucæ* XV. 12. de filio prodigo petenti, πάτερ, δός μοι τὸ ἐπιβάλλον μέρος τῆς οὐσίας, *pater, da mihi partem substantiæ* (opum). Et versu 13. καὶ ἐκεῖ διεσκόρπισε τὴν οὐσίαν αὐτοῦ, *& illic dissipavit substantiam suam* (opes suas). Nec alibi in sacris paginis legitur; adeoque in iis alio sensu non reperitur, quam, quod denotet opes, seu bona fortunæ. Eo autem sensu S. S. Triade tribui minime posse, per se evidens est. Unde *Epiphanius* hæres. 73. pag. 385. recte ait: *Essentiæ nomen nudo modo in V. & N. T. non habetur, sensus autem & significatio ubique habetur.* Et *Basilius* Epist. 43. *hæc duo vocabula* οὐσία *&* ὑπόστασις *non sunt ex phrasi scripturæ; sed ex communi loquendi consuetudine desumta.* Cum apud Philosophos *Aristotelem* maxime, οὐσία *substantiam singularem, individuamque* significet, fuerunt, cum inter Orthodoxos, tum inter hæreticos, qui hacce voce pro ὑποστάσει uterentur, dum illi quidem, sensu minime culpando, plures οὐσίας, hoc est, ex eorum sensu ὑποστάσεις *personas* in Deo admitterent; hi autem, ad reale personarum discrimen tollendum, unicam οὐσίαν sive ὑπόστασιν personam asserent; quod *Sabellius* inprimis, & qui cum eo unum eundemque errorem fovebant, faciebant. Loca veterum hac de re affert *Dionysius Petavius*, qui ex Aristotelis philosophia maxime errorem hunccé prognatum contendit, dogmat. Theol. tom. II. lib.

Circa vocem οὐσίαν *quæ notanda.*

lib. IV. cap. II. pag. 184. Huic ergo Sabellii errori, ac loquendi rationi, qua errorem suum palliabat, dum se opponebant Orthodoxi, non dubitabant, hoc sensu tres ὐσίας, id est, ὑποστάσεις in Deo admittendas esse. Ita *Gregorius Nyssenus*, contra Eunonium disputans, concedit, statui contra Sabellianos tres ὐσίας posse, sed monet simul ὐσίαν tum pro ὑποστάσει usupari lib. I. contra Eunonium pag. 67. Idem etiam eodem in opere lib. XII. pag. 301. Patrem τὴν μὴ γεννηθεῖσαν ὐσίαν, *ingenitam substantiam* (personam) vocat. Nec ab isto vocis usu abhorret *Epiphanius* hæres. 76. pag. 942. Consuetudine tamen invaluit, ut a plerisque vox hæcce non in sensu philosophico, sed ecclesiastico adhiberetur, quo essentiam tribus Divinitatis personis, in unitate numerica communem, denotat; vel ut *Athanasius* dial. I. de Trinit. qui tom. II. oper. pag. 159. *seqq.* exstat, loquitur; ἡ ὐσία τὴν κοινότητα σημάνει. Ambigua interim ista vocis hujus significatio haud leves, in ecclesia præsertim Antiochena, turbas dedit. Paulini enim sectatores, ὑπόστασιν pro ὐσία accipientes, unam in Deo asserebant ὑπόστασιν. Contra, qui cum Melito sentiebant, tres in Deo ὑποστάσεις esse contendebant. Atque ut hi in Arianismi, ita illi in Sabellianismi veniebant suspicionem. Cum vero pars utraque in Synodo Alexandrina, Anno CCCCLXII. congregata, cui & Athanasius ipse interfuit, mentem suam ita explicasset, ut in re ipsa recte sentire deprehenderentur, in eadem Synodo decretum fuit, ut ab usu vocum ὐσία atque ὑπόστασις, quantum fieri posset, abstinerent, quippe de quibus in Synodo Nicæna nihil definitum esset, nisi forte ad Sabellianismum refellendum, tres asserere ὑποστάσεις, necesse esset. Videatur *Socrates* inst. eccles. lib. III. cap. 7, & *Sozomenus* hist. eccles. lib. V. cap. 12. In concilio deinde Constantino-

po-

politano I utraque vox fixum nacta est significatum, ut οὐσία *essentiam* Divinam denotet eo sensu, quo eundem (§. 657.) probavimus, & hoc sensu ecclesiastico a patribus hujus Concilii instituto οὐσία *essentia* semper a nobis accipietur, & sic prolixitatem evitare, simulque ab erroris periculo securi esse valemus.

§ 659.

Quod Deus Pater essentiam suam Divinam largitus sit Filio testatur ipse Servator *Joh.* V. 26. Ὥσπερ γὰρ ὁ Πατὴρ ἔχει ζωὴν ἐν ἑαυτῷ, οὕτως ἔδωκε καὶ τῷ Υἱῷ ζωὴν ἔχειν ἐν ἑαυτῷ. *Sicut enim*, inquit, *Pater habet vitam in seipso, sic dedit etiam Filio vitam habere in se ipso.* Dixerat versu præcedente: *Amen, amen dico vobis, quod veniat hora, & jam nunc sit, qua mortui audient vocem Filii Dei, & audientes vivent.* Quod optime vernacule redditur: Warlich / warlich ich sage euch / es kommt die stunde / und ist schon jetzt / daß die todten werden die stimme des Sohnes Gottes hören / und die sie hören werden / werden leben. Dann wie der Vatter das leben hatt in ihm selber / also hatt er auch dem Sohn gegeben das leben zu haben in ihm selber. Verum enim vero de morte & vita Spirituali hanc locutionem Christi intelligendam esse, patet, cum, quod is dicat: ὅτι ἔρχεται ὥρα, καὶ νῦν ἐστιν, *quod veniat hora, & nunc sit*, cum tamen eo tempore, quo Christus locutus, immo hucusque hora nondum esset corporaliter mortuorum resuscitandorum, ast potius esset tempus & instaret, quo per Euangelium ubique prædicandum homines erant convertendi & ad vitam Spiritualem perducendi; tum, quod Salvator *versu* 28. 29. resurrectionem mortuorum corporalem tanquam futuram prædicat, eamque vitæ, de qua versiculis citatis locutus erat, contra distinguat. Jam versu 26. addita particula γὰρ, *enim*, Servator noster rationem ejus, quod fieri possit, ut

Pater essentiam suam largitus est Filio,

per verbum Filii Dei ad vitam Spiritualem Spiritualiter mortui deducendi sint, reddit hanc: *Quod sicut Pater vitam habeat in semetipso, ita dederit & Filio vitam habere in semetipso.* Ex quibus verbis facillime colligimus, Patrem essentiam suam Divinam Filio dedisse. Nam si fingamus his verbis nihil magis inesse quam sola asseveratio, quod Pater habeat potentiam vitam Spiritualem dandi Spiritualiter mortuis, particula γὰρ, *enim*, quæ rationem reddit, cur Pater his vitam Spiritualem dare possit, supervacanea esset; Frustra autem Christus nihil loqui potest (§. 648. 409.); In hisce verbis Deus consideratur tanquam causa omnis vitæ Spiritualis; & per consequens hic agitur de actuositate, qua Pater vitam Spiritualem dat Spiritualiter mortuis. Quamobrem cum VITA SPIRITUALIS consistat in actionibus voluntate Dei conformibus, & Deus nihil velit, nisi quatenus in essentia vel attributis ipsius aliqua continetur ratio, cur hoc potius velle debeat, quam aliud (§. 272.); VITAM SPIRITUALEM VIVIT, qui actiones suas ita dirigit, ut in essentia vel attributis Dei ratio hujus directionis contineatur; Pater igitur vitam Spiritualem dat, quatenus actuosus est in agentibus, ut actiones suas dirigant ita, ut in essentia vel attributis Divinis hujus directionis contineatur ratio. Jam vero nullus negabit hanc actuositatem Divinam, qua vita Spiritualis in Spiritualiter mortuis efficitur, præsupponere essentiam Divinam; de Deo Patre itaque Christus affirmat, eum possidere essentiam Divinam.

Etsi quis etiam statueret, hic solummodo de resurrectione corporaliter mortuorum loqui Salvatorem, affirmandum tamen esset eum Patri tribuere essentiam Divinam. Etenim is, qui mortuos rescuscitare potest propria vi, poten-

tentia Divina gaudeat, necesse est, quod nullus sanus negabit. Potentia Divina est attributum Divinum (§. 278.); Consequenter & per eam essentia Divina constituitur (*Ontol.* §. 146. 143.); Christus igitur Patri vitam, seu potentiam resuscitandi mortuos tribuens, eidem Divinam competere essentiam affirmat. Jam diserte pergit: *Sicut Pater habet vitam in seipso, ita dedit etiam Filio habere vitam in seipso.* Quo innuit, quod sicut Pater habet essentiam vere Divinam, ita & Filio dedit vitam, seu essentiam habere vere Divinam, & quidem in seipso, quo diserte probat, potentiam illam solam Divinam, qua mortui resuscitantur sibi, tanquam Filio Dei esse propriam, & quidem eandem cum Patre, non vero occasionalem, qualis fuit ea Apostolorum, Mosis atque Prophetarum miracula occasione data, non propria, sed sola Dei potentia edentes tanquam causæ solummodo occasionales (§. 314.); Christo itaque Magistro Pater suam essentiam Divinam largitus est Filio.

Hæc veritas quoque hoc modo demonstrari potest. Pater est verus ille Deus, cui essentia, attributa, opera atque nomina Divina, quæ soli Deo competunt, attribuuntur (§§. 652.). Filius itidem verus ille Deus est (§. 648.); Adeoque & illi essentia, attributa, opera, nominaque Divina Soli Deo propria competunt, id quod ex sequente capite independenter ab hac propositione constabit. Quamobrem cum Filius a Patre per generationem dependeat (§. 653.); Per generationem Filius essentiam suam Divinam a Patre nactus est, seu Pater Filio essentiam suam Divinam dedit.

Ne dubius hæreat B. L., qui locum allatum *Joh.* V. 26. pro classico habere recusat, hanc alteram demonstra-

tionem, cujus principia probandi revelatio iterum porrigit, confecimus, ut dubitare nequeat de hac veritate revelata, nec excipere possit, nos alicui loca pro classicis obtrudere, quæ pro iis non habeat. Curæ, cordique enim nobis est, veritatem semper reddere immotam, ita ut sapiens eam extra omnem dubitationis aleam positam esse agnoscat.

§. 660.

Pater essentiam suam Filio communicavit.

Si idem duobus, pluribusve simul competit, id illis *commune* esse dicimus. Ex. gr. *jus commune* vocamus jus idem, quod pluribus simul competit (*Jur. natur. part. II.* §. 2.); *res communes* dicuntur, ad quas pluribus simul idem jus competit (*Jur. natur. part. II.* §. 4.) Unde actum illum, quo idem pluribus simul commune redditur, Salutamus communicationem. Quamobrem cum Pater eandem numero essentiam, qua ipse gaudet, Filio largiendo (§. 659.), eam ipsam sibi, Filioque reddiderit communem, ita ut Filius eandem æque habeat, ac Pater habet; Recte statuimus in sacris doceri, Patrem essentiam suam Divinam cum Filio communicasse, quatenus in Patre agnoscendus est ille actus, quo suam essentiam Filio simul communem reddit.

Notari meretur, ne B. L. hac in re hæreat, nos hic argumentari ex identitate numerica essentiæ Divinæ Patris atque Filii, quam tamen hucusque nec probavimus, nec probare potuimus, quia ea, quæ de Filio ac Spiritu Sancto in specie cognoscenda veniunt, hucusque palam dare haud potuimus, agentes adhuc de Deo Patre in specie. Quoniam autem independenter a dictis identitas laudata

data patebit, & Filius non ſolum verus Deus prædicatur (§. 648.), ſed & *ſe cum Patre unum eſſe* aſſeverat *Joh.* X. 30, quæ unitas non niſi de identitate numerica eſſentiæ utrorumque intelligi poteſt, uti ſuo loco clarius conſtabit; Unitatem numericam tanquam his verbis a Chriſto diſerte probatam abſque erroris periculo, atque a methodo aberrationis metu præſupponere licet.

§. 661.

Pater Filium proprie genuit.

Quod Deus Pater Filium generaverit proprie per generationem propriam, non Metaphoricam, evidentiſſimum eſt ex ipſa generationis definitione (§. 654.). Proprie enim adhibetur terminus, ſi omne id, quod per eum denotatur, in re deprehenditur. Cum autem omne id, quod ad generationem proprie dictam pertinet, in generatione, qua Deus Pater Filium generaſſe dicitur, inveniatur (§. 654. *ſeqq.*), & Gentium Doctor *ad Rom.* VIII. 32. diſerte Chriſtum τ' ἴδιον Υἱον *proprium* nominet *Filium* Dei; Non metaphoricam, ſed maxime propriam eſſe hanc generationem in aprico conſtitutum eſt.

§. 662.

Roëllius notatus.

Diſſimulandum hoc loco non eſt, contrarium ſentire *Herm. Alex. Roëllium*, Theologum quondam Celebrem Batavum, qui in diſſertatione de generatione Filii negavit Filium Dei proprie a Patre generatum eſſe. Sententiæ huic obſtat & demonſtratio præcedens, quæ generationem hanc proprie factam eſſe probat, & ipſa literæ proprietas in S. S., quæ ſine neceſſitate relinquenda non eſt. Quoties enim Deus Pater Patris & Filius Filii nomine inſignitur, toties aſſeritur propria generatio Filii, quia pater ab actu, quo alium a ſe, ejusdem ſecum eſſen-

tiæ, ad actum perducit, patris nomen accipit; Hic actus Deo Patri competit (§. 654.); Consequenter a proprietate verborum sacrarum paginarum non solum sine, sed & contra necessitatem recedit, qui propriam Filii generationem vel negat, vel in dubium vocat. Adde diserta Pauli verba *ad Rom.* VIII. 32. Christum τ ἴδιον υἱὸν *proprium Filium* vocantem. Videatur etiam *B. Zach. Grapius* in Theol. recens. controv. quæst. 18. pag. 146. *seqq.* Non est, quod excipias generationem Divinam, ab ea hominum recedere, quod ultro confitemur; Atat! anne generatio hominum & quorundam animantium a se invicem differunt? Experientia enim jam jam comprobatum est, quædam animantia sine imprægnatione fœtum edere, & quis negabit ea proprie loquendo generare? luculenter itaque patet differentiam inter generationem Filii Dei, & eam hominum neutiquam tollere notionem generationis; Et per consequens merito dicimus eam proprie esse factam.

§. 663.

Generatio Filii Dei est essentialis

Numerus I. Filius Dei existit, idemque I. *Joh.* V. 20. Ὁ ἀληθινὸς Θεὸς *verus ille Deus* vocatur. Verum enim vero existentia Deo essentialis est, ut non possit concipi possibilis, quin simul concipiatur, ut existens (§. 76.); Adeoque existentia Filio Dei essentialis est. Quamobrem cum Filius Dei essentiam suam per generationem habeat (§. 653.), & generatio Divina sit actus Dei Patris, quo Filium ad existentiam perduxit (§. 654.); Ipsa generatio Divina, ad mentem sacri codicis, Deo essentialis esse debet.

& necessaria,

Numerus II. Quoniam illud, quod Deo essentiale est, absolute necessarium; & ipsa generatio Divina abso-

ſolute neceſſaria ſit, neceſſe eſt, quia ea Deo eſt eſſentialis *per demonſtrata num.* I.

Fingamus actum generationis hujus contingentem eſſe, tunc oppoſitum ejus nullam involveret contradictionem (*Ontol.* §. 294.), ſed poſſibile eſſet (*Ontol.* §. 85.); Adeoque generatio illa poſſet eſſe & non eſſe. Filius Dei igitur non eſt abſolute neceſſarius; id quod abſurdum: quia *verus eſt Deus* I. *Joh.* V. 20.

§. 664.

Ex Patris natura fluens,

Numerus I. Pater tanquam verus Deus (§. 652.) prorſus independens eſt ab omnibus rebus aliis extra ſe exiſtentibus (§. 139.). Verum enim vero Generatio illa, qua Filium generavit, abſolute neceſſaria eſt (§. 663.); Ejus neceſſitas abſoluta aliunde pendere nequit; Conſequenter, ut ex ipſa Patris natura fluat, neceſſe eſt.

& a voluntate independens.

Numerus II. Quoniam itaque ex ipſa natura Patris fluit, Generatio Filii a voluntate Patris plane independens eſt.

§. 665.

Error refellitur.

Atque adeo patet, quam lubricum Arrianorum argumentum ſit, quando dicunt: *Aut Pater genuit Filium volens, aut nolens. Sin illud, E. Libere, ut potuiſſet non generare. Sin hoc, Ergo Pater; conſequenter Deus neceſſitatus.* Voluntati enim Divinæ ſubjiciunt actum, qui eidem minime ſubeſt, nec ad eandem ullo modo referri poteſt. Abſonum nimirum eſt quærere, num volens, an nolens, feceris, quod a voluntate tua nullatenus pendet, ſed prorſus independens ab eadem ſit, veluti num volens, an nolens cibum digeras in ventriculo.

§. 666.

§. 666.

Generatio Filii Dei est naturalis,

Quoniam generatio hæc ex ipsa Patris natura fluit (§. 664. *num.* I.), & illud, cujus ratio in essentia atque natura entis continetur, naturale est (*Cosmol.* §. 509.); **Generatio Filii Dei prorsus naturalis est.**

Ex hæc propositione luculenter patet, cur recte dicatur Dei Filium naturalem esse, simulque indigitatur differentia insignis, quando Christus in sacris Filius Dei vocatur, & quando vel fideles, vel angeli boni hoc nomine in iis veniunt.

§. 667.

Patri soli competens

Cum id uni soli competat, quod pluribus simul tribui haud potest. Deus Pater autem dicitur, qui Filium genuit (§. 653); **soli Deo Patri generatio Filii Dei competit.**

Hæc propositio ideo subjuncta est, quia deinde usui erit ad differentiam personalem horum trium, qui verus dicuntur in scriptura Deus, eo clarius enodandam.

§. 668.

Generatio hæc est æterna.

Quoniam Pater est Deus, qui solus verus Deus est (§. 652.): Verus autem Deus est immutabilis (§. 37.); Pater etiam immutabilis esse debet. Quamobrem fieri non potuit, ut quidpiam ipsi inexistat, quod non inexstiterit semper (*Ontol.* §. 291.). Actus igitur generationis Deo Patri semper inexstitit; Consequenter cum Deus Pater æternus (§. 652. 65.), & generatio Divina Deo essentialis (§. 663. *num.* I.) atque necessaria sit (§. 663. *num.* II.); **Generatio quoque Divina æterna est, seu Deus ab æterno Filium genuit.**

Ex eo, quod Deus immutabilis & generatio Filii Dei Deo

Deo essentialis ac necessaria sit, evidens est eandem omnino æternam esse debere.

§. 669.

Pro æterna Filii Dei generatione afferri solent loca *Michæ* V. 1. & *Colos.* I. 15. verba, quæ apud Prophetam leguuntur, hæc sunt. ואתה בית־לחם אפרתה צעיר להיות באלפי יהודה ממך לי יצא להיות מושל בישראל ומוצאתיו מקדם מימי עולם *Et tu Beth-lechem Ephrata parva ut sis inter millia Judæ, ex te mihi prodibit futurus dominator in Israële, cujus exitus* (exortus) *a principio, a diebus seculi.* Frustra excipitur, sermonem hoc loco non de Messia, sed de Zorobabele, ex vetustissimo genere regio oriundo, esse. *Congregati enim primarii, sacerdotes ac scribæ populi* jussu Herodis *percontantes, ubi Christus nasciturus*, ex hoc Michæ loco dixerunt, eum exoriturum *Bethlehemi Matth.* II. 4--6. Confer. *Joh.* VII. 42. Patet itaque tempore nativitatis Salvatoris nostri hunc Prophetæ locum ab omnibus omnino Israëlitis de Christo, seu Messia intellectum esse. Adde Zorobabelem non Bethlehemi, sed in captivitate Babylonica natum esse *Matth.* I. 12, ex qua populum Israëliticum eduxit *Esræ* II. 2. Quare verba Michæ de Zorobabele intelligi nequeunt. Quodsi adeo ultro admittendum hunc locum de Messia esse accipiendum, facile nunc porro ostenditur in eodem non minus de nativitate in tempore facta quoad naturam Christi humanam, quam de generatione æterna quoad Divinam ejus naturam verba fieri. Et enim מוצאות *exitus* (exortus) non veterem quandam familiam stylo literarum sacrarum denotare solet, quemadmodum Judæi atque Sociniani male sane interpretantur, sed תולדות *generationes.* Nimirum quod יצא generationem denotet

Loca Michæ *V.* 1. Colos. *I.* 15. *an æternitatem generationis probent.*

sæpe Hæbræis, patet *ex Genes.* XV. 4. *Qui exit* (nascetur) e visceribus tuis (Abrahami), *is hæres tuus erit.* Confer. *Gen.* XLVI. 26. Messias duplicem habet naturam, videlicet & Divinam & humanam, quod Christianis in confesso est, & suo loco clarius docebitur. In dicto hoc Prophetico ortus utriusque hujus naturæ describitur, cum ideo vox מוצאתיו *exitus*, *exortus* in numero plurali legatur. Nimirum secundum humanam naturam Christus ortus est Bethlehemi *Matth.* II. 1---6. *Lucæ* II. 4---7. secundum Divinam suam naturam autem מקדם מימי עולם *a principio*, *a diebus seculi.* Quæ locutio in naturam humanam Salvatoris minime quadrat. Licet enim vocabula עולם & מקדם etiam sumantur pro tempore terminabili, quod fit, quando ea prædicantur de rebus finitis; Æternitatem autem absolutam seu interminabilem, quæ initii atque finis expers est, semper indicant, quoties Deo tribuuntur (§. 65.), & Jesus est ὁ ἀληθινὸς Θεὸς *hic verus Deus* I. *Joh.* V. 20. Propheta itaque Generationem Messiæ Divinam esse absolute æternam asseverat.

Christus *Coloss.* I. 15. dicitur πρωτότοκος πάσης κτίσεως *primogenitus omnis creaturæ.* Primogenitus fratrum vocatur, qui ante omnes suos fratres exstitit. Quamobrem Christus non alio sensu dici potest primogenitus omnis creaturæ, quam quia exstitit ante omnem creaturam, seu antequam ulla creatura existeret. Ac ideo præexistentiam quoque inde probat Apostolus, quod omnis creatura per ipsum facta sit. Ita nimirum legitur subsequente versu 16. *Nam per eum condita sunt omnia, quæ in cœlis sunt, & quæ in terra, visibilia & invisibilia, sive throni, sive dominia, sive imperia, sive potestates, omnia per eum, & in eo existunt.* Palam vero est Christum non exstitisse, an-

antequam ulla creatura, hoc est, aliquid præter Deum existeret, quoad humanam suam naturam. Quamobrem necesse est, ut id intelligatur de Divina Christi natura. Ex verbis adeo Apostoli recte omnino infertur Christum quoad Divinam naturam generatum esse ante omne tempus, quippe quod cum creaturis demum cœpit (§. 59.); Consequenter ad mentem Pauli generatio Filii Dei æterna est (*Theol. natur. part.* 1. §. 39.).

Malumus æternam Filii Dei generationem per consequentiam legitimam indubiam reddere paragrapho præcedente, quam eam ex locis jam allatis probare. Etsi enim quibusdam Theologis forsan his satisfeciſſemus, illis tamen satisfeciſſe non potuimus credere, qui exceptionibus hæc loca subesse defendunt. Unde, ut hi simul de veritate certiores redderentur, modo iis veritatis amor cordi sit, illam immotam dare, nostri officii esse duximus. Nobis perinde est, an cui hoc, an aliud magis arideat principium demonstrandi, modo illud certum sit, veritasque inde deducta inferri legitima consequentia possit. Præterea ex demonstratione hac, quam paragrapho præcedente exornavimus, liquido constat sensum verborum Michæ atque Pauli alium esse non posse, quam quo æternitas Filii Dei rata maneat; Adeoque jam merito ea pro hac æternitate probanda sumi posse, & jure. Ut adeo absurdum sit hanc æternitatem negare velle, & ita supervacaneus est labor adhuc lubrica adversariorum argumenta refutare.

§. 670.

Generatio Divina perfectior est humana.

Ex hucusque dictis differentia, quæ Divinam inter atque humanam generationem intercedit, facillime colligitur. Generatio enim humana, pro ordinatione Divina, fit imprægnando fœminam. Divina non ita. Deus,

quoniam est Spiritus (§. 136.); & incorporeus (§. 91.), fieri nequit, ut Filium suum humano more generet; Ast generale generationis tantum, nimirum actus ille ens aliud eandem secum essentiam habens ad existentiam perducendi, in hac Divina generatione adest. Generatio porro humana fit per transitum a non esse ad esse; seu in tempore; generatio autem Divina æterna est (§. 668.); Adeoque genitum non transit a non esse ad esse, sed generanti coëxistit ab æterno. Consimiliter in generatione humana gignens & genitus eandem solum specie habent essentiam, non numero; Atat essentia Patris atque Filii Dei eadem est & specie & numero, quemadmodum suo loco luculenter patebit. Denique generatio humana fit contingenter; Divina est absolute necessaria (§. 663.). Omnis itaque imperfectio, cui generatio humana subjecta est, a Divina non solum differt, sed & ea gaudet contraria perfectione. Quin itaque generatio Divina ea hominum multo perfectior sit, dubitari nequit.

§. 671.

Placet hæc generatio Patri. Deus ipse affirmat sibi Filium suum placere *Matth.* III. 17. Οὗτός ἐστιν ὁ Υἱός μὲ ὁ ἀγαπητός, ἐν ᾧ εὐδόκησα. *Hic est Filius meus dilectus, in quo complacui* (*in quo delector*, seu *ex quo voluptatem percipio*). Εὐδοκεῖν designare illum animi actum, quo quid nobis placet, evicimus (§. 270.). Vocem cœlitus demissam, esse vocem ipsius Patris, manifestum est, quoniam Christum baptizatum appellat Filium suum; Pater itaque hac voce asseverat, sibi Filium suum dilectum placere. Verum enim vero Filius per generationem a Patre existit (§. 653.); Patri igitur, se ipso teste, generatio Filii sui placet.

§. 672.

§. 672.

Quoniam principium est id, quod in se continet rationem alterius (*Ontol.* §. 866.). Filius Dei vero per generationem dependet a Patre (§. 653.), atque adeo in Patre continetur ratio sufficiens existentiæ Filii sui, Pater Filii principium sit, necesse est. *Principium Filii est Pater.*

Suo loco patebit eundem non minus principium Spiritus Sancti esse; Adeoque utriusque præter se personæ. Ceterum notari meretur hos terminos ἀγεγαφως esse, quia tamen in ecclesia hucusque adhibentur, varieque hic illic de iis disceptatur, eos secundum sacri codicis ductum ad notiones distinctas revocare, nobis placuit, ut sciamus, quid significent, simulque ut errandi ansam pro viribus e mundo exulemus.

§. 673.

Cum causa sit principium, a quo existentia sive actualitas entis alterius ab ipso diversi dependet, cum quatenus existit, tum quatenus tale existit (*Ontol.* §. 881.); Filius autem ejusdem numero cum Patre essentia sit (§. 648.), quemadmodum suo loco demonstrabitur independenter ab hac propositione; Pater causa Filii Dei non est. *Sed non ejus causa.*

Græci patres Deum Patrem aliquando αἰτίαν *causam*, *autorem* Filii sui appellant: Unde disputatum est, an Pater Filii sit causa. Hi patres a Latinis ideo non damnati sunt, quia vox Græca αἰτία latius patet, quam Latina *causa*, & non solum pro causa, sed & pro autore sumitur, si itaque pro autore sive principio habetur, Pater αἰτία Filii recte dicitur (§. 672.); sed si quis αἰτίαν interpretatur per causam, & idem intelligit, quod Latinis denotat; Pater αἰτία Filii sui dici nequit *per modo demonstrata.* Et sic hæc disputationibus finem faciunt.

§. 674.

Procedit Sp. S. a Patre. Spiritus Sanctus dicitur in sacris *Spiritus Patris Matth.* X. 20, *& Spiritus Filii Dei Gal.* IV. 6. *Jesus Christi Philipp.* I. 19, immo *Spiritus Dei & Spiritus Christi* simul *ad Rom.* VIII. 9. Qui vero alterius esse dicitur, ille a se esse nequit, sed ab illo sit, necesse est, a quo esse dicitur; Ergo Spiritus Sanctus a Patre atque Filio est. Quamobrem cum hic Spiritus verus Deus sit *Actorum.* V. 3. 4, essentiam habet, quæ a se est (§. 20.), quatenus vero est a Patre atque Filio, essentiam illam, quæ a se, non habet a se, sed a Patre & Filio, ac ideo perinde ac Filius a Patre, a Patre atque Filio distinguitur modo habendi essentiam, quæ a se est, nimirum Divinam numero unicam. Hunc vero modum habendi Divinam essentiam Spiritus Sancti Theologi processionem, ad ductum loci *Joh.* XV. 26. Salutant; Adeoque stylo recepto ex revelatione Spiritus Sanctus a Patre atque Filio procedit, hoc est, essentiam, quæ a se est, a Patre, Filioque habet.

§. 675.

Spiriatio quid. Quemadmodum modus habendi essentiam ad Patrem & Filium relatus processio dicitur, ut probavimus (§. 674.); Adeoque actum denotat Patris ac Filii, quo Spiritui Sancto communicatur essentia Divina; ita idem ille modus ad Spiritum Sanctum relatus, vocatur Spiratio. Atque adeo Spiratio est actus, quo Pater una cum Filio essentiam Divinam communicant Spiritui Sancto.

§. 676.

Spiratio est essentialis. *Numerus* I. Spiritus Sanctus existit, idemque verus Deus est *Actorum* V. 3. 4., quod deinde cap. IV. de Sp. S. agentes uberius docebitur. Verum enim vero existentia Deo essentialis est (§. 76.); Adeoque existentia Spiritui San-

Sancto essentialis est. Habet autem Spiritus Sanctus essentiam suam Spiratione (§. 675.); Spiratio igitur Deo essentialis sit, necesse est.

Numerus II. Quoniam spiratio actus Dei Patris atque Filii est (§. 675.), simulque Deo essentialis *per demonstrata num.* I. Illud autem; quod Deo essentiale est, est absolute necessarium; Et ipsa spiratio Spiritus Sancti necessaria est. *& necessaria.*

Quæ propositione (663.) subjuncta sunt, hic quoque mutatis mutandis valent. Quodsi porro cap. IV. probaverimus Spiritum Sanctum verum illum Deum esse, sequitur ultro adversarios negantes Spirationem Deo esse essentialem, eamque necessariam statuere debere, quæ per se absurda sunt, & sic eorum argumenta sua sponte corruunt.

§. 677.

Numerus I. Pater & Filius unus ille verus Deus sunt *Joh.* X. 30, independens ab omnibus rebus aliis extra se existentibus (§. 139.). Verum enim vero spiratio Spiritus Sancti necessaria est (§. 676. *num.* II.); Ejusque necessitas a rebus extra Deum existentibus dependere nequit; Consequenter necesse est, ut spiratio hæc ex ipsa Patris, Filiique natura fluat. *Ex Patris, Filiique natura fluens,*

Numerus II. Quoniam autem ex Patris atque Filii natura fluit; spiratio hæc a voluntate prorsus independens est. *& a voluntate independens.*

Absone itaque Arriani, & cum iis sentientes, quærunt, an Pater, Filiusque volens, an nolens spiraverit Spiritum Sanctum; Adeoque argumentum esse nequit ad labefactandam necessariam spirationem ejusdem. *Error refellitur.*

§. 678.

§. 678.

Spiratio hæc æterna est.

Quoniam Pater & Filius sunt Deus ille unus, qui solus verus Deus est *Joh.* X. 30. & (§. 652.). Verus autem Deus est immutabilis (§. 37.); Pater, Filiusque immutabiles esse debent. Quamobrem fieri non potuit, ut quidpiam ipsis inexistat, quod non existiterit semper (*Ontol.* §. 291.). Actus igitur spirationis Patri ac Filio semper inxistitit; Consequenter cum Deus Pater (§. 652. 65.) & Filius sint æterni, quod suo loco independenter ab hac propositione demonstrabitur, & spiratio hæc Deo essentialis atque necessaria sit (§. 676.); spiratio quoque Spiritus Sancti æterna est, seu Pater & Filius eum ab æterno spiraverunt.

§. 679.

Pater & Filius sunt principium Sp. S.

Quod in se continet rationem alterius, id principium ejus est (*Ontol.* §. 866.). Quamobrem cum Spiritus Sanctus a Patre & Filio dependeat per spirationem (§. 675.), seu in Patre atque in Filio contineatur ratio existentiæ Spiritus Sancti. Pater simul ac Filius sunt Spiritus Sancti principium, seu in iis continetur ratio sufficiens existentiæ Spiritus Sancti.

§. 680.

Pater est principium reliquorum duorum,

Numerus I. Pater est principium Filii sui (§. 672.), itemque Spiritus Sancti (§. 679.). Pater vero, Filius, Spiritusque Sanctus sunt hi tres, quos sacer codex verum solum Deum appellat (§. 648.). Ergo Pater est principium reliquorum duorum, nimirum Filii ac Spiritus Sancti, qui cum eodem solus verus Deus sunt, & quia Pater a nullo alio dependet, seu αὐτόθεος est (§. 655.); Rationem existentiæ suæ in se contineat, ne-

necesse est; quin principium totius Trinitatis sit, extra omnem dubitationis aleam positum est.

Numerus II. Pater cum sit principium Filii sui (§. 672.), Filius autem principium Sp. S. (§. 679.), nec præter Patrem, Filium, Spiritumque Sanctum quis verus sit Deus (§. 648.); Filius solius Spiritus Sancti principium est. *Filius autem solius Sp. S.*

Ecce differentiam inter hos tres, qui in revelatione verus dicuntur Deus, quam annotamus, ut notionem de S. S. Trinitate, quam largiuntur sacræ literæ, acquiramus claram, & ab errore vacuam.

§. 681.

Quoniam Spiritus Sanctus eandem numero essentiam Divinam habet, quemadmodum deinde, independenter ab hac propositione, evidenter constabit, & causa principium est existentiæ sive actualitatis entis ad ipso diversi, cum quatenus existit, tum quatenus tale existit (*Ontol.* §. 881.); Pater & Filius causa Spiritus Sancti non sunt. *Nec Pater, nec Filius causa Sp. S. sunt.*

Qui ea, quæ (§. 673.) annotavimus, legit, animadvertit facile usum hujus propositionis.

§. 682.

Pater est αὐτόθεος, quoniam a se ipso Deus est non solum quoad essentiam Divniam, sed & quoad existentiam, sive modum habendi essentiam, hoc est, essentiam, quæ a se est, etiam a se habet (§. 655.). Quamobrem cum ἀγέννητος ingenitus sit, qui essentiam suam ab alio per generationem non habet; Pater ἀγέννητος ingenitus dicitur, quia essentiam suam Divinam ab alio non habet; Adeoque nec per generationem. *Pater quomodo ingenitus.*

§. 683.

Notanda. Ex his evidens est, quam vana sit disputatio: nimirum *quo sensu Pater sit ingenitus atque inascibilis dicendus?* orta ex locutione patrum vetustiorum ecclesiæ, *Hilarii* videlicet lib. IV. de Trinit. *Augustini* lib. XV. cap. XXVI. de Trinit. aliorumque, qui dicebant: *quod Spiritus Sanctus sit nec genitus, nec ingenitus.* Spiritus Sanctus per spirationem habet essentiam a Patre, Filioque (§. 675.); Dependet igitur ab his spiratione, non generatione; Unde hanc dependentiam Spiritus Sancti patres hi describentes, negative dixere, eum nec genitum, nec ingenitum esse. Atat! a Patre, qui nullo modo ab alio dependet, hoc dici nullatenus potest. Licet hi termini in sacro codice non inveniantur, ex iis tamen, quæ legitima consequentia ex eodem fluunt, hos explicare voluimus, immo debuimus, cum ut patres, reliquaque Thologica scripta intelligi queant, simulque distincte cognosci possit, quid veri, quid e contrario erronei, vel saltem emendatu superst, tum denique ut veritatis hostibus os obduretur. Ceterum optandum esset nullum terminum incaute, seu præter necessitatem adhibitum in scripta Theologorum irrepsisse. Hi enim non solum sæpissime lectores confundunt, sed & fons atque origo inanium disputationum, quid? quod errorum sunt.

§. 684.

Jehova est nomen Dei proprium & essentiale. Nomen יהוה consensu Judæorum pariter ac Christianorum doctoribus derivandum est a verbo הוה, quod plane cum verbo היה convenit, quod *esse* significat. Ut adeo יהוה *Jehova* denotet, qui est ὁ ὤν *ens*, scilicet a se ipso, seu, qui essentiam suam alii enti non debeat, quam potius necessario a se habeat. Hoc sensu etymologice explicarunt nomen hoc *Gregorius Nazianzenus in* Exodi *III.* 14. *Augustinus* lib. VIII. de civitate Dei cap. II. circa finem. Cui plura de etymologia, ejusque significatione pla-

placent, conferre poteſt *Gerhardi* loc. Theolog. tom. I. loc. II. cap. 1. §. 7. *ſeqq.* *Joh. Franſc. Buddæi* Inſtitut. Theolog. Dogmat. lib. II. cap. 1. §. 3. pag. 104. *ſeqq.* *Danzii* Parad. Præf. de lectione nominis יהוה. Hoc nomen eſt nomen ſoli vero Deo proprium: Diſerte enim ipſe Deus *Exodi* III. 15. inquit, *Jehova eſt nomen meum in ſeculum, & hoc memoriale meum in omnem ætatem.* Nimirum ipſe his verbis nomen Jehova, nomen ſuum in ſeculum, immo memoriale ſuum in omnem ætatem, hoc eſt, nomen proprium, quod ei in ſeculum ac in omnem ætatem, ſive in æternum proprie competit, proclamat. Unde Aſaph *Pſalm.* LXXXIII. 19. concludit hoc nomine ſoli vero Deo proprio eundem cognoſci, & ab omnibus entibus, qui verus Deus non ſunt, diſtingui: *ut cognoſcatur, te, cui ſoli nomen* (eſt) *Jehova, excelſum eſſe ſupra omnem terram.* Quid? quod Deus, nomen Jehova ita ſibi proprium eſſe, indicat *Jeſ.* XLII. 8., ut aliis rebus dari nequeat, quemadmodum attributa Divina, quorum complexus gloria dicitur, nulli enti communicabilia ſunt: *Ego ſum Jehova*, ipſe Deus ibidem per Prophetam inquit, *illud eſt nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam ſculptilibus.* Quod venacule bene redditur: Ich bin Jehova, das iſt mein name / und will meine ehre keinen anderen geben / noch meinen ruhm den geſchnittenen Bilderen. Et hoc nomen ſoli Deo proprium eſſe Judæis tam certum eſt, ut idem השם *nomen* quaſi abſolute Divinum, שם העצם *nomen ſubſtantiæ* שם המיוחד *nomen illud proprium*, & שם המפורש, quod alii *nomen explicatum*, alii *nomen ſeparatum*, *ſingulare* reddunt. Vid. *Franſc. Burmanii* Synopſ. Theolog. lib. I. cap. XVI. §. 5. pag. 99. Huc quoque pertinet, quæ eleganter hac de re diſſerit *Juſtinus Martir* in Cohortat. ad Græcos pag. 86. edit. Hutelani. Conſimiliter recte dicitur

יהוה nomen Dei essentiale esse, quia vi originis exprimit aseitatem. Idem etiam legitime sequitur ex Asaphi dicto *Ps.* LXXXIII. 19. Quod enim cuidam ita soli competit, ut inde cognoscatur, id eidem necessario essentiale esse debet; Adeoque nomen Jehova Deo essentiale est. Denique Deus hoc nomen per Prophetam, gloriæ suæ æquiparat quæ cum sit complexus attributorum Divinorum, quæ incommunicabilia sunt, quoniam illa Divinam essentiam constituunt, Deus autem affirmet, quod gloriam suam alteri non daturus, quia est Jehova nomen suum, eo ipso probat, nomen Jehova eidem tam essentiale esse, quam ei attributa sua essentialia sunt. Ex dictis adeo liquet nomen Jehova denotare ens a se, idque soli vero Deo ita proprium esse, ut eodem ab omnibus entibus aliis, qui verus Deus non sunt, distinguatur, & Deo essentiale; quatenus per id essentia Divina exprimitur. Pluribus de his vide *Hebenstreit* System, Theolog. tom. I. pag. 334. *seqq.*

§. 685.

Ab exceptionibus liberatur.

Numerus I. Sunt, qui negant nomen יהוה Deo essentiale esse, & non ipsam essentiam Divinam, sed contendunt constantem voluntatem Dei in servando promisso, Israëlitarum majoribus olim dato, significare. Veluti *Johan Crellius* de Deo & ejus attributis cap. XI. p. m. 27, & *Simon Episcopius* Instit. Theolog. lib. III. cap. II, nec non procul hinc discedit Cl. *Joh. Clericus.* Præcipuum argumentum hi desumunt ex *Exodi.* VI. 2. (3.), ubi Deus inquit: *Ego* (sum) *Jehova; patefactus sum Abrahamo, Isaaco & Jacobo* באל שדי *tanquam* (Deus) *fortis, omnipotens; At nomine meo Jehova non cognitus sum illis, & fœdus meum*

cum

cum iis pepigi &c. Cum tamen nomen Jehova ipsis protoplastis, multo magis Patriarchis his notum fuerit, quod evidens est ex ipsis Evæ verbis *Genes.* IV. 1. dicens קניתי איש את־יהוה *acquisivi virum* Jehova. Etsi plurimi interpretum, qui quoque hoc nomen pro soli Deo proprium atque essentiale habent, hunc locum ita vertant, veluti *Lutherus* in vernacula sua versione Vnd ich bin erschienen Abraham / Jsaac / und Jacob / daß ich ihr allmächtiger Gott sein wolte; aber mein name Herr (Jehova), ist ihnen nicht offenbaret worden / negamus tamen merito eundem recte redditum esse; sed contendimus, jure hunc ita vertendum esse: *Et nomine meo Jehova annon cognitus sum illis?* seu venacule, Vnd bin ich ihnen nicht mit meinem namen Herr bekannt gewesen? Particula enim לא sæpissime habet vim interrogantis atque fortius affirmantis, confer. *Hos.* IV. 14. לא־אפקוד על־בניתיכם כי תזנינה, *nonne animadverterem in filios vestros, quod scortentur?* Ecquis sanus negabit Deum nolle scortationes animadvertere, easque tanquam pœna haud dignas permittere? Consimiliter si verba per Mosem scripta interpretemur eo sensu, quo adversarii illa interpretari volunt, prodit propositio contraria ejus, quæ per alia loca (§. 684.) citata manifesta; Adeoque hac interpretatione aberratum esse constat (*Logic.* (§. 976.). Unde merito concludimus locum ab adversariis contra nomen Jehova Deo essentiale male sane verti; Adeoque his verbis iis nihil, sed potius eo certius, & quasi ad cujusvis conscientiam per interrogationem factam provocando, probare, quod hoc & Patriarchis ipsis tanquam Deo essentiale notum fuit. Confer. *Dantzius* interp. §. 230.

Numerus II. Superstitionem sapit hoc nomen nolle pronunciare. Equidem *Exodi.* XX. 7. *Deus prohibet nomen Jehova assumi in vanum*, & *Levit.* XXIV. 16. dicitur.

Qui exsecratur nomen Jehovæ, omnino afficitor morte. Unde luculenter patet profanationem hujus nominis a Deo proscriptam esse, sed quis, nisi superstitione insipiens inde inferret, hoc nomen plane non esse pronunciandum? E contrario pronunciatio ejusdem commendatur *Deutron.* VI. 13, ubi dicitur. *Per nomen ejus* (Jehova) *jurato.* Item cap. X. 8. *Jehova separavit tribum Leviticam ad benedicendum in nomine ejus*, nimirum in hoc ipso nomine Jehova, & cap. XXI. 5. *Jehova elegit, sacerdotes ad benedicendum in nomine Jehovæ.* Cui plura placent, evolvat *Gerhardi* loca Theolog. loc. II. Cap. 111. §. 23. *seqq.* pag. m. 225. *seqq.*

Numerus III. Contra proprietatem & essentialitatem hujus nominis Sociniani, omnesque, qui hac in re cum illis militant, proferunt nomina propria hominum, in quibus per compositionem nomen Jehova reperitur, veluti Jehosua, Jehosaphat &c., sed iis nihil minus probatur, quam quod simplex nomen Jehova soli vero Deo non sit proprium ac essentiale, & ulli homini unquam datum, & in compositione nihil aliud probat, quam quod habeat spem a Jehoua salvandi, veluti Jehosua, seu Josua & Jeschajahu seu Jesaias, vel quod Deum judicem suum agnoscat, veluti Jehoschaphat, quemadmodum & hodie quis venacule Gottlieb/ Gottfried &c. vocatur. Provocant porro ad loca, ubi iis videtur nomen Jehova vel idolis, vel aliis rebus, qui non sunt Deus, datum esse. Atat! cum *Joh. Musæus* in Colleg. Anti-Socin. Disput. III. Quæst. II. pag. 427. *seqq.* *Joh. Gerhardus* in locis Theolog. loco. II. cap. III. §. 35. *seqq.* p. m. 230. *seqq.* aliique Viri satis Docti prolixe satis ad quemvis locum allatum in specie responderint, erroremque refutaverint, ad eos provocamus, ne ultra institutum progrediamur, neque prolixitati sine necessitate incumbamus. §. 686.

§. 686.

Nomen יהוה Jehova tribuitur ὑποστατικῶς *perſonaliter* Patri in ſpecie ita ut de Filio aut Spiritu Sancto intelligi nequeat, veluti *Pſalm.* II. 7. יהוה אמר אלי *Jehova dixit ad me, Filius meus tu es, hodie te genui.* Paulus *Actorum* XIII. 33. nos diſerte docet, quod locus hic ſit claſſicus, quando generatio Filii Dei demonſtranda eſt. Quamobrem cum is dicendus ſit Pater, qui Filium ſuum genuit (§. 653.); Is, qui hic ait, Filius meus tu es, hodie te genui, neceſſario Deus Pater eſt. Dicitur autem is Jehova; Evidenter itaque patet nomen יהוה Deo proprium atque eſſentiale in ſpecie quoque tribui Deo Patri in ſacris, quando talia prædicantur de Jehova, quæ non niſi de ſolo Patre intelligi poſſunt. *Pater dicitur Jehova.*

Idem nomen Jehova eodem modo Patri in ſpecie tribuitur *Pſalm.* CX. 1. *Locutus eſt Jehova ad Jehovam, ſede ad dextram meam, usquè dum poſuero inimicos tuos ſcabello pedum tuorum.* Sic etiam *Jeſ.* XLIX. 7. 8. & ſæpius alibi.

§. 687.

Omnibus tribus, qui verus ſunt Deus, ſimul ſumtis, ſeu οὐσιωδῶς *eſſentialiter* nomen Jehova tribuitur. Veluti *Geneſ.* II. 4. dicitur: *Jehova Deus fecit cœlum & terram.* Locutio, Deus fecit cœlum atque terram, eadem eſt cum ea, Deus creavit mundum (§. 6.); Ut adeo idem ſit, ac ſi Moſes dixiſſet, Jehova Deus creavit mundum. Quoniam itaque creatio Deo vero tanquam Deo vero competit (§. 249.), ita ut ſit ſignum naturale veri Dei (§. 245.); conſtat autem non minus Filium atque Spiritum Santum eſſe ſolum verum Deum (§. 648.), quemadmodum demonſtrabitur capitibus ſequentibus; Ideo crea- *Jehova omnes tres ſimul ſumti, qui verus Deus ſunt, dicuntur.*

creatio non minus est opus Filii, Spiritusque Sancti, quam Patris. Per Jehovam igitur, qui cœlum & terram fecit, intelligendus est, & Pater, & Filius & Spiritus Sanctus. Unde recte infertur, quoties talia de Jehova prædicantur, quæ omnibus tribus, qui solus ille verus Deus sunt, simul sumtis competunt, toties nomen Jehova ὁμωδῶς essentialiter in sacris sumitur, seu id eo sensu accipi debet, quo omnes tres illi simul intelliguntur, nimirum & Pater, & Filius, & Sp. S. simul.

Hic dicimus creationem esse opus, & Filii, & Sp. S., quia hi in sacro codice verus dicuntur Deus; Deinde vero suo loco luculenter patebit opus creationis necessario Filio, Spirituique tribuendum esse, nisi fidem sacris literis abnegare volueris, quæ nos docent eosdem verum Deum esse, quoniam creaverunt una cum Patre totum universum.

§. 688.

Θεὸς *nomen Divinum est.*

Nomen Θεὸς *Deus* in sacra scriptura nomen veri Dei est. Nec alia vox Græcis nota, qua verus exprimitur Deus, immo Judæi Christo indignabantur, ποιεῖς σεαυτὸν Θεὸν, *quod se faceret Deum Joh.* X. 33, quod fieri haud quaquam potuisset, nisi per Θεὸν verum atque essentialem Deum intellexissent. Adde quod θεότης *Deitas Coloss.* II. 9. & θειότης *Divinitas ad Rom.* I. 20. extra dubium designat naturam atque essentiam Divinam; Unde ab abstracto ad concretum recte concluditur per Θεὸν indigitari illum, qui essentia Divina gaudet, seu sua essentia Deus est, id est, qui essentia verus Deus est. Nomen Θεὸς itaque in sacro codice nomen veri Dei est, quo non nisi is, qui essentiam revera Divinam habet, nominatur.

§. 689.

§ 689.

Objicies forsan. Gentiles falsos suos Deos hoc quoque nomine appellarunt. Ergo nomen veri Dei non est. Concedo, quod hoc nomen in autoribus profanis verum Deum non, vel saltem non semper denotet; sed ab autoribus profanis ad sacrum codicem non valet conclusio, demonstrandum potius est, quod in eodem tribuatur & quidem simpliciter sumte rebus, quæ verus Deus non sunt. Quod fieri nequit. Etsi I. *Corinth.* VIII. 5. dicatur: εἰσι θεοὶ πολλοὶ *sunt Dii multi*, simpliciter hæc vox non adhibetur, sed additur ὥσπερ *sicuti*, quo digitis quasi monstrat verba antecedentia, ubi locutus fuit de θεοὶς λεγόμενοις *ita dictis diis.* Tota Pauli oratio hæc est: *Nam etsi sint, qui dicantur dii & in cœlo & in terra (sicut sunt dii multi, ita domini multi). Nobis tamen* pergit versu 6. *unus est Deus, Pater ille a quo omnia, & nos in ipso &c.:* Ut adeo his ipsis verbis probetur, quod licet vocabulum θεὸς a gentilibus male sane intellectum, & hinc diis falsis attributum sit ab iis, hoc tamen minime obstare, ut in sacro codice, qui non novam ex cogitavit linguam, sed voces male intellectas, ad verum suum significatum revocat, uti hæc soli vero Deo competens, huic uni vero Deo in eodem attribuitur. Unde & ab eodem *Galat.* IV. 8. οἱ μὴ φύσει ὄντες θεοὶ, *qui natura non sunt dii* opponuntur τῷ θεῷ *Deo* scilicet vero, cui, quia natura Deus est, soli hoc nomen competit. Consimiliter reliqua ab adversariis producta loca contra eos pro veritate, quam defendimus, militant. Etenim ex iis apparet, quod toties, quoties nomen θεὸς simpliciter invenitur sine ulla restrictione, verum Deum denotet; quoniam in iis locis, ubi rebus, quæ verus Deus non sunt, tribuitur, nunquam simpliciter, sed semper cum restrictione quadam legitur: veluti II. *Corinth.* IV. 4.

Exceptionibus occurritur.

ὁ Θεὸς τοῦ αἰῶνος τούτου, *Deus hujus seculi.* Ille, qui hic Deus vocatur, non simpliciter nominatur Deus; Aſt valde reſtricte, videlicet hujus ſeculi; Ut adeo addita hac reſtrictione pateat, illum verum Deum minime eſſe, ſed eidem potius oppoſitum, quoniam non æternus ille, ſed hujus tantum ſeculi Deus, hoc eſt, Satanas eſt. Ita *Philipp.* III. 19. ὧν ὁ Θεὸς ἡ κοιλία, *quorum Deus* (eſt) *venter.* Ipſa verba evidenter docent, hic, reſtrictione ſubjuncta, illos reprehendi, qui venterem tanti faciunt, quanti ipſe Deus habendus; Unde ſequitur, venterem non ſimpliciter appellari nomine ſoli Deo proprio; Atat! rubore perfundi illos, qui ventrem pro Deo habent, & ſic latet emphaſis in hac reprehenſione. Ecquis ſanus inde inferret ventri tribui nomen Dei? Conſimiliter II. *Theſſal.* II. 4. de illo, *qui ſe opponit & effert ſupra omne id, quod dicitur Deus aut numen: Adeo ut in templo Dei tanquam Deus ſedeat, præ ſe ferens ſe eſſe Deum.* Quis, quæſo, non videt illum verſu 3. dici *hominem illum peccati, filium illum perditionis*, non autem verum Deum? Diſtinguitur itaque a vero Deo per ipſam reſtrictionem nomini Θεῷ adjectam, qua e contrario diſerte probatur tantum abeſſe eidem competere nomen veri Dei proprium Θεὸς, quod hoc ſibi vindicans, ſe ſoli vero Deo arrogantia ſua opponat atque efferat, ſicque eum Apoſtolus atro carbone notat. Ut adeo ratum maneat nomen Θεὸς toties, quoties ſimpliciter in revelatione occurrit, ſoli vero Deo competere, & ipſa loca, ubi rebus aliis tribuitur, reſtrictione ibidem ſubjuncta, evidenter docent, id iisdem nullatenus competere, ſoliusque Dei proprium eſſe nomen. Plura, qui deſiderat, evolvat *Gerhardi* loc. Theolog. tom.

tom. I. loc. II. cap. II. §. 14. *seqq.*, aliosque Viros eruditione Celebres.

§. 690.

Quoties Christus dicitur ὁ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ *Filius Dei*, veluti *Matth.* IV. 3. 6. XVI. 16. *Joh.* I. 19. &c., toties nomen Θεὸς soli Patri tribuitur, quoniam nullus alius intelligi potest, quam cujus hic Filius est Filius; Ille autem, a quo hic Filius est, Pater vocatur (§. 633.). Itemque diserte I. *Corinth.* VIII. 6. nomen Θεὸς soli Patri tribuitur: Ἀλλ' ἡμῖν εἷς Θεὸς ὁ Πατὴρ *nobis tamen unus* (est) *Deus, Pater a quo omnia, & nos in ipso &c.* Quoties itaque nomen soli Deo proprium (§. 688.) ita legitur in sacris, ut quæ de eo prædicantur, soli Patri competant, toties non nisi de solo Patre intelligi potest. *Pater dicitur* Θεός.

§. 691.

Οὐσιωδῶς *essentialiter* nomen Θεὸς tribuitur omnibus tribus, qui verus Deus sunt, simul sumtis: veluti *Matth.* XIX. 26. Παρὰ δὲ Θεῷ πάντα δυνατά ἐστι, *apud Deum autem omnia possibilia sunt*, Pater tanquam verus Deus (§. 652.) omnipotens est (§. 278.), Filius, Spiritusque Sanctus iterum tanquam verus Deus (§. 648.) non minus omnipotentes sunt (§. 278.), quod suo loco independenter ab hac propositione clarius constabit; Adeoque & Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus omnipotentes sunt, simulque verus ille Deus (§. 648.); Consequenter quando dicitur apud Deum omnia esse possibilia, seu Deum esse omnipotentem, talia prædicantur de Deo, quæ omnibus tribus simul sumtis communia sunt. Quoties hinc nomen Θεὸς Deo proprium talia habet præ- Θεὸς *dicitur omnes tres simul sumti, qui verus Deus sunt.*

dicata, quæ omnibus tribus, qui verus Deus sunt, simul sumtis communia sunt, toties ἐσιωδῶς essentialiter in sacro codice sumitur.

§. 692.

Jehova & Θεὸς quo sensu in sacris occurrant.

Nomen soli vero Deo proprium Hebraicum יהוה & Græcum Θεὸς, cui Latinum *Deus* æquipollet, vel ita tribuitur Deo, ut omnibus tribus, qui verus Deus sunt, simul sumtis conveniat, quod dicimus ἐσιωδῶς *essentialiter* (§. 687. 691.), vel, ut in specie de Patre solum (§. 686. 690.), aut de Filio in specie, aut de Sp. S. in specie, quemadmodum suo loco palam dabimus, intelligi debeat, quod salutamus ὑποστατικῶς *personaliter*; Unde sequitur nomen Hebraicum יהוה & Græcum Θεὸς, cui respondet Latinum Deus in sacris sumi vel ἐσιωδῶς essentialiter, quatenus omnibus tribus, qui solus verus Deus sunt, vel ὑποστατικῶς personaliter, quatenus Patri, Filio atque Spiritui Sancto, unicuique eorum in specie competit

Ut plurimi Theologi inter argumenta, quibus utuntur ad Divinitatem Dei cum essentialiter, tum personaliter probandam, illud de nominibus Divinis in sacris Deo tributis recensent. Quare, ut pateat quanti habendum sit hoc argumentum, necesse duximus has exornare propositiones, notionesque horum nominum reddere destinctas.

CA-

CAPUT III.

De Filio Dei.

§. 693.

Ex communi loquendi usu Filius dicitur, qui ab alio per generationem dependet, qui eodem respectu Pater vocatur. Quin eodem sensu Deus Pater Christum Filium suum nominet, dubitari nequit; diserte enim Deus voce cœlitus demissa asseverat *Matth.* III. 17. Οὗτός ἐστιν ὁ Υἱός μου ἀγαπητὸς, *hic est Filius meus dilectus.* Quem Apostolus agnoscit τ' ἴδιον Υἱὸν *proprium Filium Rom.* VIII. 32. & de quo ipse Deus affirmat, quod a se genitus sit *Psalm.* II. 7. expressis ajens verbis: בני אתה אני היום ילדתיך & Paulus *Actorum* XIII. 33. hoc testimonium Dei ad Jesum referendum esse docet: *ut etiam* inquit *in Psalmo secundo scriptum est:* Υἱός μου εἶ σὺ, ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε. *Filius meus, tu es, ego hodie genui te.* Scriptura adeo docente agnoscimus Patrem generasse Filium proprie, ac hunc ideo dicendum esse Filium, quia a Patre est gentius. *Filius cur dicatur.*

§. 694.

Quoniam Pater verus Deus est (§. 652.), a quo hic Filius proprie genitus est (§. 693.); hinc dicitur Filius Dei. *Filius Dei cur dicatur.*

Ex hac propositione patet, Christum Filium Dei dici,

non in oppositione ad Deitatem, quasi ipse non sit verus Deus, uti Sociniani dicunt; sed in oppositione ad Patrem, quoniam a Patre dependet per generationem (§. 693.), & hoc respectu alius a Patre est (§. 650.). Consimiliter per hanc demonstrationem quoque evidens est, eum dici Filium Dei in oppositione ad angelos atque fideles, qui quidem appellantur Filii Dei, sed nunquam Filii proprii, quia non proprie a Deo geniti; sed vel ob dependentiam eorum per creationem & integritatem per conservationem veluti angeli, vel ob eorum justificationem atque regenerationem, quemadmodum fideles Filii Dei nuncupantur; Christus autem, quia proprie a Deo Patre genitus, & unigenitus est, quemadmodum ex paragrapho sequente patebit.

§. 695.

Cur unigenitus. Quoniam Deus Filium suum genuit per generationem proprie sic dictam, non metaphoricam (§. 661.), nullus autem a Deo Patre præter hunc dependet per generationem propriam; ille autem unigenitus dicitur, qui solus a Patre suo est, ita ut præter illum alius non genitus sit; Filius hic *Joh.* III. 16. unigenitus dicitur, quia nullus præter eum proprie a Deo Patre genitus est.

§. 696.

Cur Jesus. Angelus Gabriel a Deo missus ad incarnationem Filii Dei annunciandam, evicte nos docet, cur is Jesus dicatur *Matth.* 1. 21. ubi inquit: *pariet autem filium* (Maria), *& vocabis nomen ejus Jesum.* Αὐτὸς γὰρ σώσει τὸν λαὸν αὐτοῦ ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτῶν. *Ipse enim liberabit* (*salvabit*) *populum suum a peccatis suis.* Ex quibus verbis evidens est, vocabulum Hebraicum Jesus idem esse cum Græco σωτὴρ

quod

quod perinde est ac Latinorum *Salvator*, *Servator*; atque Filium Dei incarnatum nominari Jesum ab opere redemtionis, seu quod salvandos redemit.

§. 697.

Christus, quem Johannes Apocalypticus audivit tanquam vocem magnam instar tubæ, diserte *Apocal.* I. 11. de semet ipso asseverat, *dicens*, ἐγώ εἰμι τὸ Α καὶ τὸ Ω, ὁ πρῶτος καὶ ὁ ἔσχατος: *Ego sum* A & Ω, *primus & ultimus*, qui versu 8. de semetipso affirmavit: ἐγώ εἰμι τὸ Α καὶ τὸ Ω, ἀρχὴ καὶ τέλος: *Ego sum* A & Ω, *principium & finis*. Nili magno molimine verba contextus detorseris, consitendum ultro est, hic Jesum Christum loqui, atque testimonium sibi dare, quod ipse hoc A & Ω, principium & finis, hic primus ac ultimus sit. Adde quod versu 17. is ipse dicat: *ne metue, ego sum primus ille, & ultimus ille* & uno veluti tenore addit versu 18. *& qui vivo, sed fui mortuus, & ecce vivo in secula seculorum.* Unde luculenter patet, quod de eo ipso, de quo prædicatur, quod primus sit & ultimus, de eodem etiam prædicetur, quod vivat, qui mortuus fuit. Quare cum de Deitate in genere nullatenus dici possit, quod mortua fuerit, quia hoc immutabilitati (§. 36.) ac incorruptibilitati ejus e diametro repugnat (§. 86.), nec idem in specie de Deo Patre affirmare licet, quoniam is naturam humanam nunquam assumsit, Filius autem solus hanc hominum mortalium naturam assumsit, quod suo loco ubi de duabus Jesu Christi naturis ex instituto ajendum erit, independenter ab his ex sacro codice demonstrabitur; Verba hæc de solo Jesu Christo Dei Filio accipienda sunt. Verum enim vero ex his ipsis verbis (§. 26. *seqq.*) primationem & ultimationem Dei demonstravimus; Consequenter Jesus Christus Dei

Filius Dei primus est & ultimus.

Dei Filius de semetipso asseverat, quod primus & ultimus, & quia simul *verus Deus* 1. *Joh.* V. 20. dicitur, verus Deus, quatenus omnibus entibus præter Deum existentibus independenter præexistit, nec ipsi succedit aliud dependenter ab eodem (§. 27.).

§. 698.

Errandi ansa detegitur, veritasque vindicatur.

Sunt equidem quidam, qui verba hæc non eodem, quo nos, modo, accipiunt. De iis diximus, quod ea in alienum sensum detorqueant. Etenim non vidimus alios verba hæc ab alio, quam Dei Filio interpretari, nisi qui negant hunc eandem cum Patre habere essentiam; Adeoque quia nolunt eundem Patri esse parem, seu verum Deum. Cum vero hoc eorum principium sit precario assumtum, immo falsum, quemadmodum in hac nostra sectione palam dabitur; Sequitur eos male sane verba hæc in peregrinum sensum trahere. Nos vero e contrario, hæc de nullo, nisi de Filio Dei Jesu Christo sumi posse, modo ostendimus, idemque non minus prolixe atque Doctissime probavit Cl. *Chr. Gerh. Offerhausen* Professor in illustri Daventriensium Athenæo in disquisitione Theol. de ἄλφα Apocalyptico, quæ reperitur in miscell. Duisbergensibus Tom. I. Fascic. II. N°. 1. pag. 181. *seqq.* Porro itidem evidens est, verba Christi per Johannem prolata, indigitare primitatem ac ultimationem Filii Dei, quatenus omnibus entibus præter Deum existentibus independenter præexistit, nec ipsi aliud ab eodem dependenter succedit. Hic enim præexistit omnibus entibus, quod ipse asseverat *Proverb.* VIII. 22. disertis his verbis: *Jehova possidebat me principio viæ suæ.* Quid autem per hoc principium viarum Jehovæ intelligi velit, immediate sub-

ſubſequentibus dictis explicat, dicens: *ante opera ſua* (Jehovæ), *ante ullum tempus* Deus ipſum poſſidebat, & ut pergit verſu 23. *Ante ſeculum libavit me, ante principium, ante primordia terræ.* Ex quibus luce meridiana clarius patet, Filium Dei exſtitiſſe ante opera Dei; Cum vero opera Dei sint omnes res præter Deum exiſtentes; Chriſtus præexiſtit omnibus rebus præter Deum exiſtentibus. Atat! niſi effectum velis admittere præexiſtentem ſua cauſa, quod abſonum; Cœli autem & terra, ſeu mundus (§. 6.) ſit opus manuum Filii Dei *Hebr.* I. 10. nec is dependenter a rebus creatis iis præexiſtere potuit. Ergo is ipſis præexſtitit omnino independenter. Denique diſerte Apoſtolus *Hebr.* I. 10. 11. 12. affirmat de Domino noſtro Jeſu Chriſto: *Tu in initio Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cœli: ipſi peribunt, tu autem permanes, tu idem es, & anni tui non deficient.* Hic Filius Dei opponitur terræ, cœloque. Verum enim vero per cœlum & terram intelligere debemus ea omnia ſimul, quæ præter Deum ſunt (§. 4.); Filius Dei igitur opponitur omnibus iis, quæ præter Deum ſunt. Ea dicuntur peritura, hic autem permanens, & quidem ita ut idem ſit, nec anni ejus deficiant; Conſequenter Dominus noſter Jeſus Chriſtus exiſtentiæ ſuæ finem habet nullum, & exiſtet, ſi vel res omnes præter Deum exiſtentes ad interitum ſuum tenderent; Unde liquido conſtat Filium Dei exſtiturum, licet omnis creatura ad finem ſuum tendat, ſeu ipſi non ſuccedere aliud quodpiam dependenter ab eodem.

§. 699.

Numerus I. Apoſtolus *Hebr.* I. 10. 11. 12. nos docet Deum ad Filium ſuum dixiſſe. *Tu in initio Domine terram fundaſti, & opera* &c.: Hæc eadem verba ſunt, quæ

Filius Dei eſt ſemper idem,

quoque *Pſ.* CII. 26. 27. 28. leguntur; Ex his vero conſtantem identitatem eorum, quæ Deo inſunt, demonſtravimus (§. 39.); Cum autem hæc docente Apoſtolo ad Filium Dei referenda; Filio Dei, Apoſtolo magiſtro, tribuitur conſtans identitas eorum, quæ Deo inſunt, per quæ ſemper eſt idem ab æterno in æternum, ſive id, per quod omnis mutatio & præteritio, aut ſi magis arridet, interitus, quæ in mundum cadere poſſit, impoſſibilis eſt.

immutabilis, *Numerus* II. Ex ipſis illis verbis Pauli immutabilitas Filii Dei non minus legitime infertur. Etenim diſerte dicitur, quod idem ſit, & anni ſui non deficient, nec non quod totus mundus mutabilis, is autem permanens, ſeu immutabilis; Luculenter itaque patet Filium Dei immutabilem eſſe, quia ſemper idem eſt.

ortus ac initii, *Numerus* III. Sapientia de ſe ipſa aſſeverat *Proverb.* VIII. 22---30. *Jehova poſſidebat me principio viæ ſuæ: ante opera ſua* &c.: Nullus dubitat Patrem dici Jehovam; Hic vero dicit ſapientia eum ſe poſſediſſe principio viæ ſuæ; Conſequenter ſapientia, ſeu quod hic perinde eſt, Filius Dei de ſe hoc affirmat. Ex hac aſſeveratione vero oſtendimus (§. 44.), Deum oriri non poſſe, nec ullum exiſtendi initium habere; Filius Dei itaque, teſte S., eſt ens ortus atque initii expers.

itemque finis atque interitus expers, Conſimiliter locus *Hebr.* I. 10. 11. 12. eſt claſſicus, quando oſtendendum Deum nec interire nec finem habere (§. 48.). Cum vero idem locus de Filio Dei agat, APOSTOLO MAGISTRO; Dei Filius unigenitus nec finem habet, nec interire poteſt.

Nu-

Numerus IV. Filius Dei desinere nequit, cum antea esset, quia interire nequit (§. 49. 51.). Qui vero annihilatur, desinit, cum antea existeret, ita ut nihil amplius actu supersit (*Ontol.* §. 540.); Consequenter quia Filius Dei interire non potest *per demonstrata Num.* III., Nec annihilari potest. *qui annihilari nequit,*

Numerus V. Ex dictis quoque facile colligitur Filium unigenitum Dei non esse in tempore. Qui enim ab æterno in æternum semper idem est, ita ut plane impossibile sit in omnem æternitatem, ut mutetur *per demonstrata Num.* I., per ea, quæ Filio Dei insunt, concipi nequit, an sit tempus præsens, an præteritum, an vero futurum. Quare cum præter tempus præsens, præteritum aut futurum aliud tempus non detur, seu per præteritum, futurum & præsens omne tempus conceptibile exprimatur, per ea, quæ Filio unigenito insunt, nullum tempus concipi potest, sed hoc ipsi plane extrinsecum est; Consequenter Dei Filius in tempore non est (§. 59.). *nec in tempore est.*

Numerus VI. Filius Dei nec initium *per demon. num.* III. nec finem habet *per demonst. num.* IV. Adde, quod Gentium Apostolus *Hebr.* VII. 3. diserte affirmet: *Filium Dei nec initium dierum, nec finem vitæ habere.* Qui autem nec initium, nec finem habet, est æternus, quemadmodum æternitatis vocabulum de Deo sumitur (§. 65.); Filius unigenitus itaque æternus est eo sensu, quo Deus æternus est. *Sed æternus.*

§. 700.

Johannes *Filium Dei* describit *Apocal.* I. 8. tanquam illum, *qui est, & qui erat* (vel potius, *qui fuit*), *& qui venturus est.* Ex contextu evidens est Apostolum hic *Estque sempiternus.*

deliniare Dei Filium. Id, quod ex eo quoque facile colligitur. Is enim, qui dicit, *Ego sum* A *&* Ω, *primus & ultimus, dicit Dominus, qui est, qui fuit, qui venturus est*, de eodem Domnino dicitur vers. 7. *quod veniet cum nubibus, ut videret eum omnis oculus, qui eum transfixerit;* De solo autem Jesu in sacris affirmatur, quod veniet cum nubibus *Actorum* I. 11. & in illum quadrat solummodo locutio, & videbit eum omnis oculus, qui eum transfixit, quemadmodum præter alia S. S. dicta historia passionis docet. Adde, quod ipse ille, qui dicit versu 17. *Ego sum primus & ultimus* eodem tenore versu 18. pergat: *& qui vivo, sed fui mortuus.* Certo indicio hic loqui de soli Dei Filio quemadmodum quoque modo (§. 696.) ostendimus. Cum itaque extra dubitationis aleam positum sit, Johannem Filium Dei loquentem hæc verba introducere, quod sit is, qui est, qui fuit, & qui venturus est; & ex hoc dicto tanquam classico probetur Dei sempiternitas (§. 68.); Facile hinc colligitur **Dei Filii sempiternitas, quæ eadem cum sempiternitate Dei.**

§. 701.

Quæ hic notanda.

Ex iis, quæ hucusque de Filio Dei dicta sunt, & in sequentibus afferuntur, luculenter patet, nos sumere verba sacri codicis, quemadmodum ipsa secundum contextum simulque etiam secundum analogiam fidei accipi debent; Consequenter nos iis vim inferre nullam, nec ea detorquere in sensum alienum; Adeoque sensum, quem iis damus, esse genuinum, sacro codici, imo autori ejus videlicet Deo dignum. E contrario, qui alium iis sensum affingunt, licet anxie eum exornare, ac cum contextu combinare velint, evitare tamen nequeunt, quod non fa-

facili negotio eorum fictio atque falsitas detegatur: Etenim examine instituto vel recurendum est ad principium precario sumtum, vel connectione verborum vis est inferenda, vel sæpissime utrumque hoc simul occurrit. Velim hæc bene perpendant lectores codicis sacri, tunc ab omnibus errorum præcipitiis immunes incederent. Ceterum non minus ex singulis nostris propositionibus evidens est omnia attributa, quæ Dei Filio tribuimus eadem esse cum attributis ipsius essentiæ Divinæ sectione priori demonstratis.

§. 702.

Dei Filius non est compositus, sed simplex,

Numerus I. Filius Dei nec oriri (§. 699. *num.* III.), nec interire potest (§. *cit. num.* IV.). Verum enim vero ens compositum & oriri & interire potest (*Ontol.* §. 542.); Adeoque **Dei Filius** ens compositum esse nequit, sed quoniam necessario simplex est, quod compositum non est, necessario simplex esse debet.

nec extensus est.

Numerus II. Dei Filius non potest esse ens aliquod compositum, sed, ut simplex sit, necesse est *per demonst. num.* I. Ens vero simplex extensum esse nequit (*Ontol.* §. 675.); Ergo Filius Dei, scriptura magistra, extensus non est.

Quæ paragrapho 81. dicta sunt, hic non minus suo sensu valent. Bene porro notandum est, nos in toto hoc capite, de Filio Dei, solummodo de natura ejus Divina agere, hic nihil de natura ipsius humana dicentes; Adeoque quæ vel de tota Salvatoris persona, vel de natura ejus humana traduntur in sacris, hic tractari nec possunt, nec debent. Quod propterea annotamus, ne quis perperam in locis vel de tota persona Christi, vel de ejus na-

natura humana loquentibus, inveniſſe quid cenſeat, quod pueri in faba.

§. 703.

Eſt incorruptibilis, Filius Dei eſt ens ſimplex (§. 702. *num.* I.); Adeoque caret partibus (*Ontol.* §. 673.); Conſequenter fieri nequit, ut diſſolutione in partes exiſtere deſinet, ſicque intereat (*Ontol.* §. 541.). Cum vero incorruptibile ſit, quod diſſolutione in partes interire nequit (§. 83.); **Filius Dei incorruptibilis eſt.**

Vel etiam ſic. **FILIUS UNIGENITUS** ſimpliciter interire nequit (§. 699. *Num.* III.); Quamobrem nec fieri poteſt, ut diſſolutione in partes intereat; **incorruptibilis hinc eſt** (*Pſychol. ration.* §. 666.).

Cui demonſtratio indirecta magis arridet. Ponito Dei Filium eſſe corruptibilem. Fieri adeo debet, ut diſſolutione in partes intereat (*Pſychol. ration.* §. 666.); Hinc partes habere debet; Adeoque ſimplex non eſt: quod abſurdum (§. 702. *num.* I.); Conſequenter **qui non delectatur abſurdis, incorruptibilitatem Filii Dei admittere tenetur.**

§. 704.

& incorporeus, Dei Filius ad mentem ſacri codicis ens ſimplex eſt, omnis compoſitionis expers (§. 702. *num.* I.). Quamobrem cum corpus omne ſit ens compoſitum (*Cosmol.* §. 119.); **unigenitus Dei Filius corporeus non eſt, teſte ſcriptura.**

Vel quoque hoc modo. Juxta S. S. Filius Dei extenſus eſſe nequit (§. 702. *num.* II.). Corpora vero omnia extenſa ſunt (*Cosmol.* §. 122.); Quod extenſum non eſt,

est, corporeum esse nequit; Dei Filius igitur, teste scriptura, corporeus esse nequit.

Hic sola respicitur natura ejus Divina.

§. 705.

Quod simplex est, sensu percipi nequit, adeo ut ne quidem omnia composita sensu percipi possint (*Psychol. ration.* §. 99. & 100.). Quare cum Dei Filius sit ens simplex, nec compositus esse possit (§. 702. *num.* I.), sensu percipi nullatenus potest. Quod sensu percipi nequit, insensibile est (*Theol. natur.* §. 87.); Adeoque insensibilis est. *nec sensibilis, nec imaginabilis,*

Imaginationis vi producuntur perceptiones rerum sensibilium absentium (*Psychol. empir.* §. 92.), vel quales nobis erant, cum res sensu perciperemus (*Psychol. empir.* §. 91.), vel quatenus ex iis, quæ sensu antea percepimus, dividendo aut componendo quædam finguntur (*Psychol. empir.* §. 144.), & quod ita fingitur, ei objectum simile ars producere valet (*Psychol. empir.* §. 148.); Ut adeo sensu quoque percipi possit (*Psychol. ration.* §. 84.); Consequenter sensibile efficiatur (*Theol. natur.* §. 87.). Quicquid igitur insensibile est, idem nec imaginabile esse potest. Quamobrem cum Filius Dei insensibilis sit *per modo demonstrata*; nec imaginabilis esse potest.

§. 706.

Visus est species sensus (*Psychol. empir.* §. 67. & 69.); Consequenter visibilitas est species sensibilitatis & invisibilitas insensibilitatis. Quare cum Dei Filius insensibilis sit, necessario etiam est invisibilis. *neque visibilis est,*

§. 707.

Numerus I. Cum imago sit repræsentatio entis compo- *qui nec pingi nec sculpi po-*
si- *test,*

siti (*Psychol. ration.* §. 85.), & quidem, quod pingitur, in superficie (*Psychol. ration.* §. 88.), quod vero sculpitur, in solido repræsentetur (*Psychol. ration.* §. 89.); Dei Filius autem sit ens simplex, omnis compositionis expers (§. 702. *num.* I.); Nulla imago ejus possibilis est; neque adeo pingi aut sculpi potest.

potest tamen per figuras hieroglyphicas repræsentari.

Numerus II. Hoc tamen non obstante (§. 105.) docuimus Deum posse repræsentari per hieroglyphicas figuras, atque idem etiam ostendimus ex loco *Apocal.* V. 6. ubi loquitur *de agno mactato*, quod diximus quandam esse figuram hieroglyphicam Christi; Unde liquido constat extra dubitationis aleam positum esse, Filium Dei per figuras hieroglyphicas repræsentari posse.

§. 708.

Vis activa Filii Dei,

Scriptura magistra scimus Dei Filium esse ens simplex (§. 702. *num.* I.). Jam cum elementis rerum materialium tanquam entibus simplicibus (*Cosmol.* §. 182.), & animabus humanis tanquam entibus itidem simplicibus (*Psychol. ration.* §. 48.), vis quædam activa insit (*Cosmol.* §. 196. *& Psychol. ration.* §. 53.); Adeoque vis activa sit illud, quod duæ hæ entium simplicium species inter se diversæ tamen commune habent; Quin omni enti simplici vis quædam activa competat, dubitandum non est (*Ontol.* §. 232. & 234.). Filius Dei igitur vi quadam activa gaudet

Qualis sit hæc vis activa, quidem in ipsa propositione non definitur, sed demonstratur eandem ei esse essentialem, minime vero accidentalem. Id, quod hic sufficit, quia ex sequentibus patebit, quod illa sit Divina; Quando enim demonstravimus Filium Dei esse verum Deum, hoc

hoc per se sequitur, immo sequente §. 710. patebit in antecessum, quod Divina sit, quia unigenitus Filius tale ens simplex est, quod nec oriri, nec interire potest; Adeoque ens a se, seu verus Deus est. Cavendum itaque erit, ne per præcipitantiam ad Filium Dei transferatur, quæ de vi activa finita, quæ experimentis nostris subjacet, & cujus in nobis ipsis ideam habemus, in Ontologia ab Exc. Baroni Imperii Germanici Dno. *de Wolfio* demonstrata & ad elementa rerum materialium in Cosmologia, ad animas nostras in Psychologia rationali applicata fuere. Quodsi enim inconsulta applicatione quis inciderit in errores manifestos præcipitantiam suam accuset, minime vero notionum alibi rite explicatarum falsitatem crepet.

§. 709.

Ipse Redemtor noster *Joh.* V. 17. de se affirmat, quod continuo actuosus sit, his verbis: *Pater meus usque modo* (seu *ad hoc ipsum tempus usque*) *operatur, & ego operor.* Ex his verbis evidenter patet Deum Patrem continuo actuosum esse (§. 111.). Quare cum Dei Filius de se testetur, se operari, & quidem ita, ut (versu 19.) *quæcunque ille facit, hæc etiam Filius pariter faciat;* liquido constat Filium Dei pariter ac Patrem continuo actuosum esse, & quia ei vis activa est essentialis, non accidentalis (§. 708.), continuo agit sua essentia. *& continua actuositas demonstrata.*

§. 710.

Sectione priori, de Deo in genere agentes, vim activam Deo propriam ex ejus continua actuositate intulimus (§. 113.), quia hæc, quantum scio, nullus negat hoc dicto sacri codicis inesse. Contrarium vero reperitur, quando evolvimus interpretes hujus loci, præsertim eos, qui nolunt Filium Dei esse revera verum Deum. Hi enim *Quæ hic notanda.*

negant ipsum vi propria agere, & vim activam ei esse essentialem. Hoc vero, ut pateat, ejus vim activam ex ejus simplicitate collegimus; Consequenter eadem ipsi essentialis est. Cum porro ejus simplicitas demonstrata sit ex eo, quod ortus atque interitus eidem repugnet (§. 702. *num.* I.); Vis activa illi competit, tanquam ens ortus atque interitus expers. Quod autem oriri ac interire non potest, est ens a se; Adeoque vis activa ei convenit, quia est ens a se, hoc est, quia est verus Deus (§. 21,). Adeoque qui propositionem (§. 708.) datam resolvit usque ad primum suum principium, facillime detegit, quale ens simplex Dei Filius sit, scilicet, quod, quia oriri & interire nequit, a se est, seu essentiam habet Divinam. Quare & vis activa, qua pollet, tanquam ens simplex, est vis activa entis a se, seu quod essentia gaudet Divina; Consequenter & vis activa Deo essentialis eadem esse debet, qua pollet Dei Filius. Ex his itaque evidens est, quod verba Christi per Johannem recensita non solum continuam actuositatem Dei, sed & simul Filii ejus probent, quia Filius eandem possidet vim activam sibi essentialem, quam habet ipse Deus. Hoc propterea acuratius discussimus, quia deinde de operibus Filii Dei agentes, certi esse debemus, eundem agere vi propria non aliena, ut inde legitime colligere queamus opera, quæ Dei Filio tribuuntur revera esse Divina, eique essentialia, eosque a vero aberrare, qui Divinitatem operum horum ipsi essentialium negare non erubescunt.

§. 711.

Dei Filius vivit. Vita, cum consistat in continua actuositate alicujus entis (*Theol. natur.* §. 108.) Filius autem Dei continuo actuosus sit (§. 709.); Eundem **vivere**, evidens est.

Ita

Ita etiam ipse noster Salvator apud *Johannem* cap. V. 26. *Sicut enim Pater*, inquit, *habet vitam in seipso, sic dedit & Filio habere vitam in seipso.* Hic disquirere nolumus, an loquatur de vita Patri atque Filio essentiale, an vero de potestate aliis vitam largiendi? licet posterior sententia contextui potius conveniat priori, nobis tamen id perinde est. Etenim si prior sententia amplectitur vita Filii Dei disertis probatur verbis; si posterior, eadem legitima hac consequentia infertur. Qui habet potestatem aliis largiendi vitam, is in eos actuosus est; Filius Dei habet potestatem largiendi vitam aliis. Ergo in eos actuosus est. Actuositas Filii Dei cum sit continua atque eidem essentialis (§. 710.), & in ea consistat vita (*Theol. natur.* §. 108.); Dubium nullum super est, quin vivat.

Utramque dedimus demonstrationem, quia posterior a quibusdam potuisset in dubium vocari, inprimis cum prolixiore demonstratione indigeremus, quis horum verborum sit genuinus sensus, qua tamen facta priori demonstratione opus non habemus. Veritas enim ex ea liquido constat, nec negari potest, nisi ab iis, qui evidentiam reliquarum demonstrationum, a quibus hæc dependet, abnuunt, certo indicio eosdem nolle agnoscere Deitatem Filii, sed potius malle verba S. S. in alienum detorquere sensum, sicque potius velle injurii esse & in revelationem & in rationem, quam confiteri immotam veritatem. Ceterum hæc propositio exemplo esse potest, quomodo veritas ex locis non classicis, vel saltem pro iis non habitis, quia de sensu eorum adhuc litigatur, erui debeat secundum analogiam fidei, sensusque eorum certus atque immotus conficiatur. Immo ex hucusque dictis, ac posthac dicendis luculenter patebit rationem non solum non dissentire a re-

revelatione, aſt potiùs amice conſentire etiam in ipſo myſterio de S. S. Trinitate nihil inveniri, quod huic contrarietur; Conſequenter hoc myſterium merito a nobis in ſyſtema veri nominis redigere potuiſſe, & debuiſſe, ſi de veritate ejusdem certo certiores eſſe, atque abyſſus errorum evitare, errantibusque ſolide reſpondere velimus. Denique, quæ (§. 118.) dicta ſunt, hic applicari debent.

§. 712.

Vita ejus eſt independens.

Ex loco Johanneo cap. V. 26. demonſtravimus (§. 120.) Vitam Dei eſſe independentem ab omni ente alio. Quare cum (§. 711.) evicte docuerimus ejus ſenſum per analogiam fidei jam certum atque immotum factum eſſe; Adeoque eum probare vitam Filii Dei; Extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt **Filium Dei independenter ab omni ente alio præter Deum exiſtente vivere.** Dicit enim *ſicut Pater habet vitam in ſemetipſo*, ὕτως ἔδωκε καὶ τῷ Υἱῷ ζωὴν ἔχειν ἐν ἑαυτῷ *ſic dedit & Filio vitam habere in ſemetipſo.* Quamobrem cum Chriſtus hoc ipſo Deum viventem diſtinguat a viventibus omnibus ceteris, quod vitam habeat in ſeipſo, non habens rationem illius in rebus externis, ſed in ſe, ſuaque eſſentia, non aliud docere potuit, quam quod Deus vitam habeat independenter ab omni ente alio. Addit vero Patrem ſibi dediſſe habere vitam in ſemetipſo, quemadmodum & ipſe hanc habet in ſemetipſo; Conſequenter eo probat, ſe eodem modo, ac Pater a cunctis viventibus ceteris diſtinctum eſſe, quod in ſemetipſo vitam habeat, nec habere ejus rationem in rebus extra Deum exiſtentibus, ſed in ſua propria eſſentia, ſeu vitam ſuam habere independenter ab his.

Jam non quærimus, an Dei Filius vitam non habeat a Pa-

Patre, quod & ipse his verbis affirmat, sed hic solummodo agitur de essentia ejus, non vero de modo habendi hanc essentiam; Adeoque hic nobis sufficit ostendisse Filio Dei vitam essa ita essentialem, ut eam a nullo ente alio, quam ab essentia Divina acquirere potuerat, nec illum ulla re alia extra Deum egere cum ad vitam accipiendam, tum ad eam conservandam. Hoc propterea monere libuit, ne quis perperam hanc propositionem applicet modo habendi essentiam Divinam Filii, sicque vel suo proprio vitio in errorem incidat, vel in veritatem injurius evadat.

§. 713.

Filio Dei competit intellectus.

Apostolus disserte affirmat I. *Corinth.* II. 16. Ἡμεῖς δὲ νοῦν Χριστοῦ ἔχομεν. *Nos vero intellectum Christi habemus.* Per vocabulum νόος sive νοῦς *intellectus* denotatur, sive facultas sibi res distincte repræsentandi (§. 128.); **Filio Dei itaque tribuitur intellectus, qui est facultas sibi repræsentandi res distincte.**

Modo demonstravimus Dei unigenito Filio competere intellectum. Qualis vero ille sit, num finitus, numne infinitus? ex his verbis colligi nequit. Saltem certum est per eum intelligi debere facultatem sibi repræsentandi res distincte. Interim tamen bene perpendendum, non dici: Nos habemus intellectum æqualem seu parem intellectui Christi, sed solummodo, nos habemus intellectum Christi; Adeoque concludi nequit ex his verbis, an intellectus humanus ei Christi par sit, nec ne. Quod vero magna inter utrumque intercedat differentia ex subsequentibus patebit liquido, consimiliter paragrapho sequente constabit ejus intellectum non esse facultatem, sed actum purum.

§. 714.

Quo sibi repræsentat totum mundum.

Numerus I. Disserte asseveratur de Dei Filio *Hebr.* I. 10. *Tu in initio Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli.* Stylus codici sacro usitatus cœlum terramque recensет, per quæ intelligit mundum (§. 6.), seu omnes res præter Deum existentes; Ex his itaque facile intelligitur, Filium Dei omnia præter Deum existentia creavisse. Quamobrem cum Petrus Christo querente, num se amaret? respondeat: *Domine, tu omnia nosti, tu nosti, quod amem te;* eo ipso doceat, quod Christus, quem Deum esse agnovit, *Matth.* XVI. 16. *Joh.* VI. 69. I. *Joh.* V. 5. omnia cognosceret, & inde concludat, illum non minus cognoscere, quod eum in præsenti amaret, & quidem eo ipso momento, quo eum rogaret, an amaret ipsum; Affirmat Filium Dei totum hunc mundum, seu omnia ab ipso creata, id est omnia præter Deum existentia sibi distincte tanquam momento dato repræsentare.

Intellectus ejus puritas,

Numerus II. Dei Filius, testibus Apostolis, omnia cognoscit distincte (§. 713. 714. *Num.* I.); Consequenter nihil obscure; Adeoque multo minus quidpiam obscuri ideis atque notionibus ejus admiscetur (*Psychol. empir.* §. 32.). Quare cum intellectus purus sit, si notioni rei, quam habet, nihil confusi admiscetur, nihilque obscuri (*Psychol. empir.* §. 313.); Intellectus Filii Dei, Apostolis magistris, purus est, quatenus notioni rei, quam habet, nihil confusi, nihilque obscuri admiscetur.

limitum remotio,

Numerus III. Dei Filius cognoscit omnia, testibus Apostolis, *Joh.* XVI. 30. *conferatur Num.* I. Atque adeo

ni-

nihil poni potest tanquam cognoscibile, quod non sit eidem notum. Unde liquet intellectum ejus non limitari quoad objectum (*Ontol.* §. 468.). Jam porro *Pontifici magno Jesu Filio Dei omnia nuda ac resupina sunt*, *Hebr.* IV. 13. 14. hoc est, objectum unum, quod hic sibi repræsentat, non potest obstare, quo minus percipiat alterum. Unde porro liquet, ipsius intellectum non limitari quoad modum repræsentandi objectum (*Ontol.* §. 468.). Quoniam itaque limitari aliter haud quaquam potest, nisi quoad numerum objectorum & quoad modum repræsentandi objectum; Intellectus Filii unigeniti illimitatus est, quatenus nec quoad numerum objectorum, nec quoad modum repræsentandi objectum limitari potest.

Numerus IV. Cum porro ens finitum necessario limitatum sit (*Theol. natur.* §. 173.); Fieri nequit, ut illimitatum finitum sit (*Ontol.* §. 28.). Ergo intellectus unigeniti Filii, qui illimitatus est *per demonstr. Num.* III., finitus esse nequit. Intellectus itaque ejus est infinitus. *infinitudo*,

Numerus V. In intellectu infinito sunt omnia simul, quæ eidem actu inesse possunt (*Ontol.* §. 838.). Quamobrem cum intellectus Filii Dei sit infinitus *per demonstr. Num.* IV. In intellectu ejus ideæ rerum omnium simul sunt. Quicquid igitur Cognoscibibile a Dei Filio simul, seu actu unico agnoscitur. *simultaneitas.*

Numerus VI. Intellectus finitus successive cognoscit ea, quæ ipsius vi actu cognosci possunt (*Ontol.* §. 837.). Quamobrem ens intellectu finitio præditum, quale est anima nostra, cum habeat ideam intellectus sui, quatenus sibi sui ip- *Incomprehensibilitas*,

ipsius conscium est (*Psychol ration.* §. 12.), non habet ideam claram nisi successivæ repræsentationis possibilium. Et quia successivam cognitionem possibilium prorsus distinctam esse minime posse constat (*Theol. natur.* §. 160.); In intellectu finito nec distincta prorsus possibilis alicujus repræsentatio locum habet. Patet igitur intellectum finitum non habere ideam nisi repræsentationis non prorsus distinctæ, aut, si mavis, inadæquatæ (*log.* §. 95.). Verum enim vero intellectus Filii Dei est repræsentatio distincta *per demonstr. Num.* II. & simultanea omnium possibilium *per demonstr. Num.* V. Finitus adeo intellectus non habet ideam istiusmodi possibilium repræsentationis, qualis in Dei Filio datur; Consequenter modum, quo is sibi possibilia repræsentat, sibi clare repræsentare nequit (*Psychol empir.* §. 48.). Est igitur Dei Filio intellectus enti finito, hinc & homini incomprehensibilis.

perfectio, *Numerus* VII. Intellectus perfectissimus est, qui sibi omnia distincte repræsentat (*Psychol. ration.* §. 647.). Quoniam itaque ab intellectu Filii Dei omnia distincte repræsentantur *per demonstr. Num.* II. Intellectus Filii Dei perfectissimus est.

magnitudo, *Numerus* VIII. Quoniam intellectus Filii unigeniti perfectissimus est *per demonstr. Num.* VII. Intellectus vero perfectissimus, omnium maximus seu absolute summus est (*Psychol. ration.* §. 648); is omnium maximus seu absolute summus est.

immensitas, *Numerus* IX. Intellectus Dei Filii prorsus illimitatus est *per demonstr. Num.* III. Cumque idem omnium sit maximus, seu absolute summus *Num.* VIII.; Non concipi po-

poteſt intellectus illimitatus, qui non ſit idem cum ipſo; Conſequenter intellectus illimitatus, qui omni finito incomprehenſibilis (*Theol. natur.* §. 170.) non poteſt ſumi pro menſura, ubi illimitatum metiri volueris, idem omnino facturus cum eo, qui diſtantiam ſolis a terra determinaturus, eandem diſtantiam pro menſura aſſumeret & quærenti, quanta ſit, reſponderet, eam eſſe tantam, quanta eſt diſtantiæ iſti æqualis, nobis ignota. Jam omnis intellectus, qui præter Divinum illimitatum concipi poteſt, limitatus eſt (*Ontol.* §. 53.). Verum enim vero cum fieri nullo modo poſſit, ut intellectus limitatus, quotiescunque tandem ſumatur, degeneret in illimitatum (*Theol. natur.* §. 175.); Intellectus limitatus quicunque illimitato heterogeneus eſt (*Ontol.* §. 364.); Adeoque pro menſura illimitati aſſumi haud quaquam poteſt (*Ontol.* §. 441.); Intellectus Filii Dei menſuram omnem reſpuit; Conſequenter immenſus eſt (*Theol. natur.* §. 41.).

Et caret ſenſu & imaginatione,

Numerus X. Intellectus Filii Dei ad mentem ſacri codicis purus eſt eo videlicet ſenſu, quo *Num.* II. demonſtravimus. Enimvero intellectus eo ſenſu purus a ſenſu atque imaginatione liber eſt (*Pſychol. empir.* §. 314.). Ergo intellectus ejus a ſenſu & imaginatione liber eſt.

eſtque actus non facultas.

Numerus XI. Cognoſcit Dei Filius omnia unico actu, ſive ſimul *per demonſtr. Num.* V. Adeoque nulla ipſi poſſibilis eſt cognitio, quæ non actu in eodem detur. Quoniam igitur facultas cognoſcendi eſt potentia activa (*Ontol.* §. 716.), atque adeo non niſi agendi poſſibilitatem denotat (§. *citato.*); Juxta S. S. in Dei Filio nulla datur facultas cognoſcendi, ſed intellectus purus actus eſt.

Prolixiores fuimus in tradendis iis, quæ ad intellectum Filii Dei pertinent, minime ad oſtentationem, multo minus ad defatigandos Lectores, aſt ad detegendam maximam, quæ hominem inter & Filium Dei, intercedit differentiam, ita ut omnis, qui Deitatem benedicti hujus agnoſcere recuſat, in ruborem conjiciatur, vel ſaltem ſuum peſſimum agnoſcere poſſit errorem, & quanta ſit ejus in ipſum Deum injuria, ſciat. Ceterum eodem modo probari poſſet Filio Dei competere rationem Divinam, niſi metuamus Lectoris Benevoli defatigationem, quam abhorremus, inprimis ubi vel mediocriter acutus Lector, ex iis, quæ de ratione Divina dicta ſunt, id facillime ſupplere poteſt. Denique monita circa intellectum Dei, Divinamque rationem, una cum refutatis erroribus hic mutandis mutatis valent.

§. 715.

Filius Dei eſt omniſcius.

Filium Dei ſcientia pollere extra dubitationis aleam poſitum eſt iis, qui Euangeliſtas legerunt, ubi tot exempla docent eundem certo certius demonſtraſſe, quæ affirmavit vel negavit. Scientia cum nitatur demonſtratione (*Logic.* §. 594.); Adeoque nos ſucceſſive ratiociniorum concatenatione ad eandem perveniamus (*Logic.* §. 551. *ſeqq.*), Dei Filius vero, ſcriptura magiſtra, omnia cognoſcat ſimul, ſeu actu unico (§. 714. *Num.* V.), neque is demum opus habeat, ut unum ex altero colligat; Scientia eminenter eidem ineſt (*Ontol.* §. 845.). Et quia juxta S. S. non minus intellectus ipſius, quam quoque ratio, qua univerſalium veritatum nexum perſpicit (*Pſychol. empir.* §. 483.), illimitata eſt (§. 714. *Num.* II.); Scientia ejus ad omnia extenditur, ut adeo ipſi, ſacro codice non invito, tribuenda ſit ſcientia omnium univerſalium & ſingularium per eminentiam. Quamobrem cum omniſcien-

tia

tia non sit nisi scientia omnium cognitu possibilium, tam singularium, quam universalium (*Theol. natur.* §. 301.); Filium Dei esse omniscium, qui scientia omnium cognitu possibilium, tam singularium, quam universalium, seu, quæ in se talia sunt, ut cognosci possint, pollet.

§. 716.

Ex his evidens est, Filio Dei ad mentem sacrarum literarum omniscientiam esse tribuendam; Adeoque quando Petrus *Joh.* XXI. 17. Κύριε, inquit, σὺ πάντα οἶδας, σὺ γινώσκεις ὅτι φιλῶ σε, *Domine, tu omnia scis, tu nosti, quod amem te.* Et omnes Apostoli simul testantur *Joh.* XVI. 30. Νῦν οἴδαμεν ὅτι οἶδας πάντα, *nunc scimus, quod scias omnia.* Eo ipso nihil aliud docet, quam hunc Dominum esse omniscium. Hoc itaque exemplo ostenditur, quomodo per analogiam fidei sensus verborum S. S. certus atque immotus reddatur. *Quæ hic notanda, simulque exceptionibus occurritur.*

Objicitur quidem *Lucæ* II. 40, ubi dicitur: *Puerulus autem crescebat, & corroborabatur Spiritu, implebaturque sapientia*, & de eodem puerulo versu 52. legitur: *Jesus vero proficiebat sapientia & statura &c.* Sapientia cum sit scientia constituendi fines optimos, atque eligendi media, quæ certo & via brevissima ad eundem ducunt, & quibus finem ex asse consequi datur (§. 401.); Sapientiæ incrementum præsupponit incrementum scientiæ. Ergo Jesus crescebat etiam scientia. Ergo nec omniscius est. Qui primis labris degustavit dogmata, quæ sacræ paginæ de Jesu Christo tradunt, ei nec ignotum esse potest, quod huic tribuatur cum natura Divina, tum humana. Qui porro contextum intuetur, primo momento videt Jesum hic describi puerulum structura crescentem,

quæ locutio non nisi de humana ejus natura accipi potest. Etenim propterea, quod humanam suam naturam ex Virgine Maria assumsit, puerque reliquorum hominum instar natus, instarque eorum structura corporis, sapientia atque scientia crevit; Adeoque abunde patet, de natura Salvatoris humana hic solum agi. Verum enim vero I. *Joh.* V. 20. Hic ipse Jesus ἀληθινὸς Θεὸς *verus ille Deus* nuncupatur. Ergo quando Apostoli Christo omniscientiam tribuebant, eandem ei tanquam vero Deo competere affirmabant, quia is ipsis ut *Filius Dei viventis* cognitus erat *Matth.* XVI. 16, eique hoc sensu omniscientiam tribuendam esse (§. 715.) demonstravimus. Igitur cum sacro codice Christo tribuimus incrementum scientiæ quoad naturam suam humanam, quoad Divinam autem eidem tanquam vero illi Deo competit omniscientia. Unde simul liquet, cui naturæ tribui debeant ea, quæ ignorasse dicitur Filius hominis.

§. 717.

Filio Dei competit voluntas liberrima.

Filius Dei *Joh.* XVII. 24. ait: Πάτερ, ὃς δέδωκάς μοι, θέλω ἵνα ὅπου εἰμὶ ἐγὼ, κἀκεῖνοι ὦσι μετ' ἐμοῦ. *Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi sum ego, & illi sint mecum.* Vocabulum θέλειν & θέλημα denotare *voluntatem liberam*, qua ex pluribus æque possibilibus eligitur, quod placet (§. 132.), evidenter demonstravimus. Quare cum Filius Dei dicat, θέλω *volo*, certo certius est, eum sibi attribuere voluntatem liberam, qua sponte ex pluribus possibilibus elegit, quod ipsi placet.

Differentia voluntatis Filii Dei, quatenus verus Deus est, a voluntate nostra, omniumque entium finitorum patebit deinceps (§. 725.).

§. 718.

§. 718.

Dei Filius eſt ens, ſcriptura magiſtra, intellectu (§. 713.) & voluntate libera præditum (§. 717.). Verum enim vero ens intellectu atque voluntate libera gaudens Spiritus eſt (*Pſychol. ration.* §. 643.). Dei Filius, igitur, teſte S. S., Spiritus eſt. *Is eſt Spiritus.*

Hic & in reliquis convenit relegere, quæ ſectione priori de Deo in genere notata ſunt, quia mutatis mutandis hic applicari quoque poſſunt, ac debent. Unde cavetur, ne judicium, qualis Spiritus Dei Filius ſit, præcipitetur.

§. 719.

Numerus I. *Chriſtus* aſſerit ſe *nobiſcum eſſe omnibus diebus usque ad conſumationem ſeculi Matth.* XXVIII. 20. hoc eſt, quamdiu hic mundus erit, & quidem non in uno loco hujus telluris, ſed ubivis locorum, *ubi duo vel tres congregati ſunt in nomine ejus, illic eſt in medio eorum Matth.* XVIII. 20, idemque ſimul in cœlo eſt. *Nullus enim aſcendit in cœlum*, ipſe Jeſus ait *Joh.* III. 13, *niſi qui deſcendit e cœlo* (nimirum), *Filius hominis, qui eſt in cœlo.* Filius hominis, hoc eſt, Chriſtus Jeſus de ſe ipſo aſſeverat, quod ſit ſolus ille, qui deſcendit e cœlo, & aſcendet in cœlum, & tamen in cœlo eſſe quatenus ſcilicet ſimul eſt Filius Dei: Alias enim contradictorium foret, hominem nudum, qui eſt in terra, ſimul eſſe in cœlis; Adeoque ſemper in cœlo eſt, eſt etiam quamdiu hic mundus erit, tamdiu ubivis locorum in eodem. Quamobrem cum cœlum & terra, ſtylo codici ſacro proprio mundum (§. 6), ſeu omnes res creatas denotet; Evidens eſt, Filium Dei omnibus rebus creatis, ſeu omnibus entibus præter Deum exiſtentibus, ſemper præſentem eſſe. Verum enim vero illa præſentia, quæ ad omnia entia a ſe diverſa *Dei Filius omnipræſens,*

ſeſe extendit, omnipræſentia eſt (§. 157. & *Theol. natur. part.* I. §. 1054.); Filius Dei itaque omnipræſens eſt. Quatenus vero (ſecundum naturam ſuam Divinam, de qua in toto hoc capite ſolum agitur,) ens ſimplex eſt (§. 702. *num.* I.), absque ſubſtantiæ ſuæ multiplicatione & diffuſſione totus præſens eſt toti mundo adſpectabili, atque totus præſens eſt ſingulis ejus partibus; Ut adeo nullum concipi poſſit ens tanquam actu exiſtens, cui totus non præſens eſſe intelligatur.

ſed illocaliter, *Numerus* II. Subſtantia ſimplex in loco eſſe nequit (*Theol. natur.* §. 1033.). Quare cum Dei Filius ſit ens ſimplex omnis compoſitionis expers, ſcriptura magiſtra (§. 702. *Num.* I.); is ad mentem S. literarum in loco eſſe nequit, ſeu localiter præſens non eſt (*Theol. natur.* §. 1037.); ſed illocaliter (*Ontol.* §. 53.).

& localis motus eidem repugnat. *Numerus* III. Dei Filius omnipræſens eſt, ſeu omnibus omnino rebus ita præſens eſt, ut nullum ens concipi poſſit tanquam exiſtens, quin ei indeſinenter absque ullo dubio præſens ſit, quemadmodum *Num.* I. demonſtravimus ex S. S. Verum enim vero motus conſiſtit in continua loci mutatione (*Ontol.* §. 642.), qua interveniente, corpus aliquod ſucceſſive aliis aliisque corporibus præſens ſiſtitur. Filius Dei tanquam ens ſimplex ſe movere nequit, ſive, teſte ſcriptura, omnis motus eidem repugnat.

Ex eodem principio, ex quo errores circa illocalitatem Dei (§. 160.) & localem motum ejus refutavimus (§. 162.), ex hoc ipſo ruit etiam omnis error circa præſentiam Dei Filii, quia illocalitas hujus, ejusque illocalis motus ex iisdem

dem principiis demonstrata, ex quibus ea Dei constat.

§. 720.

Creatio Filio Dei tribuitur.

Diserte inquit Apostolus Deum ad Filium suum dixisse *Hebr.* I. 10. Σὺ κατ' ἀρχὰς, Κύριε, τὴν γῆν ἐθεμελίωσας, καὶ ἔργα τῶν χειρῶν σου εἰσὶν οἱ οὐρανοί. *Tu in initio, Domine, terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli.* Toties hæc verba attulimus pro demonstrandis attributis Divinis Filii Dei, quia censemus ex connectione quemcunque certo certionem esse eadem de nullo alio accipi posse, quam de nostro Redemtore. Ne vero se quis decipi patiatur ab interpretibus frivolis, qui nolunt Dei Filium verum esse Deum; hinc negant de eodem ea sumenda esse, breviter connectionem ipsam intueri placuit. Apostolus probat Dei Filium longe præcellere angelis versu 4, & id, in quo hic præstantior est illis, recenset versu 5. & 6. Porro quid angeli sint, refert versu 7; quid vero Deus ipse in veteri fœdere ad Filium suum dicat, docet versus 8---13; Adeoque hic versus 10. est inter eos, in quibus commemoratur, quanto excellentior Dei Filius præ angelis sit, seu de eodem dicitur. *Tu in initio &c.* Quare cum his verbis creatio mundi, seu rerum omnium creatarum (§. 6.), id est, quicquid præter Deum existit (§. 449.), significetur (§. 10.); His ipsis S. S. verbis confirmatur Filium Dei totum creavisse mundum, seu quicquid præter Deum existit eundem produxisse.

Idem etiam docet Johannes cap. I. 3. Πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο. Καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἓν ὃ γέγονεν. *Omnia*, inquit, *per hoc facta sunt, & absque eo factum est nihil, quod factum.* Nullus dubitat Euangelistam hic de λογῷ *verbo* loqui, quia aliud substantivum, quo relativum αὐτὸς *hic* refer-

ferri possit, non datur. Τὸν λόγον *verbum* Johanni Christum Dei Filium esse, in aprico est; Adeoque Euangelista affirmat omnia per Christum Jesum Dei Filium facta esse, & absque eo nihil esse, quod factum est. Nisi quidam Sociniani & speciatim *Enidinus* falsitate hypothesium domesticarum obtenebratam mentem gerant, ut potius in ipso sole caligare. quam veritatem agnoscere velint, hæc verba ita detorquere non possint: Nimirum, quod homines, qui regenerantur, per Christum regenerentur, & nullus sine eo regeneretur. Verum quidem hoc est, omnes, qui unquam regenerantur, per ipsum regenerari; Ast quis hanc interpretationem horum verborum Johannis extorquere posset, nisi qui nollet Jesum esse verum Deum? A sensu enim proprio hic absque ulla alia ratione ab iis non receditur, quam quia negant Christum esse verum Deum. Quoniam vero S. S. contrarium docet, uti ex toto hoc capite luculenter patet; Evidens est, hanc eorum rationem, cui nituntur a propria significatione verborum recedere aliis S. literarum locis classicis contrariari; Adeoque eorum interpretationem erroneam esse (*Logic.* §. 976.). Non igitur recedendum est a sensu verborum proprio, quibus nihil aliud affirmatur, quam omnia per Christum qua Filium Dei facta esse, & nihil sine eo factum esse, seu per eundem ita omnia creata esse, ut nihil sine eo creatum sit; quicquid igitur creatum est, per Christum qua Filium Dei creatum est.

§. 721.

Quæ hic notanda.

Joh. I. 3, similiter *Coloss.* I. 16. & alibi dicitur creationem per Christum factam esse; Unde Sociniani statim inferunt, Christo creationem tribui tanquam soli causæ instrumentali. Error hic facile detegitur: Nam particula

διὰ *per* non semper causam instrumentalem denotat, sed & causam sæpissime inuit principalem, veluti I. *Corinth.* I. 9. 10. *Gal.* I. 1. &c. Hinc minime sequitur Jesum non nisi causam creationis esse instrumentalem, quia dicitur creationem *per* ipsum factam esse; Apostolus e contrario expressis ipsius Dei ad Filium suum factis verbis *Hebr.* I. 10. affirmat, eundem creationis esse causam principalem, qui totum creavit mundum, quemadmodum (§. 720.) evicimus. Quando itaque dicitur omnia per Christum facta esse, eo docemur & ipsum Dei Filium una cum Patre causam creationis esse principalem, & particula διὰ *per* illi alteri ἐξ *ex* contradistincta, nihil aliud denotare potest, quam quod unus idemque creationis actus per particulam διὰ Filio, per eam vero ἐξ Patri tribuatur, qui inter se differunt (§. 650.).

Ex dictis evidens est, quomodo loca S. S., ubi creationis actus describitur addita vel particula διὰ, vel ea ἐξ, sint explicanda, sed de hac re in hermeneutica ex instituto ajendum erit.

§. 722.

Dei Filius creavit mundum (§. 720.); Consequenter in eodem, ut contineatur ratio sufficiens existentiæ mundi hujus adspectabilis, necesse est (*Psychol. ration.* §. 697. & *Ontol.* §. 56.). Quoniam vero per rationem sufficientem intelligitur, cur quid potius sit, quam non sit (*Ontol.* §. *citato.*), per ea, quæ Dei Filio insunt, intelligitur, cur hic mundus existat. Verum enim vero is contingens est (*Theol. natur.* §. 55.); Unde non impossibile est hunc mundum adspectabilem cum elementis suis exi-

Qualia Dei Filio tribuenda prædicata.

ſtere (*Theol. natur.* §. 57.). Quamobrem per ea, quæ unigenito Filio inſunt, intelligi poteſt, cur is cum elementis ſuis potius exiſtat, quam non. Jam & alii mundi poſſibiles ſunt. Per ea igitur, quæ Filio Dei inſunt, intelligitur, cur hic adſpectabilis mundus cum elementis ſuis potius, quam quispiam alius exiſtat. Quare patet talia, ſcriptura magiſtra, Dei Filio tribuenda eſſe prædicata, ut per ea intelligi poſſit, cur potius hic exiſtens mundus exiſtat, quam alius, ſimulque cur potius exiſtat, quam non una cum ſuis elementis.

Ecce eandem ſcalam eſſe, qua ad Dei Filium, quam qua ad ipſum aſcenditur Deum. Etenim ipſa Deitas cognoſcitur intuitu mundi hujus adſpectabilis (§. 124.), & non minus hic ipſe mundus, ſcriptura non invita, nos docet, qualis ſit eſſentia Filii Dei. Ne miremini, Benevoli Lectores, vobis propoſitam eſſe eandem ſcalam aſcendendi ad ipſam Deitatem, quam jam oſtendimus eſſe metam perveniendi ad agnitionem Filii Dei. Alia dari nequit ad mentem ſacri codicis, quoniam is docet hunc eandem habere eſſentiam numericam, quæ eſt toti Deitati, ſive ſi magis placet, omnibus tribus, qui dicuntur Deus quemadmodum evidenter ex hac ipſa ſectione patebit. Id, quod maximi momenti eſt, cum ut ſciamus, quomodo omnia ea, quæ revelatio de his tribus docet, ſint explicanda, ut veritas luce meridiana ſplendeat, errores-que cuncti ſuapte corruant, tum, ut de ipſa veritate ardua, nimirum de doctrina S. S. Trinitatis certi reddamur. Et hæc ſola ratio eſt, cur in disqueſitione de attributis eſſentiæ Divinæ Filii Dei deſudamus, ne quid dubii aut incerti remaneat in hac ſalutari doctrina.

§. 723.

§. 723.

Dei Filio competit vis activa (§. 708.), per quam continuo actuosus est (§. 709.), eidemque talia sunt tribuenda prædicata, quæ postulantur, ut intelligatur, cur hic mundus existens una cum elementis suis potius existat, quam non (§. 722.); Consequenter vis, quæ Dei Filio inest, docente sacro codice, talis est concipienda, qualis requiritur, ut intelligatur, cur mundus hic adspectabilis & elementa ejus potius existat, quam non, & cur hic potius, quam quispiam alius existat. *Qualis Dei Filio competat vis.*

Jam evidens est, qualis sit vis Filii Dei tanquam Dei. Ceterum quæ (§. 127.) dicta sunt, hic rimari merentur.

§. 724.

Dei Filius, teste scriptura, creavit mundum hunc (§. 710.) seu eum elegit & produxit. Verum enim vero quæ de motivis voluntatis Dei dicta sunt, ex electione atque productione hujusce mundi intulimus (§. 251. *seqq.*); quæ itaque de motivis voluntatis Divinæ demonstrata sunt, eadem etiam ad mentem S. paginarum de voluntatis Filii Dei motivis rata sunt. *Motiva voluntatis Filii Dei.*

Quod Lector acutus per se applicare potest, ne simus prolixi, ubi necessitas idem non urget.

§. 725.

Numerus I. Teste scriptura, Dei Filius semper idem est (§. 699.), & omnia cognoscit simul (§. 714. *Num.* V.); Adeoque nihil ipsi est cognoscibile, quod non semper actu cognoscat. Verum enim vero ipse est æternus (§. 699. *Num.* VI.). Quamobrem ab æterno cognoscit, quod ei *Voluntas Filii Dei est æterna,*

cognoſcibile; Conſequenter omnia cognoſcit ab æterno. Quoniam porro omnia cognoſcit diſtincte, nihil prorſus confuſe (§. 714.), & quod ſemetipſum cognoſcat, extra dubitationis aleam poſitum ſit; Quod tanquam ſibi appetibile vel averſabile cognoſcit, ab æterno tanquam tale agnoſcere debet. Enim vero quamprimum quodpiam tanquam appetibile vel averſabile cognoſcitur, illud quoque cognoſcens appetit vel averſatur (*Theol. natur.* §. 318.). Neceſſe eſt igitur, quod Dei Filius vult, id ab æterno velit; quod non vult, ab æterno nolit.

multanea,

Numerus II. Filius unigenitus omnia vult ab æterno *per demonſtr. Num.* I., Conſequenter ut in tempore quid velit, impoſſibile eſt. Verum enim vero tempus cum ſit ordo ſucceſſivorum in continua ſerie (*Ontol.* §. 572.); Quæ ab æterno ſunt, ſucceſſive fieri nequeunt: Etenim quam primum res ſucceſſive exiſtunt, tempus datur (*Ontol.* §. 574.). Quare Dei Filius, quia omnia ab æterno voluit, etiam quicquid vult, unico voluntatis actu, ſeu ſimul velle debet.

Vel etiam ſic. Unigenitus Filius omnia cognoſcit ſimul (§. 714. *Num.* V.) is quoque omnia juxta S. S. ſimul. velle debet (*Theol. natur.* §. 318.).

non facultas, ſed actus & infinita eſt.

Numerus III. Dei Filius omnia ſimul vult *per demonſtr. Num.* II.; Conſequenter is non habet facultatem volendi, ſed voluntas ejus purus actus eſt (§. 264.).

Numerus IV. Dei Filius omnia ſimul vult *per demonſtr. Num.* II. Ut adeo, quicquid per voluntatem ejus poſſibile con-

concipi poteſt, id actu in eodem detur. Quoniam itaque ens hoc reſpectu infinitum eſt, quatenus in eo omnia ſunt ſimul, quæ eidem ineſſe poſſunt (*Ontol.* 838.); **Voluntas Filii Dei eſt infinita.**

Quæ propoſitione hac dicta ſunt, exempli loco eſſe debent, quomodo & reliqua, quæ de voluntate Dei dicta ſunt, ſimiliter ad Dei Filium referri poſſint & debeant; Adeoque ea non addimus, quia quivis hæc facili negotio ſupplere poteſt.

§. 726.

Filius hominis in medio ſeptem candelabrorum aureorum voce magna tanquam tubæ de ſemetipſo aſſerit *Apoc.* I. 8. quod ſit ille, ὁ παντοκράτως *qui omnipotens.* Modo (§. 697. & 700.) evicte docuimus hunc locum de ſolo Filio hominis tanquam Dei Filio accipiendum eſſe, nec de ullo alio intelligi poſſe. Hic vero affirmat, quod ſit ille, ὁ παντοκράτως *qui omnipotens.* Quare cum quoties vocabulum παντοκράτως *omnipotens* in S. literis reperiatur, toties indicet illum Deum, qui ſolus omnia poſſibilia ad actum perducere poſſet, ſive qui omnipotens ſit (§. 278.), quod hic Johannes Chriſti verba referens oſtendit addita particula ὁ *qui*; Evidens eſt **Dei Filium eſſe omnipotentem illum verum Deum, qui ſolus omnia poſſibilia ad actum perducere poſſit.** *Filius Dei eſt omnipotens,*

Quid itaque de potentia Divina ſectione priori dictum eſt, ad Filium Dei non minus referendum eſſe, dubio caret.

§. 727.

Ne de innumeris aliis dicam miraculis a Jeſu Dei Filio patratis, ſufficere poſſunt, quod aquam ſubito mutavit in vinum generoſum *Joh.* II. 1. *ſeqq.*, quod reſuſcitaverit a *& miracula fecit.*

mortuis Lazarum *Joh.* XI. 1. *seqq.*, Jairi filiam *Matth.* IX. 18. *seqq.* *Marc.* V. 22. *seqq.*, & viduæ Nainiticæ unigenitum filium *Lucæ.* VIII. 12. *seqq.* Subitanea mutatio aquæ in vinum, & resuscitatio mortuorum sunt miracula veri nominis, quia non datur ulla causa naturalis, cui hic effectus tribui queat; & per Consequens cujus ratio sufficiens in essentia & natura eorum corporum non continetur. Unde facile colligitur Jesum Christum Dei Filium veri nominis patrasse miracula. Porro Dei Filius qui actuositate gaudet sibi essentiali (§. 709.) est omnipotens, qui solus omnia possibilia ad actum perducere potest (§. 726.). Verum enim vero miracula in iis corporibus, in quibus contingunt, possibilia sunt (*Cosmol.* §. 517.); Itaque miracula fecit veri nominis sua actuositate essentiali, seu propria vi.

Quod sacræ literæ quoque indigitant, cum Petrus nos doceat, miracula per se & condiscipulos suos facta, non propria virtute aut pietate, sed per fidem, in nomine Christi *Actorum.* III. 12. 16. Ut adeo his verbis diserte ostendat, miracula ab ipsis patrata non sibimetipsis, seu hominibus sed soli Filio Dei, tribuenda esse, qui ipsis hanc potestatem concessit *Matth.* X. 1. *Marci.* III. 15. De Dei Filio vero nullibi dicitur, eidem hanc potestatem ab alio cuidam datam esse, nec hoc dici potest, quia est omnipotens, cum e contrario nulla creatura omnipotentia polleat; Hinc omnes, qui præter Dei Filium miracula unquam patrarunt, eorum solummodo sunt causæ occasionales (§. 314.), hic e contrario eorum causa principalis. Ex quo denique facile inferri potest, quænam sit differentia inter opera Filii Dei & ea creaturarum omnino omnium.

§. 728.

§. 728.

Filius Dei est Spiritus (§. 718.), qui gaudet intellectu perfectissimo (§. 714. *Num.* VII.) & voluntate perfectissima (§. 725.). Quamobrem cum Spiritus perfectissimus sit, qui intellectu perfectissimo & voluntate perfectissima pollet (*Psychol. ration.* §. 646.); Dei Filius ad mentem sacri codicis est Spiritus perfectissimus. *Dei Filius est Spiritus perfectissimus.*

§. 729.

Dei Filius habet intellectum infinitum (§. 714. *Num.* IV.) & voluntatem infinitam (§. 725. *Num.* IV.). Quamobrem cum idem sit Spiritus (§. 718.), atque adeo primum, quod de eo concipi debet, sit intellectus & voluntas ipsius (§. 136. & *Psychol. ration.* §. 643.); Consequenter intellectus & voluntas ad essentiam ipsius pertineant (*Ontol.* §. 144.); Dei Filius ens infinitum est, seu tota ejus essentia, quatenus Dei Filius est, id est, naturam habet veram Divinam, infinita est. *Infinitudo essentiæ Filii Dei.*

Adeoque is quoad hanc naturam per ipsam essentiam suam infinitus est, & infinitudo ab eadem inseperabilis.

§. 730.

Ad mentem literarum sacrarum Dei Filius Spiritus est (§. 718.) idem quoque est ens infinitum (§. 729.); Est igitur juxta S. S. Spiritus infinitus. *Filius Dei est Spiritus infinitus,*

§. 731.

Joh. III. 16. dicitur: *Ita Deus dilexit mundum*, ὥστε τὸν *est unus,* υἱὸν αὐτοῦ τὸ μονογενῆ ἔδωκεν, *ut Filium suum illum unigenitum daret.* Hic vero unigenitus dicitur, quia nullus præ-

præter eum proprie a Deo Patre genitus est (§. 695.); Consequenter ab unitate sua hoc nomen adeptus est; **Dei Filius itaque non nisi unus est.**

Ita etiam Gentium Doctor I. *Timoth.* II. 5. ait: *unus enim est Deus, unus etiam mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus.* Ut adeo evidens sit, Jesum Christum cum quatenus redemtor est, tum etiam tanquam Deus, unum esse, & quidem ea unitate, qua ipse **Deus unus est**

§. 732.

& sapientissimus.

Teste Apostolo *Hebr.* I. 10. Dei Filius creavit mundum hunc adspectabilem (§. 720.). Verum enim vero hic ipse mundus omnium est optimus (§. 249.), & signum veri Dei (§. 295.); Adeoque Dei Filius creatione mundi optimi sese demonstravit verum Deum. Quamobrem cum verus Deus sit sapientissimus; **Dei Filius sapientissimus sit, necesse est.**

Quæ itaque sectione priori cap. IV. de sapientia Dei dicta sunt, eadem quoque suo sensu de ejus unigenito Filio dicenda veniunt.

§. 733.

Qualis substantia Dei Filius sit.

Numerus I. **Dei Filius** est ens infinitum (§. 729.). Sed ens infinitum per eminentiam substantia est (*Ontol.* §. 847.); Est igitur **is per eminentiam substantia.**

Modi eidem per eminentiam tribuendi.

Numerus II. Quoniam unigenitus ille Dei ens infinitum est (§. 729.), & enti infinito nulli quidem modi insunt (*Ontol.* §. 840.), ipsum tamen per eminentiam modificabile est (*Ontol.* §. 846.); **Dei Filio**, scriptura magistra, **modi nulli actu insunt, per eminentiam tamen modificabilis est.**

Nu-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823346366/phys_0112
DFG

Numerus III. Competit Filio Dei actio, teste S. S. (§. 709.), idemque ens infinitum est (§. 709.). Enimvero enti infinito actio per eminentiam competit (*Ontol.* §. 848.). Filio Dei igitur juxta S. S. actio per eminentiam competit. *Quomodo ei competat actio.*

Numerus IV. Unigenitus Dei Filius ens infinitum est (§. 729.). Verum enim vero quicquid enti infinito inest, id vel ad essentialia, vel ad attributa pertinet, aut, si quid modi analogum est, id per modum attributi inest (*Ontol.* §. 841.). Ergo quicquid Dei unigenito inest, id, teste scriptura, vel ad essentialia, vel ad attributa pertinet, aut, si quid modi analogum est, id per modum attributi inest. *Quomodo illi insint, quæ de ipso prædicantur.*

Ex his evidens est differentia inexistentiæ Filii Dei & reliquorum entium, quæ bene perpendenda, ne in Deitatem ejus injurii evadamus.

§. 734.

Paulus de Filio Dei dilecto diserte affirmat *Coloss.* I. 17. quod τὰ πάντα ἐν αὐτῷ συνέστηκε *omnia in eo consistant.* Hæc omnia veniunt versu 15. nomine πάσης κτίσεως *omnis creaturæ;* Apostolus itaque asserit omnem creaturam, seu quæ creata sunt, hoc est, non tantummodo, quæ in primæva creatione producta sunt, sed & quæ vi naturæ ad actum perducuntur (§. 451.), in Dei Filio consistere, seu quod substantiale est in omni creatura, id per Dei Filium indesinenter actualitatem nanciscitur, hoc est conservatur (§. 459.). *Conservatio rerum Dei Filio vindicata.*

Idem non minus evidens ex loco *Joh.* V. 17, ubi Jesus ait: ὁ Πατήρ μου ἕως ἄρτι ἐργάζεται, κἀγὼ ἐργάζομαι. *Pater*

meus ad hoc ipsum tempus usque operatur, & ego operor. Quare cum his verbis continua actuositas cum Patris, tum Filii demonstretur (§. 709.), *& quæcunque Pater facit, hæc etiam Filius pariter faciat*; Pater tanquam verus Deus (§. 652.) continuam suam actuositatem manifestet conservatione rerum omnium (§. 459.); Dei Filius etiam manifestat continuatam suam actuositatem conservatione omnium rerum, seu is ea omnia conservat.

§. 735.

Explicatio loci Coloss. I. 17. vindicatur.

Speciosa quidem satis, ast sane inconvenientissima est expliatio loci *Coloss.* I. 17, quam dat *Liberius de S. Amore*, id est, *Clericus* in Epp. Theol. pag. 64. *seqq.* & in N. T. in paraphrasi Hen. Hammondi, quam castigavit *Clericus* in h. l. Hic fingit hoc loco Apostolum non agere de creatione atque conservatione totius universi, sed de reconcilliatione fidelium per Christum. Ad sententiam suam stabiliendam adducit versum 20, ubi legitur: *Ut pace per sanguinem crucis ejus facta per eum reconcilliaret omnia sibi, per eum, tum quæ in terra, tum quæ in cœlis.* Unde concludit vers. 16. & 17. etiam de hac reconcilliatione agere. Reconcilliationem hanc novam illam dicit esse creationem, ut aliquam affingere posset speciem sententiæ suæ. Atat! ut mens autoris rectius introspiciatur, dabo ipsius verba. *Per omnia*, inquit, *intelligi non puto omnes creaturas, quia ea voce aliter infra Apostolus versu 20. utitur, ubi ait: Per Christum omnia concilliata esse in cœlis & in terra; nam omnia in terra reconciliata non sunt, sed tantum fideles. Eodem sensu vocem, omnia, in versu 16. sumo. Verbum creare, quo hic utitur Paulus, etiam ambiguum est, nam non modo de vetere, sed*

&

& *de nova creatione sumitur* Eph. II. 10---15. *De ea autem locum hunc intelligendum inde patet, quod Apostolus cœlum & terram creata esse non dicit, quæ est locutio, qua hoc in negotio fere utuntur scriptores S., sed omnia, quæ in cœlis & terra sunt. Huc accedit, quod Christus in versu præcedenti dicitur* πρωτότοκος πάσης κτίσεως. Ὅτι ἐν αὐτῷ ἐκτίσθη τὰ πάντα &c. *Nimirum primogenitus est omnis creaturæ, quia Deus per eum sibi creavit filios, & ut habet Paulus* Rom. VIII. 29. *Deus nos prædestinavit, ut conformes essemus imagini Filii ejus, ut esset primogenitus in multis fratribus.* Atat! quis non videt hac explicatione Clerici versus 16, 17 per 20, hunc ultimum versum vagam esse ταυτολογίαν & inanem repetitionem præcedentium, quæ sapientiæ summæ Dei autoris ejus omnino adversatur? Quis porro non intuetur, quanta sit detorsio sensus proprii verborum versus 16. & 17, ut hypothesis, quam voluerat, prodiret? Licet enim hic non dicatur cœlum & terram, sed tantum, quæ in cœlis sunt, & quæ in terra per eum creata esse, quis inde unquam concludere posset Apostolum negare eorum creationem per Filium, cum tamen idem hoc diserte affirmet *Hebr.* I. 10. Denique quid etiam per verba, quibus ea, quæ in in cœlis, & quæ in terra esse explicantur: nimirum visibilia & invisibilia, sive throni, sive dominia, sive imperia, sive potestates, intelligere velis, evidens tamen est, ea ad regenerationem fidelium, quam Clericus his verbis describi dicit, minime referri posse. Quare cum conservatio totius universi etiam *Joh.* V., & alibi in sacris Dei Filio tribuatur, ratio nulla adest, cur a proprio verborum Apostoli sensu recedamus; sed potius ob analogiam fidei proprium sensum admittendum esse, necesse est, & ei convenienter concludimus creationem hujus mundi adspectabilis versu

16, ejusque conservationem versu 17 Filio Dei tribui. Ceterum ex his luculenter patet a sensu proprio verborum non esse recedendum, nisi is cum veritatibus aliis contradictionem involvat; nullatenus vero ad suam hypothesin, sibimetipsi fictam, inserviendum

§. 736.

Dei Filio dominium tribuendum.

Diserte *Paulus Rom.* I. 1. ait: Παυλος δουλος Ιησου Χριστου, se esse *servum Jesu Christi.* Nullus dubitabit hunc Jesum Christum esse Dei Filium; Adeoque Paulus affirmat, se esse servum Filii Dei. Verum enim vero *Exc. de Wolfius* uberius atque satis evicte ex ipso jure Romano demonstravit, hic servum eo sensu dici, quo quis in alterius dominio est; Consequenter Gentium Doctor se servum Dei Filii esse confitetur, quatenus in ejus dominio est. Ab hoc dominio eundem toties Κύριον *Dominum* vocat, veluti versu 7. & alibi. Non solum autem Dei Filius summus Dominus Pauli & omnium, quos Pater ei dedit, est ob opus suum redemtionis, sed & simul eidem jus; Adeoque etiam Dominium plenum competit in omnem rem præter Deum existentem. Etenim a creationis opere ipsi Deo tribuitur domium in res creatas (§. 488.); Jam autem Dei Filius totum mundum adspectabilem creavit (§. 720.), teste Apostolo *Hebr.* I. 10.; Consequenter & eidem tribuendum est dominium plenum in omnem creaturam. Dei Filius itaque in sacro codice Κύριος Dominus vocatur, quatenus cum tanquam redemtor in fideles, tum tanquam creator in omnem creaturam dominium habet plenum, quo pro arbitrio suo de earum substantia, usu atque fructu disponere potest.

Quia

Quia certum est, Dei Filium omne ens præter Deum existens creavisse, vi demonstrationis (§. 720.), & in altera parte hujus theologiæ probabitur eundem solum esse Redemtorem, negari nequit, quod is verus & unicus sit creator atque Redemtor; Consequenter absurdum esse negare ipsius summum dominium plenum cum in genere in totum universum, tum in specie in salvandos. Ceterum, quæ de dominio Dei dicta sunt, eadem & de Filio Dei affirmari debent. Unde certo concludimus Dei Filium eodem, quo ipse Deus, modo hominem obligare, itaque & prohibitiones ejus & præcepta sollicite a quovis esse servanda. Unde, quæ de iis dicta sunt, huc quoque referenda sint, & agnitio hujus rei insignem pollicetur usum in Ethica Christiana.

§. 737.

Actiones liberæ sunt, quæ ab arbitrio nostro pendent, seu ex essentia & natura rei non necessario consequuntur (*Theol. natur.* §. 913.); Actiones liberæ igitur Filii Dei ab ejus arbitrio, seu liberrima ejus voluntate pendent; Adeoque rationem sufficientem in liberrima voluntate Dei Filii agnoscunt (*Ontol.* §. 851.); Consequenter posito actu voluntatis Filii Dei (§. 717. & 725.) ponendæ sunt (*Ontol.* §. 118.), vel sunt ipsi actus voluntatis liberrimæ Filii Dei (*Theol. natur.* §. 567.). Verum enim vero voluntas Filii unigeniti eadem est cum voluntate ipsius Dei (§. 725.). Quare cum Deus velit, quæ ipsum decent (§. 272.), & hinc actiones liberæ omnes Deum decent; Omnes quoque actiones liberæ unigeniti Dei hunc ipsum decere debent. Quamobrem cum ipsum tanquam ens liberum, quod gaudet voluntate liberrima, teste scriptura (§. 717.), deceat, cujus aliqua in iis. quæ ipsi insunt, seu in essentia & attributis ipsius continetur ratio, *Rectitudo actionum Filii Dei.*

cur id potius velle debeat, quam aliud (*Theol. natur.* §. 332,); Actionum liberarum ratio aliqua in iis, quæ Dei Filio insunt, seu in essentia vel attributis ipsius contineri debet. Quamobrem cum actio libera sit recta, quæ rationem aliquam, aut quod perinde est, respectu libertatis sufficientem habet in essentia & attributis agentis, neque adeo ulli determinationi essentiali vel attributo contradicit (§. 523. & *Theol. natur.* §. 950.); **Actiones Filii Dei liberæ, teste scriptura, omnes rectæ sunt.**

Idem quidem demonstrari potuisset ex *Lucæ* XX. 21. ubi missionarii summi sacerdotis atque scribarum insidias machinantes in Jesum, ipsum interpellarunt, dicentes: Διδάσκαλε, οἴδαμεν, ὅτι ὀρθῶς λέγεις καὶ διδάσκεις. *Magister, scimus, quod recte dicas & doceas.* Atat! malumus id ex evidentibus principiis ex sacro codice desumtis legitima ratiociniorum concatenatione demonstrare, quam ex hoc loco probare, cum quia prolixius ostendendum fuisset vocabulum ὀρθῶς *recte* denotare laudatam hanc rectitudinem moralem, tum docendum fuisset hos missionarios veritatem locutos fuisse, tum rectitudinem Dei Filii sese extendere ad omnes omnino ejus actiones, quod, licet ex testimoniis aliis S. literarum fieri potuisset, tamen maximam præ se tulisset prolixitatem, quam abhorremus. Ex nostra vero demonstratione, scriptura non invita, id via brevissima atque certissima factum est; Ut simul cognoscatur rectitudinem actionum Filii Dei nasci ab ejus essentia atque attributis suis Divinis salva libertate ejus.

§. 738.

Filius Dei Sanctus est, Dei Filius toties in sacro codice ἅγιος *sanctus* dicitur, veluti *Marc.* I. 24. ὁ ἅγιος τοῦ Θεοῦ, *sanctus ille Dei, Lucæ.*

cæ. I. 35. & IV. 34. Itemque ὁ ἅγιος παῖς τοῦ Θεοῦ Ἰησους, *ſanctus puer Dei Jeſus Actorum* IV. 27. 30. Verum enim vero omnes actiones Filii Dei liberæ, docente ſacro codice, rectæ ſunt (§. 737.). Quamobrem cum ſanctitas agenti tribuatur ob actiones rectas; Conſequenter nil denotare poteſt, niſi voluntatem conſtantem atque perpetuam faciendi, quod rectum eſt, & non faciendi, quod rectum non eſt (§. 528.); Toties itaque, quoties Dei Filius in ſacris Sanctus vocatur, ideo ita nominatur, quia is nunquam vult, quod rectum non eſt, nec ullo in caſu ſe a propoſito ſuo dimoveri patitur, ut faciat, quod rectum non eſt.

& quidem ſumme Sanctus,

Cum vero ſanctitas Dei fluat ex eo, quod omnes omnino ejus actiones liberæ rectæ ſint; Adeoque nulla earum dari poſſit, in qua aliquis reperiatur defectus. Ex hac autem rectitudine omnium actionum demonſtrata ſit ſumma ipſius Dei ſanctitas, ita ut major enti cuidam alteri, immo nequidem æqualis ei detur, ſed hæc maxima ſit, quæ concipi poteſt (§. 530.); Luculenter itaque patet juxta S. S. ſanctitatem Filii Dei ſummam eſſe, qua majorem concipi nequit, immo cui æqualis dari non poteſt.

Unde ea, quæ de ſanctitate ipſius Dei monuimus, probe animadvertenda ſunt, ſi tibi conceptum formare volueris de ſanctitate Filii Dei tanquam veri Dei.

§. 739.

& juſtus eſt.

Sæpiſſime Dei Filius in ſacris vocatur δίκαιος *juſtus* veluti *Matth.* XXVII. 19. *Lucæ.* XXIII. 47. & *Actorum.* III. 14. ſimul ὁ ἅγιος καὶ δίκαιος *ſanctus ille & juſtus.* Quoniam Dei Filius Sanctus eſt, quatenus non vult, niſi quod

quod rectum est (§. 738.); sequitur sanctitatem spectari in relatione ad opera ipsius, nimirum quatenus ea ad voluntatem Dei Filii pertinent. Etenim ὁ ἅγιος *sanctus* opponitur τῷ δικαίῳ *justo*. Hinc necesse est, ut ὁ δίκαιος *justus*, & justitia spectetur in actionibus ejus, quatenus extra ipsum referuntur ad entia alia ab ipso diversa, hoc est, ad creaturas. Et sane, ubi sacræ literæ Dei Filio justitiæ laudem tribuunt, eum justum pronunciant, quatenus in rectitudine actionis ejus nihil reprehendi potest quoad creaturas. Sit exemplo uxor Pilati *Matth.* XXVII. 19. *dicens, nihil sit tibi cum justo illo: multa enim passa sum hodie in somnio propter eum.* Noluit maritum suum rem habere cum hoc justo Dei Filio, quia in somnio multa passa fuit propter eum; Adeoque eum justum esse proclamat, quod multa passa sit propter eum. Passionibus his in somino datis uxori Pontii Pilati Dei Filius utitur tanquam medio, ut obtineret, ne Pilatus eum furori Judæorum convenienter crucifigeret. Pertinet igitur hæc actio ad sapientiam Filii Dei (*Psychol. empir.* §. 678.), qua gaudet summa testibus S. paginis, seu quia est sapientissimus (§. 732.). Durum quidem esse videtur inocuam illam Pilati uxorem vehementioribus insomniis torquere; Adeoque illa insomnia repugnare videbantur bonitati ejus. Hæc mulier tamen non accusat ejus bonitatem, nec conqueritur de nimia ipsius severitate, sed factum hoc ad se referens & agnoscens, quod sit ad voluntatem mariti sui flectendam aptum, per sapientiam Divinam Filii Dei rectum esse confitetur, quod per bonitatem minus rectum dici posse videbatur, ac ideo Filium Dei τὸν δίκαιον *illum justum*, seu justissimum vocat. Nominat igitur eundem justum, quatenus bonitatem sapientiæ attenperat; Ad mentem ita-

itaque uxoris Pilati; Adeoque & ſcripturæ Dei Filius juſtus & juſtiſſimus nuncupatur, quia ſummam ſuam bonitatem attemperat ſumma ſua ſapientia.

Juſtitia hæc cum ſit juſtitia Divina (§. 533.); Dei Filius pollet juſtitia Divina. Unde ea, quæ de juſtitia Deo propria, itemque de juſtitia ejus vindicativa demonſtravimus (§. 533. *ſeqq.*), ad Dei Filium referri poſſunt ac debent.

§. 740.

Filii Dei ſumma voluptas,

Juxta S. S. Dei Filius eſt Spiritus perfectiſſimus (§. 728.), qui & ſemetipſum cognoſcit, & omnia poſſibilia, & quidem prorſus diſtincte, nihil confuſe, aſt intuitive (§. 714.). Omnem adeo perfectionem poſſibilem, non modo ſummam ſui ipſius, verum etiam rerum ceterarum omnium quarumcunque ſimul intuetur (§. 714. *Num.* V.). Quamobrem cum intuitiva perfectionis cognitio ſit voluptas (*Pſychol. empir.* §. 511.), & gradus voluptatis pendeat partim a gradu perfectionis (*Pſychol. empir.* §. 516.), partim a certitudine cognitionis (*Pſychol. empir.* §. 517.). Eſt vero Dei Filius immutabilis (§. 699. *Num.* II.); Conſequenter etiam intuitus ſuæ ſummæ perfectionis ac reliquæ omnis poſſibilis perennis eſt. Unde patet eundem, teſte S., frui voluptate maxima, qua major concipi nequit, & quæ nulli creaturæ communicari poteſt, & quidem perenniter.

Voluptas illa, qua fruitur Dei Filius, ab ea, cujus nos participes fieri poſſumus, prorſus diverſa eſt. Hujus enim perceptionem nonniſi confuſam habemus. Aſt in Filio Dei nulla perceptio confuſa locum habet; Ut adeo

voluptas ejus nobis sit prorsus ineffabilis, nec creaturæ ulli communicabilis.

§. 741.

& beatitudo. Quoniam Dei Filius Spiritus est perfectissimus (§. 728.), simulque prorsus immutabilis (§. 699. *Num.* II.); Adeoque summam perfectionem ita possidet, ut nihil quicquam eidem unquam decedere possit (*Ontol.* §. 291.). Præterea maxima fruitur voluptate, qua major concipi nequit (§. 740.); Consequenter cum voluptas sit intuitus perfectionis (*Psychol. empir.* §. 511.), ac ideo tanquam ex perfectione proveniens pro fructu ejus recte habeatur (*Theol. natur.* §. 956.), beatitudine summa constanter fruitur (*Theol. natur.* §, 1088.). Et quoniam nulla re extra se voluptatis percipiendæ gratia indiget, utpote hæc omnis ab ipso per creationem dependet (§. 720.); Consequenter beatitudine summa fruitur independenter ab omni re extra se existente. Ac præterea, independenter ab omni re extra Divinitatem existente existit, docente scriptura (§. 712.); Nihil quoque datur, quod ipsum in possessione ac fruitione perfectionis suæ summæ quomodocunque impedire possit. Verum enim vero qui perfectionem summam ita possidet atque eadem ita fruitur, ut neque in possessione, neque in fruitione ejusdem ullo modo impediri queat, beatissimus est (*Theol. natur.* §. 1088.); Patet igitur ad mentem sacrarum literarum Filium Dei ϯ μακάριον beatissimum salutandum esse, quia summam perfectionem ita possidet, eademque fruitur, ut in possessione ac fruitione ejusdem impediri nullo modo possit.

Ex ipsa hac demonstratione evidens est beatitudinem Filii Dei incommunicabilem esse. Et propositio hæc una cum

eum præcedente insignem pollicetur usum in explicatione locorum quorundam sacri codicis, alias difficilium, quod in ipsa Theologia Exegetica, si methodo hac ordinabitur, patebit, simulque error eorum, qui prætendunt Deum summe bonum, creaturas rationales ejus beatitudinis, qua Dei Filius gaudet, compotes facere posse, suapte corruit.

§. 742.

Quomodo Deitas tota Christo inhabitet.

De iis, quæ Dei Filio insunt, agentes, Colophonis loco addimus verba Pauli *Coloss.* II. 9., quæ hæc sunt: Ἐν αὐτῷ (nimium τῷ Χριστῷ) κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς. *In eo* (scilicet *Christo*, quemadmodum ex versu præcedente evidens est) *inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter.* Corpus omne per essentiam suam existit in loco (*Theol. natur.* §. 1043.); *Corporaliter* itaque *inhabitare* in aliquo, seu in loco esse, est per essentiam suam existere in aliquo loco. Præterea gentium Apostolus emphatice sane dicit: πᾶν τὸ πλήρωμα *omnis illa plenitudo Deitatis;* Ut adeo ad mentem Apostoli nihil essentiæ divinæ inesse possit, quod etiam non ipsi Filio Dei insit actu. Quando jam asseritur Deitatis plenitudinem omnem in Christo tanquam Dei Filio corporaliter inhabitare, eo probatur, teste Paulo, omnem plenitudinem Deitatis, seu omnes omnino realitates Divinas, aut si mavis, omnia attributa, quibus tota Divina essentia absolvitur per ipsam suam essentiam in Christo tanquam Dei unigenito Filio existere; seu eundem tota gaudere essentia Divina.

His itaque verbis Paulus non solum asseverat Dei Filio inesse omnia & singula attributa atque opera Divina, quæ sparsim in sacris eidem tribuuntur, & ex iis, quæ eidem

attribuuntur, legitima consequentia colliguntur, quemadmodum nos plura jam jam evicimus; sed & luculenter ex hoc Apostoli effato patet, si quoddam Divinum attributum aut opus supersit, quod non probavimus Filio Dei inesse, ne prolixiores simus, quam necessitas urget, hoc tamen attributum opusque eidem essentialiter inesse. Adeoque jam nunc ad ipsam demonstrationem tuto progredi licet, Dei Filium revera verum esse Deum, quem in finem sequentes subjicimus paragraphos.

§. 743.

Ab essentia Divina Jesus verus dicitur Deus.

Jesus Christus, qua Filius Dei primus est & ultimus (§. 697.), semper idem (§. 699. *Num.* I.) & immutabilis est (§. *citato Num.* II.), qui ortus ac initii, itemque finis atque interitus expers (§. *citato Num.* III.), quique annihilari nequit (§. *citato Num.* IV.), nec in tempore est (§. *citato Num.* V.), sed æternus eo sensu, quo ipse Deus æternus est (§. *citato Num.* VI.), nec non sempiternus (§. 700.), qui non compositus, sed simplex, nec extensus est (§. 702.), immo incorruptibilis (§. 703.), incorporeus (§. 704.), nec sensibilis, nec imaginabilis (§. 705.), nec visibilis est (§. 706.), qui nec pingi, nec sculpi potest, licet per figuras hieroglyphicas repræsentari possit (§. 707.), qui gaudet vi activa (§. 708.) & continue actuosus est (§. 709.), qui vivit (§. 711.) independenter ab omni ente alio præter Deum existente (§. 712.), cui competit intellectus Divinus (§. 713. 714.) & omniscientia (§. 715.), nec non voluntas liberrima (§. 717.), estque Spiritus (§. 718.) omnipræsens, & quidem illocaliter, cui omnis motus localis repugnat (§. 719.), cuique talia tribuenda prædicata, ut per ea intelligi possit, cur potius hic mundus adspectabilis una cum suis elementis existat, quam alius, & cur potius existat, quam non (§. 722.), & cui ta-

talis vis ineſt, qualis requiritur ad intelligendum, cur hic mundus potius exiſtat, quam alius, aut cur potius exiſtat, quam non (§. 723.), cujus voluntas eſt eadem cum ipſa Dei voluntate (§. 725.), quique eſt omnipotens (§. 726.) & Spiritus perfectiſſimus (§. 728.) eſſentiam habens infinitam (§. 729.), & ideo Spiritus eſt infinitus (§. 730.), qui unus (§. 731.) & ſapientiſſimus eſt (§. 732.), ſubſtantia per eminentiam, cui modi per eminentiam tribuendi, cui actio per eminentiam competit, & quicquid eidem ineſt, id, vel ad eſſentialia, vel ad attributa pertinet, aut, ſi quid modi analogum eſt, id ei per modum attributi ineſt (§. 733.), cui ſummum dominium plenum competit (§. 736.), cujus actiones liberæ omnes rectæ ſunt (§. 737.), qui ſumme ſanctus (§. 738.) & juſtiſſimus (§. 739.), ac beatiſſimus eſt (§. 741.). Denique cui tota Deitas corporaliter inhabitat, hoc eſt, cui omnes omnino realitates Divinæ, aut ſi magis arridet, omnia attributa, quibus tota Dei eſſentia abſolvitur per ipſam ſuam eſſentiam ita ineſt, ut nullum attributum Divinum concipi poſſit Deo ineſſe, quod non actu Dei Filio inſit (§. 742.). Verum enim vero omnia hæc attributa Deo competere ſectione priori evicte docuimus, ſimulque ibidem oſtendimus, quod hæc ſint determinationes illæ eſſentiales, per quas Deus concipitur, & per quas a quovis ente alio eſſentialiter diſtinguitur; Adeoque quæ eſſentiam ejus conſtituunt (*Ontol.* §. 143.); Filius Dei itaque habet eſſentiam vere Divinam. Quamobrem cum is a *Johanne* I. Epiſt. V. 20. ὁ ἀληθινὸς Θεὸς *verus ille Deus*, itemque a Gentium Apoſtolo *Rom.* IX. 5. Θεὸς εὐλογητὸς *Deus benedictus*, vel alibi toties in ſacris ὁ Υἱὸς τῦ Θεῦ *Filius Dei* & ſigillatim quidem *Joh.* III. 16. ὁ Υἱὸς τῦ Θεῦ ὁ μονογενὴς *Filius Dei unigenitus* vocetur; neceſſe eſt hunc

Dei Filium unigenitum verum appellari Deum, quoniam revera veram habet essentiam Divinam, seu omnes determinationes essentiales, per quas ipse Deus concipitur.

§. 744.

Loca I. Joh. V. 20. & Rom. IX. 5. *De Christo Dei Filio agunt.*

Loca I. *Joh.* V. 20. & *Rom.* IX. 5. de Jesu Christo, qua Dei Filio, esse accipienda per demonstrata (§. 743.) luculenter patet. Qui hoc admittere nolunt, negantes eundem verum Deum esse, malunt luce meridiana caligare, quam hanc revelatam veritatem admittere.

Quod attinet locum I. *Joh.* V. 20, quidam excipiunt vocabulum Θεὸς in quibusdam exemplaribus non inveniri. Ad id satis accurrate respondit *H. Grotius* ad hunc locum: nimirum codicem Alexandrinum addere Θεὸν, quod habet etiam Latinus Interpres, & certe, si omittatur in aliis, id tamen necessario subintelligendum esse. Cujus rationes inveniet Benevolus Lector apud laudatum hunc Grotium l. c. Alii quidem fatentur τ̀ ἀληθινὸν *verum illum Deum*, denotare illum verum summum Deum, qui solus sua natura Deus est: negant autem hoc tribuendum esse Jesu Christo Dei Filio, sed intelligendum esse de Deo Patre statuunt, quem solum Deum Sociniani & omnes Antetrinitarii esse volunt. Ut veritas suo lumine splendeat, verba textus recensemus. Οἴδαμεν δὲ, ὅτι ὁ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ ἥκει, καὶ δέδωκεν ἡμῖν διάνοιαν, ἵνα γινώσκομεν τ̀ ἀληθινόν, καὶ ἐσμεν ἐν τῷ ἀληθινῷ, ἐν τῷ Υἱῷ αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστῷ· οὗτός ἐστιν ὁ ἀληθινὸς Θεὸς, καὶ ἡ ζωὴ αἰώνιος. *Scimus autem, Filium Dei venisse, & dedisse vobis cogitationes, ut cognoscamus verum illum, & simus in vero illo, in Filio ipsius Jesu Christo, hic est verus ille Deus, & vita æterna.* In vernacula lingua *Lutherus* vocabulum ἀληθινὸς per wahrhafftig, quod

quod *veracem* sonat, reddit, cum potius uti debuisset vocabulo wahrer *verus*; ut adeo Germanorum genio loquendi convenienter verba sic sonarent: Wir wißen aber / daß der Sohn Gottes kommen ist / und hat uns die gedancken gegeben / daß wir erkennen den Wahren / und sind in dem Wahren / in seinem Sohn Jesu Christo / dieser ist der wahre Gott / und das ewige Leben. Verus ille, scilicet Deus, opponitur illi improbo versu 18, 19. Nullum itaque dubium est, quod de vero Deo in oppositione ad improbum, qui Deus non est, hic sermo sit. Ut vero hunc verum Deum agnoscamus, & in illo vero Deo & in ejus Filio Jesu Christo simus, ad id venit hic Dei Filius. Hic Filius Dei Jesus Christus dicitur esse verus ille Deus & vita æterna. Particula οὗτος *hic* non referenda est ad remotius antecedens *verus ille*, sed ad proxime antecedens *Filius Dei Jesus Christus.* Etenim ratio adversariis alia non datur, quam quod Divinitatem Christi negare allaborant vel saltem, quod labefactare conantur vim demonstrativam, quæ inest verbis sacri codicis, sensum ejus dubium efficiendo. Quare cum S. S. Filio Dei totam essentiam Divinam tribuat (§. 742.); Adeoque is ab hac essentia verus Deus sit (§. 743.); ratio ab adversariis allata nulla est; Consequenter hæc particula οὗτος *hic* non est referenda ad remotius antecedens, sed ad proximum, nimirum Filium ejus Jesum Christum, hic est verus ille Deus. E contrario, sacer codex, quia Filio Dei illas determinationes tribuit, per quas Divina essentia constituitur (§. 743.), rationem sufficientem porigit, qua docemur Filium Dei a Divina essentia sua verum appellari Deum; Adeoque adversarios ad falsam suam, eroneamque hypothesin defendendam verba hæc magno molimine detorquere. Adde, quod si de Deo, seu Patre intelligatur, eum per hanc particulam dici verum Deum, in-

inanis hæc sit ταυτολογία, Deum autorem scripturæ dedecens atque indigna. Immo *Glassius* in Gramm. sua lib. III. tractatu II. bene observat, relativa ac demonstrativa ad proxime antecedentia, nisi necessitas urgeat, aut rei veritas requirat, ut ad remotiora referantur, referenda, quod hic locum non habet, cum e contrario pro nobis militet ratio sufficiens. Denique silentio præterire nobis non licet, quod vulgata, & alii quidam interpretes observent, distinctionem non inveniri inter illum verum Deum, & illum, qui Filius Dei Jesus Christus vocatur, atque eo indicari ab Apostolo contendunt, illum verum Deum & illum Filium Dei unum eundemque esse, & sic simul adversariis præsidium adimunt, quod quærunt in effugio, quo particulam οὗτος a loco suo nativo removent. Adeoque quocunque te vertas, nisi dicto Johanneo vim inferre volueris, simulque omnem rationem exuere, confitendum est Apostolum Jesum Christum verum proclamare Deum.

Quod locum illum *Rom.* IX. 5. attinet, verba hæc leguntur. Ὧν οἱ πατέρες, καὶ ἐξ ὧν ὁ Χριστὸς, τὸ κατὰ σάρκα, ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας· ἀμήν. *Quemadmodum ipsi patres, ex quibus & Christus, videlicet secundum carnem, qui est supra omnes Deus benedictus in secula, amen.* Quod *Lutherus* bene reddit: Welcher auch sind die Vätter / auß welchen auch Christus herkommt nach dem Fleisch / der da ist Gott über alles gelobet / in ewigkeit / amen. Ex connexione evidens est, Apostolo hos patres patriarchas esse, ex quibus Israëlitæ, καὶ ἐξ ὧν ὁ Χριστὸς, & *ex quibus Christus*, addit τὸ κατὰ σάρκα *videlicet secundum carnem.* Articulus præpositivus τὸ in omnibus fere codicibus invenitur, & sæpissime adhibetur explanative pro *idest*, *videlicet*, *nimirum* veluti *Actorum.* II. 26. *Rom.* I. 20. VIII. 15. 23. & alibi, videatur *Chr. Stokii* clavis linguæ sanctæ N. T.

sub

ſub art. ὁ, ἡ, τὸ pag. 720. Apoſtolus itaque docet Chriſtum ſecundum carnem eſſe ex patribus. Pergit autem, ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, *qui eſt ſupra omnes Deus benedictus in ſecula.* Fingamus jam articulum ὁ *qui* eſſe præpoſitivum τοῦ Θεοῦ, tunc quæſtio redit, quo ſenſu nomen hoc Deo proprium ſumendum, nimirum an eſſentialiter, an vero perſonaliter (§. 692.)? Aſt quoniam nullius, niſi ſolius Chriſti mentio fit, nec id nomen Deitati in genere, multo minus ſoli Patri in ſpecie hic convenit, quia alias Deitatis aut Patris mentio fieri debuiſſet; Conſtat, & ipſum hoc nomen Θεὸς una cum ſuo articulo ad Chriſtum, qui alius a Patre eſt, referendum eſſe. Etenim is totam poſſidet eſſentiam Divinam (§. 742.); Adeoque eodem modo ut Pater revera verus Deus eſt (§. 743.). Si dicis hæc verba eſſe inter doxologias, & hæ Deo propriæ ſunt, nobis hoc perinde eſt. Etenim II. *Petr.* II. 18. & alibi in ſacris inveniuntur doxologiæ, quæ Dei Filio tribuendæ. Ita Petrus l. c. ait: *ſed creſcite in gratia & notitia Domini noſtri & Servatoris Jeſu Chriſti: cui gloria & nunc, & ad tempus ſempiternum.* Quis non videt proximum antecedens articuli hujus αὐτὸς *qui* eſſe verba hæc: *notitia Domini noſtri Servatoris Jeſu Chriſti?* Nec in aliquibus verſibus præcedentibus aut Patris aut Dei ulla mentio injicitur. Nec cenſeo, quempiam negare hæc verba eſſe ad doxologias referenda. Verum enim vero cum Cl. *Glaſſio* ratum habemus pronomina relativa aut demonſtrativa ſemper referenda eſſe ad proxime antecedentia, niſi neceſſitas aliud urgeat, aut rei veritas requirat, ut ad remotiora referantur. Etenim niſi hoc affirmes, quodvis pronomen cuivis ſubſtantivo pro arbitrio meo applicare poſſem; Adeoque nunquam de ſenſu loquentis vel ſcribentis certus eſſe poſſem, quod abſurdum. Quoniam jam

Dominus noſter & Servator Jeſus Chriſtus tanquam Dei Filius propter ſuam Divinam eſſentiam verus eſt Deus (§. 743.); ratio ſufficiens adeſt, cur ipſas doxologias, ſoli vero Deo proprias, eidem attribuam; Conſequenter etſi verba Pauli inter doxologias numeres, ratum manet Chriſtum, quatenus Dei Filius eſt, eſſe ſupra omnes Deum benedictum; Adeoque quamdiu adverſarii rationem ſufficientem non afferunt, cur relativum hoc ad Chriſtum Dei Filium referri non poſſit, quod tamen fieri nequit, quia ſacer codex eidem paſſim tribuit determinationes eſſentiales Divinas; Nullus ſanus negabit Apoſtolum hic deſcribere Chriſtum, qui ſecundum carnem ex patribus, ſimulque Deus ſupra omnes benedictus, ſeu diſerte afferere, quod Chriſtus revera ſit verus Deus, quatenus eſt Dei Filius.

Hoc modo detegitur abſurditas ſententiæ Socinianorum atque omnium Antitrinitariorum, & ita ſupervacaneus eſt labor deſcendere iiſcum in arenam ad refellendas omnes eorum inanes exceptiunculas. Etenim demonſtrata veritate omnis error, quam ſpeciem aut formam induet, ſuapte corruit.

§. 745.

Aliud argumentum ab operibus Divinis deſumtum.

Addi tamen aliud argumentum, nimirum ab operibus Divinis, ſeu ſoli Deo propriis, deſumtum licet. Potentia creatrix ſoli Deo propria eſt (§. 445.), nec ea ab ipſo Deo nequidem ulli enti extra ipſum exiſtenti communicari poteſt (§. 447.). Conſimiliter potentia conſervatrix ſoli Deo ita propria eſt, ut nec naturæ rerum competat, nec communicabilis ſit (§. 462.). Præterea ſolus Deus miraculorum eſt auctor, ſeu miracula facere poteſt, quotiescunque vult (§. 286.), & potentia patrandi miracula nulli enti a Deo communicari poteſt, ut ſcilicet propria ſibi virtute, etſi aliunde accepta, miracula edat (*Theol. natur.*

tur. §. 471.), etsi Moses, Prophetæ & Apostoli legantur patrasse miracula, ea tamen his non aliter competunt, quam quatenus Deus ad eorum nutum illa miracula facere voluit, hi autem Deo tantum occasionem dederunt; Adeoque ipsi illi homines, ad quorum nutum Deus miracula fecit, non nisi eorum causæ occasionales sunt (§. 314.). Denique vis, quæ Deo inest, talis concipi debet, qualis requiritur, ut intelligatur, cur mundus hic adspectabilis cum suis elementis potius existat, quam alius, & cur idem potius existat, quam non (§. 126.). Verum enim vero Filio Dei in sacris diserte tribuitur creatio omnium omnino rerum præter Deum existentium tanquam, qui ejus causa principalis est (§. 720.), ei pariter tribuitur conservatio omnium harum rerum (§. 734.), nec non testatur ibidem, eundem feciſſe miracula veri nominis propria sua vi (§. 727.), & vis, quæ Dei Filio inest, talis est concipienda, teste scriptura, qualis requiritur, ut intelligatur, cur mundus adspectabilis una cum suis elementis potius existat, quam non, & cur hic potius, quam quispiam alius existat (§. 723.); sacer codex itaque Christo Dei unigenito Filio talia tribuit opera, quæ soli Deo ita propria sunt, ut nequidem ab ipso Deo eo sensu, quo ea de Filio ejus prædicantur, ulli enti præter Deum possibili communicari possint. Consequenter sacræ literæ Christo, qua Dei Filio, tribuendo hæc opera Divina, seu soli Deo propria atque prorsus incommunicabilia, nos docent, eundem revera verum esse Deum, qui fecit opera soli essentiæ Divinæ propria

Propositione hac docemur opera, quæ Dei Filius patravit, esse signum veri Dei; Adeoque & scalam, per quam

ſecure ad ipſius eſſentiam Divinam concludere & aſcendere poſſumus, quia hæc opera indivulſo nexu cum eſſentia veri Dei cohærent ita, ut, cui ea tribuuntur, neceſſe ſit, admittere ejusdem eſſentiam Divinam, quod luculenter patet, ſi eas propoſitiones, in quibus hæc opera in ſacris Dei unigenito aſſignari demonſtravimus, in ſua principia reſolvere volueris. Theologi omnino omnes aſſeverant Chriſtum agnoſcendum eſſe verum Deum, quia opera patravit Divina, ſed ut de veritate hujus rei certi ſimus, & opera & attributa, quæ de Dei Filio refert ſcriptura ad notiones diſtinctas referri omnino debent, nexusque inter ea oſtendendus; Adeoque doctrina ſane ardua & maximi momenti in veri nominis ſyſtema redigenda eſt. Ex his itaque evidens eſt, hanc doctrinam non ſolum in ſyſtema verum redigi poſſe, ſed & ſimul neceſſitas evidens eſt, cur hoc fieri debeat. Unde & inferri facilime poteſt, quanta ſit differentia inter libros theologicos a ſolo Theologo conſcriptos, & eos a Theologo, qui vera Philoſophia imbutum habet animum, compoſitos, hujusque præ ceteris omnibus eximia præſtantia, quia hic demonſtrat, & de veritate, quam docet, certus eſt, reliqui ſolummodo perſuadere poſſunt, nec certitudo proprio lumine ſplendet. Adeoque non pœnitet nos attributa atque opera Divina Filii Dei ſollicite ad diſtinctas notiones retuliſſe, quia nobis placet veritatum indubia certitudo.

§. 746.

Adhuc aliud argumentum, nimirum ab opere redemtionis.

Angelus Domini Joſepho apparuit in ſomnio, & prædixit ei Mariam uxorum ſuam parituram filium, quem nominaret Jeſum: Rationem hujus denominationis ſtatim ſubjungit. Αὐτὸς γὰρ σώσει τὸν λαὸν αὐτοῦ ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτῶν. *Ipſe enim liberabit (ſalvabit) populum ſuum a peccatis ipſorum Matth.* I. 21. & Petrus repletus Spiritu Sancto di-

diserte asserit *Actorum.* IV. 12. *Nec est in alio quopiam salus, nec enim* (seu *quoniam non*) *aliud nomen est sub cœlo, quod datum sit hominibus, per quod oporteat nos servari.* Nomen hoc, cujus hic mentionem facit, expressis exprimit verbis versu 10. esse *nomem Jesu Christi Nazaræni;* Consequenter Jesus Dei Filius solus ille Salvator est, in quo salvamur. Verum enim vero salvat nos a *peccatis* nostris, *quæ nullus remittere potest, nisi solus Deus Marci.* II. 7. Adeo ut blasphemia sit cuidam tribuere remissionem peccatorum, qui non sit verus Deus, quemadmodum sacer codex l. c. docet. Et in parte sequente de œconomia salutis ex instituto agentes, uberius docebitur, opus salutis, seu redemtionis esse opus omni creaturæ prorsus impossibile & vere Divinum; Jesus itaque solus ille Salvator nos salvando se verum esse Deum demonstrat.

Equidem quidem verum est, nos adhucdum non demonstrasse Jesum Dei Filium nostrum Salvatorem esse, atque opus salutis opus vere Divinum, nec hoc fieri potuit, quia hac parte inquirimus in notiones distinctas sibi cum de Deo, tum de quovis, qui Deus in sacris dicitur, formandas; Ut adeo opus redemtionis, quatenus eo salvamur, hic in censum venire nequeat, nisi in bonam methodum peccare velimus. Atat! quia hoc opus revera opus veri Dei est, quemadmodum ex locis S. S. allatis evidens est, & demum parte sequente docebitur. Opera vero Divina Filii Dei ejus Divinitatem probant (§. 745.); Non inconsultum est, nec bonæ methodo repugnat, Divinitatem hujus operis ex his certis suis signis supponere, & inde, jam Deitatem Filii Dei ostendentes, ad eam concludere.

§. 747.

Adhuc aliud ab honore Divino.

Euangeliſta verba ipſius Jeſu Chriſti Filii Dei refert *Joh.* V. 22. 23., quæ hæc ſunt: *Nec enim Pater judicat quemquam, ſed omne judicium dedit Filio.* Ἵνα πάντες τιμῶσι τὸν Υἱὸν, καθὼς τιμῶσι τὸν Πατέρα· ὁ μὴ τιμῶν τὸν Υἱὸν, οὐ τιμᾷ τὸν Πατέρα τὸν πέμψαντα αὐτόν. *Ut omnes honorent Filium, ſicut honorant Patrem. Qui non honorat Filium, non honorat Patrem mittentem ipſum.* Quoniam Judæi ipſum blaſphemum declarabant, quod ſe æqualem faceret Deo verſu 18. His ipſis verbis oſtendit Jeſus, ſe omnino Deo æqualem eſſe, cum eodem modo honorandus ſit, quo Pater. Conſtat autem *Jeſ.* XLII. 8., ubi hæc leguuntur verba. אני יהוה הוא שמי וכבודי לאחר לא־אתן ותהלתי לפסילים. *Ego Jehova, hoc nomen meum & honorem meum non dabo alteri, & gloriam meam ſculptilibus*, ex hoc Dei de ſemetipſo teſtimonio, eundem adeo tenacem eſſe honoris ſui, ut ipſe nunquam patiatur, nec pati poſſit hunc ulli alii, quam ſibi ſoli tanquam ſoli vero Deo deferri; Conſequenter non niſi ei, qui ſecum ille Deus eſt, qui ſolus pro vero Deo agnoſcendus atque colendus. Unde Jeſus Dei Filius nos docet, quod quoque ex eo cognoſcatur verus Deus, quia honore ſoli Deo proprio honorandus.

Quia honor præſupponit judicium de perfectione honorandi (*Juris natur. part.* I. §. 538.), Deus ſufficientem habet rationem, ſui honoris eſſe tenaciſſimum. Etenim ſi pateretur eundem dari, qui veri Dei non ſunt, pateretur, ut judicetur vel eos easdem habere perfectiones, per quas Deus concipitur, vel Deum non habere perfectiones, quibus a rebus his, quæ ita honorantur, diſtinguitur. Cum vero utrumque judicium ſit falſum & Deum ma-

maximopere dedecens, pati minime poteſt quempiam honorari honore Divino, qui non ſit revera verus Deus. Ratio itaque dictitat, quod revelatio docet: nimirum Dei Filium verum eſſe Deum, quia honorandus honore ſoli Deo proprio; Unde denuo amicus ille conſenſus inter rationem & revelationem palam eſt. Et ſic certitudo hujus veritatis dubio caret.

§. 748.

Chriſto, qua Filio Dei tribuitur ἡ δόξα τοῦ Θεοῦ veluti *Joh.* XI. 4., ubi Jeſus de Lazaro ait: *Hæc infirmitas non eſt ad mortem*, ἀλλ' ὑπὲρ τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ, ἵνα δοξασθῇ ὁ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ δι' αὐτῆς, *ſed propter gloriam Dei, ut per eam glorificetur Filius Dei.* Lazarus revera hac infirmitate mortuus verſ. 14. 21. 32. 39., a Chriſto reſuſcitatus eſt quarto ab obitu ejus die verſ. 39. *ſeqq.*: Hæc reſuſcitatio facta eſt, ut videatur gloria Dei verſu 20. Quando itaque Chriſtus dicit: hæc infirmitas non eſt ad mortem, ſed propter Dei gloriam, perinde eſt, ac ſi dixiſſet, Lazarus quidem hac infirmitate morietur, non ut mortuus maneat, ſed ut reſuſcitatione ejus gloria Dei manifeſtetur. *Addit autem: ut per eam glorificetur Filius Dei:* nimirum per eandem infirmitatem, per quam gloria Dei manifeſtatur, per hanc ipſam glorificatur Dei Filius; Ut adeo gloria Dei & glorificatio Filii Dei tanquam ſynonyma idem ſint, ſeu gloria Filii Dei eſt gloria ipſi Deo competens. Verum enim vero Deus manifeſtat ſuam gloriam, quando Divinitatem ſuam patefacit (§. 379. 377.), ſeu gloria Dei eſt complexus attributorum Divinorum; Unde colligimus Chriſto Dei Filio tribui gloriam Divinam, quatenus eidem complexus Divinorum attributorum convenit, & Filius Dei glorificatur, quan-

Aliud a gloria Divina.

quando ei complexus attributorum Divinorum tribuitur, seu quod perinde est, quando agnoscitur eum verum esse Deum.

Idem quoque probatur hoc modo. Multitudo angelorum *Apocal.* V. 12., quos Johannes audivit, *dixit voce magna: dignus est agnus ille mactatus, qui accipiat potestatem, & divitias, & sapientiam, & vires, & honorem,* καὶ δόξαν *& gloriam.* Et statim versu 13. subjungit: *& omnis creatura, quæ in cœlo est, & quæ in terra, & sub terra, & in mari, & quæ in iis sunt omnia, audivi dicentes. Insidenti throno & agno benedictio, & honor,* καὶ ἡ δόξα *& gloria in secula seculorum.* Qui insidebat throno Deus Pater est, & agnus illi mactatus describitur versu 9. tanquam *qui nos redemit Deo per sanguinem suum, & qui fecit nos reges & sacerdotes Deo & Patri suo Apocal.* I. 6. *qui proprio suo sanguine sibi Ecclesiam acquisivit Actorum.* XX. 28. hic versu 21. disertis verbis dicitur *Dominus noster Jesus Christus;* Ut adeo agnus ille mactatus sit Dominus noster Jesus Christus Dei Filius. Huic æque ac Patri ab omnibus rebus creatis tribuitur gloria, quia illius dignus esse declaratur; *Deus autem honorem suum alteri non dat, nec gloriam suam sculptilibus,* sed ad id faciendum tenacissimus est *Jes.* XLII. 8. Etenim gloria Dei est complexus attributorum Divinorum; Ast attributa Divina prorsus incommunicabilia sunt; Adeoque gloria Divina quoque prorsus est incommunicabilis; Eo ipso igitur, quod, teste scriptura, agnus ille mactatus, seu Jesus Dei Filius gloriæ Divinæ eodem, ac Pater, modo dignus declaratur, asseritur eum ab omni creatura agnosci debere habentem comple-

plexum attributorum Divinorum, seu esse verum Deum.

Congerimus argumenta, quibus ex sacro codice patet, Dominum nostrum Jesum Christum Dei Filium revera verum esse Deum, non quod unumquodque horum argumentorum non sit satis demonstrativum, sed ut sequamur Theologis, qui consueti sunt hæc argumenta omnia proponere; Ut ostendamus revera his vim probandi inesse, hinc ea ad notiones distinctas referre debuimus, & sic illorum libri cum fructu legi possunt. Nec repugnat optimæ methodo in rebus arduis, qualis est doctrina de Deitate Filii, ex pluribus principiis unam eandemque veritatem demonstrare, modo demonstratio ipsa nomen suum tueatur.

§. 749.

Inter tentationes, quibus Satanas vexavit Jesum, ultima fuit, *ut ei ostenderet omnia regna mundi, gloriamque eorum, dixitque ei, hæc omnia tibi dabo, si prostratus adoraveris me. Tunc dixit ei Jesus, abi Satana. Scriptum est enim, Dominum Deum tuum adorabis, & ei soli servies. Tunc omittit eum Diabolus. Matth.* IV. 8--11. Satanas toto mundo, totaque gloria ejus utitur, ut sit motivum flectendi Jesum ad sui adorationem; hic autem se hoc motivo decipi minime patitur, sed solo hoc argumento: Dominum Deum tuum adorabis, & ei soli servies, ipse diabulum de blasphemia, quam hac tentatione intendit, convincit, ita ut nihil habuit Spiritus hic malignus, quod responderet, sed per certitudinem hujus veritatis coactus fuit, ut eum omitteret, quod tanquam summe astutus atque inverecundus tentator non fecisset, nisi agnovisset adorationem ullius entis, quod verus Deus non est, esse blasphemiam, seu adorationem *Aliud ab adoratione.*

ſoli vero Deo competere, aut, quod perinde eſt, adorationem ſignum veri eſſe Dei. Verum enim vero *Magi ab Oriente venientes proſtrati adoraverunt Jeſum Matth.* II. 2. 11. Itemque *leproſus Matth.* VIII. 2. *præfectus Synagogæ Matth.* IX. 18. ac *mulieres Matth.* XXVIII. 9. & *Apoſtoli* verſu 17. *Lucæ.* XXIV. 52. *& adorent eum omnes angeli Dei Hebr.* I. 6. *Immo ab omnibus adorandum eſt nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti* I. *Corinth.* I. 2. Non potuiſſet pati Chriſtus, ut adoretur ab angelis atque hominibus, quia tentatori demonſtravit omnem adorationem ejus, qui verus Deus non eſt, eſſe blaſphemiam *per demonſtrata*, niſi agnoviſſet ſe eſſe verum Deum, & ſe ab omnibus tanquam verum Deum adorari atque coli velle; Dominus noſter Jeſus Chriſtus igitur patitur, immo vult, ut adoretur, quia agnoſcit ſe eſſe verum Deum, & vult, ut ab omnibus tanquam verus Deus agnoſcatur.

Hac itaque propoſitione ab ipſo Dei Filio docemur adorationem nulli enti competere, quod verus Deus non eſt; Adeoque omnes illos blaſphemos, ſeu in Deum injurios eſſe, qui quidpiam præter verum Deum adorant. Quod evidens eſt. Etenim cum diabulus, qui non ſolum maximopere inverecundus, ſed & malignus atque aſtutus eſt Spiritus, non habuerat, quod huic veritati opponeret, quod ex eo luculenter patet, quod hoc Chriſti argumento audito ſtatim abierit; Hæc talis veritas eſt, quam ſumme aſtutus, malignus & impudens Spiritus; & per conſequens omnis creatura rationalis tanquam immotam, & extra omnem dubitationis aleam poſitam agnoſcere debet. Præterea Dei Filius omniſcius, ſcivit ſe gaudere attributis Divinis, ſeu habere eſſentiam revera Divinam; Potuit ita-

itaque jure velle, immo voluit, ut ipse propter hanc suam essentiam Divinam tanquam verus Deus adoretur; & sic certo concludimus, ipsum adorari velle, quia voluit, ut agnoscatur, illum revera esse verum Deum.

§. 750.

Ipse Dei Filius Apostolos suos jubet *omnes gentes in nomen Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizare Matth.* XXVIII. 19. Verum enim vero baptismum in nomen Dei esse partem cultus Divini, suo loco independenter ab his evicte docebitur. Quare cum solus Deus colendus, teste Domino nostro Jesu Christo *Matth.* IV. 10. & præstatio cultus Divini ulli alteri enti præter Deum existenti blasphemia, seu injuria in ipsum Deum sit (§. 749.); Dei Filius Apostolos suos jubet omnes gentes in nomen Patris ac Filii baptizare, quia Filius æque ac ipse Pater tanquam verus Deus agnoscendus & colendus. *Aliud a baptismate.*

Tot argumentis sacræ literæ utuntur, ut agnoscamus Dei Filium revera verum esse Deum. Unde concludimus hanc agnitionem esse veritatem maximi prorsus momenti, eosque in ipsam veritatem Divinitus revelatam, quidni in ipsum Deum valde injurios esse, qui eam agnoscere nolunt, quid dicam de iis, qui Deitatem hujus veri Dei negare alloborant, quam tot argumentis indubiis revelavit ipse Deus.

§. 751.

Jerem. XXIII. 5. 6. hæc reperiuntur verba. *Ecce dies venturi sunt, dicit Jehova, quibus exitabo Davidi germen justum, qui regnabit Rex, secundabiturque, ac exercebit jus & justitiam in terra. Diebus ejus servabitur Juda, & Israël habitabit secure: atque hoc nomen ejus est,* Jehova & Θεὸς, quæ sunt nomina Deo propria, Filio Dei tribuuntur.

est, אשר יקראו יהוה צדקנו *quo vocabit* (*Jehuda vel Israël*) *eum; Jehova justitia nostra.* Jeremia temporibus, ubi populus Israëliticus in captivitatem Babylonicam abduceretur, vixit, simulque utitur verbis in futuro tempore; Unde evidens est eum loqui de rebus in futuro tempore existentibus. Verum enim vero nec Israëlitæ in captivitate Babylonica, nec post eam unquam Regem habuerunt, qui ex posteris Davidis fuit, immo cum genealogiæ jam dudum perditæ, & saltem post excidium Hierosolymitanum nulla indubia superstit, nec dici potest adhuc quendam Regem ex hujus Israëlitorum Regis posteris exstiturum, quia id nullo modo probatu possibile, quod ex istius lumbis sit. Adde, quod ipsum vaticinium, quo hic Rex describitur, in hominem, qui sola creatura est, nequaquam cadere possit; Consequenter nullus unquam exstitit, nec existet, Rex Judæorum, cui hoc vaticinium applicabile. E contrario omnia hujus vaticinii minutissima in Jesu adimpleta sunt. Etenim *hic Rex Judæorum est Lucæ.* XXIII. 3., cujus genealogia a Davide *Matth.* I. *Lucæ.* III. legitime deducta est, in eo servatur tota Domus Israël, quia *in alio quoquam salus non datur, nec aliud nomen sit sub cœlo datum inter homines, per quod oporteat nos servari Actorum.* IV. 12. Adeoque in Christum quadrat, quod de hoc Rege ex Davide oriundo vaticinatur. Præsertim cum is sit justitia Israëlis: nam *Christus Jesus a Deo nobis factus justitia* I. *Corinth.* I. 30., & ab essentia Divina, qua pollet (§. 743.), verus dicitur Deus; Ut adeo nomen Jehova soli Deo proprium atque essentiale (§. 684.) eidem absque ullo dubio competat; & sic merito a Jehuda & Israële vocari possit ac debeat, Jehova justitia nostra; tribuitur itaque Jesu salvatori nostro nomen soli Deo proprium & essentiale Jehova.

Gen-

Gentium Doctor I. *Corinth.* X. 9., inquit. *Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentarunt, & a serpentibus perierunt.* Hic versu 11. addit: *hæc omnia typice evenerunt eis: scripta vero sunt ad nostri admonitionem.* Verum enim vero aliam tentationem in sacris conscriptam, qua tentatores a serpentibus perierunt, non legimus, quam eam *Num.* XXI. 4. *seqq.*, ubi dicitur: *animum populi imminutum esse, & locutum contra Deum & contra Mosen, quare feciſti, ut ascenderemus ex Ægypto ad moriendum in hoc deserto &c. Tunc immisit Jehova in populum illum serpentes pestiferes, qui morderent populum; ita moriebatur populus multus ex Israële. Veniens itaque populus ad Mosen dixerunt, peccavimus, quod locuti sumus contra te &c.* Israëlitæ confitentur se contra Jehovam locutos fuisse. Apostolus autem nos docet Christum fuisse tentatum; Consequenter qui Israëlitis Jehova Deus dicitur, is a Paulo Christus vocatur. Extra dubitationem itaque est Christum ab Israëlitis vocatum esse Jehova, seu Christo tribuitur nomen Divinum Jehova.

Hoc eodem modo evidens est ex versu 10. cap. X. Epist. I. ad *Corinth.*, ubi Apostolus ait: *Neque murmurate, sicut quidam eorum murmurarunt, & perierunt a perditore (dispersore).* Versu 9. diserte Christus nominatur, & quemadmodum ibi dictum est, neque tentemus Christum, hic dicitur, neque murmurate, nimirum contra Christum. Jam alias non legimus populi Israëlitici murmurationes, quæ hic in censum venire possunt, quam quas recenset Moses *Num.* XIV. 2. *seqq.* XVI. 33. 35., ubi diserte Jehovæ fit mentio. Ex his igitur & pluribus aliis exemplis luculenter patet, quod Christus sub veteri testamento sæpis-

sime nuncupetur nomine soli Deo proprio atque essentiali Jehova.

Consimiliter Dei Filius dicitur I. *Joh.* V. 20. Θεὸς ὁ ἀληθινὸς *Rom.* IX. 5, & Θεὸς εὐλογητὸς, quæ loca non nisi de salvatore nostro Jesu Christo accipi possunt (§. 744.). Quare cum nomen Θεὸς sit nomen veri Dei, quo is, qui essentiam vere Divinam habet, nominatur (§. 688.); **Dubio caret, Dei Filium in sacris vocari Θεὸν nomine soli Deo proprio ob suam essentiam Divinam.**

Et sane Dei Filio competunt omnes determinationes Dei essentiales, omnia opera Divina; per consequens & nomen soli Deo proprium. Etenim cui competit definitum, ei competat definitio, necesse est. Adeoque ex hucusque dictis liquet, nihil desiderari a revelatione unquam posse, quin Dei Filius Jesus Christus agnosci debeat verus Deus, eosque ab omnis veritatis trita quam longissime aberrare, qui Deitatem ejus in dubium vocant, quid sentiendum sit de iis, qui eam negare conantur, quivis facillime dijudicare potest.

§. 752.

Filius cum Patre eandem habet essentiam.

Dei Filius veram habet essentiam Divinam, seu omnes determinationes essentiales, per quas ipse Deus concipitur (§. 743.), ei tribuuntur opera Divina, seu soli Deo propria atque incommunicabilia (§. 745.), & in specie opus redemtionis (§. 746.), ei competit honor Divinus (§. 747.), & gloria Divina (§. 748.), nec non adoratio (§. 749.), præterea baptizamur in nomen ejus æque ac in nomen Patris (§. 750.), denique nomina יהוה & Θεὸς soli Deo propria atque essentialia ei in sacris tribuuntur (§. 751.); Consequenter ei omnia tribuuntur, quæ soli Deo tribui possunt, & per quæ verus Deus ab omnibus entibus aliis distin-

ſtinguitur, ac Diis falſis opponitur, quemadmodum ex ſectione priori evidenter patet. Quare cum Pater verus ille Deus ſit, cui eſſentia, attributa, opera, honor, gloria, cultus & nomina Divina (§. 652. 686. & 690.), quæ ſoli vero Deo competuunt, tribuuntur; Pater & Filius in eo tertio conveniunt, quod ſint verus Deus, ſeu quod his duobus ſimul tribuantur omnia, quæ vero Deo tribui poſſunt; Conſequenter Pater & Filius ſunt ſimul verus Deus, habentes eandem eſſentiam Divinam; Adeoque & eandem eſſentiam.

An eſſentia Filii eadem ſit ſpecie, an vero ſpecie & numero ſimul eadem ſit cum eſſentia Patris ex paragrapho ſequente patebit.

§. 753.

Ratione pariterque revelatione amice conſentientibus agnoſcimus unum ſolum verum Deum ſolummodo poſſibilem eſſe unitate numerica (§. 147. 148.), ita ut prorſus impoſſibile ſit, plures Deos, ſive ſimul, ſive ſucceſſive exiſtere poſſe, qui vel eandem, vel diverſam habeant inter ſe eſſentiam (§. 149. & *Ontol.* §. 79.), quia idem numero eſt, quod de ſe ipſo affirmari poteſt in ſingulari, ſeu quod bis exiſtere repugnat (*Ontol.* §. 182.). Quamobrem cum Pater & Filius ſint ſimul verus Deus, qui gaudent eadem eſſentia Divina (§. 752.); Eſſentia Divina Patris & Filii eadem eſt numero, quatenus impoſſibile eſt eſſentiam Divinam bis ponere. *numericam.*

Dicitur equidem *Joh.* X. 30. Ἐγὼ καὶ ὁ Πατὴρ ἓν ἐσμεν. *Ego & Pater unum ſumus,* Nec dubium eſt, quin hic loquatur Jeſus Dei Filius, quod luculenter patet ex conne-

nectione. Etenim Euangelista diserte affirmat, se referre ipsa verba Jesus versu 25. Interim tamen ad minimum saltem prolixiori demonstratione opus habuissemus ad probandum hic eundem asseverare essentiam Divinam suam numero eandem esse cum ea Patris sui. Huic prolixitati supersedere jam possumus, cum id ex hac propositione evidens sit, immo nunc concludere potius possumus, hæc verba hunc sensum habere propter analogiam fidei. Ceterum error eorum, qui quidem consentiunt essentiam Patris & Filii esse eandem specie, sed negant identitatem ejus numericam, itidem ex hac propositione refutatur atque evanescit. Atat! de hac re uberius suo loco, quando de Trinitate ex instituto agemus. Hic solummodo sollicite inquirimus in notiones distinctas sibi de Dei Filio formandas, scriptura magistra, & ubi hæc silet, nos tacemus, quia mysterium est.

§. 754.

Quo sensu Filius Dei sit αὐτόθεος.

Dei Filius, teste scriptura, essentiam habet vere Divinam, seu verus Deus est (§. 743.). Quare cum per Deum intelligere debeamus illud ens, quod est a se (§. 21.); Necesse est Dei Filium esse ens a se, seu gaudere essentia, quæ a se est. Jesus Christus autem Dei Filius dicitur, quia a Deo Patre proprie genitus (§. 693. & 694.), & Pater suam essentiam Divinam Filio largitus est (§. 659.) & essentia Patris & Filii eadem est (§. 752.) identitate numerica (§. 753.); Consequenter Dei Filius eandem essentiam, quæ a se est, a Patre & non a se habet, seu is quoad modum habendi essentiam suam a Patre, non vero a se est. Verum enim vero eum, qui a se ipso Deus est, αὐτόθεον salutamus (§. 655.); ad mentem itaque codicis sacri Jesus Dei Filius αὐτόθεος est, quatenus es-

essentiam habet eandem cum Patre numero, quæ a se est, non vero quoad modum habendi hanc Divinam essentiam, quia eam a Patre habet.

Quoniam Pater αὐτόθεος est, non solum quoad ipsam essentiam Divinam, sed & quoad modum habendi hanc essentiam, quæ a se est, quia eam non minus a se habet (§. 655.), & Filius solummodo αὐτόθεος est, quod gaudeat essentia Divina eadem numero cum Patre, ipsam autem essentiam, quæ a se est, non a se, sed a Patre habeat *per demonstrata;* Differentia inter Deum Patrem & Deum Filium evidens est, & sic Pater a Filio distinguitur, quod hic essentiam, quæ a se est, a nullo alio, sed a se, ille autem eandem numero essentiam, quæ a se est, non a se, sed a suo Patre habeat, aut si magis arridet, differentia inter utrosque consistit tota, in modo habendi eandem numero Divinam essentiam, quam Pater a se, Filius autem a Patre habet. Hæc probe perpendenda sunt, quia cognitio distincta differentiæ inter eos, qui dicuntur verus Deus res maximi momenti est in doctrina de S. S. Trinitate. Hac enim bene cognita, de hac doctrina nobis verum conceptum formare licet, ea autem neglecta, nullus verus atque certus conceptus formari potest, sed difficultates oriuntur indissolubiles, nec quis ab errorum præcipitiis totus esse potest, immo negligentia cognitionis distinctæ hujus veritatis causa est tot errorum. Usus itaque hujus propositionis per se manifestus est.

§. 755.

Dei Filius juxta scripturam eandem cum Patre habet essentiam (§. 752.), & quidem numero (§. 753.). Verum enim vero Pater solus αὐτόθεος est & quoad essentiam & quoad modum habendi eam (§. 655.), Filius autem so-

Dei Filius ὁσιωδῶς cum Patre idem est, differt autem ab eo ὑπερβαλικῶς.

lummodo αὐτόθεος est quoad essentiam, sed non quoad modum eam habendi (§. 754.); Adeoque Pater & Filius idem sunt, quatenus eandem habent essentiam numero, differunt autem in modo habendi hanc essentiam. Quamobrem cum nobis cum Concilii Constantinopolitani patribus essentia sit οὐσία (§. 657.), & ὑπόστασις differentiam indicet, quæ est inter eos, qui in Sacris verus Deus dicuntur (§. 658.), & nulla alia inter Patrem atque Filium differentia adsit, quam quæ invenitur in modo habendi essentiam Divinam; Ὑπόστασις nihil aliud denotare potest, quam differentia, quæ inest modo habendi essentiam Divinam; Filius Dei itaque cum Patre ὁμοιωδῶς idem est, differt autem ab eo ὑποστατικῶς, seu eandem habet essentiam cum illo, non autem iis idem modus est habendi eandem essentiam.

Hanc subjicimus propositionem, ut Lectores distincte cognoscere possint, quid his terminis ab Ecclesia receptis intelligi debeat, hoc modo pluribus & maximis disputationibus, immo erroribus occurritur, simulque cum antiqui tum moderni scriptores intelligi queunt, & eorum sententia an vera, an erronea sit, dijudicari potest.

§. 756.

Cur Filius Dei dicatur Christus.

Euangelista *Lucas*. IV. 17. *seqq.* commemorat Christo exhibitum esse librum Esaiæ, & explicato libro eum invenisse locum, in quo scriptum erat: *Spiritus Domini super me, propterea quod unxit me, ut Euangelizem pauperibus - - - ut prædicem annum Domini acceptum. Et complicato libro dixisse: Certe hodie impleta est hæc scriptura audientibus vobis.* Prædictio futurorum contingentium signum certissimum alicujus Prophetæ est; Unde certum est, hic describi quendam Prophetam, seu unctionem alicu-

cujus Prophetæ. Quis vero hic unctus Propheta sit, Christus indicat, dicendo: Certe hodie impleta est hæc scriptura audientibus vobis. Quare cum nullus nisi ipse Christus tunc temporis ad auditores hos loqueretur, hoc idem est, ac si dixisset: Ego, qui ad vos loquor, & quem hodie auditis, sum ille, in quo hæc scriptura adimpletur, seu Dominus me unxit in Prophetam hunc. Christum Prophetam in sacris vocari, facillime colligitur, quando hic ipse versu 24. (conferatur *Joh.* IV. 44. *Matth.* XIII. 57. *Marci.* VI. 4.), inquit: *nemo Prophetarum acceptus est in patria sua.* Ansa, quam habuit hæc proferrenda, alia non erat, quam quod in patria sua nolebant in eum credere, immo offendebantur in ipso; Ut adeo idem est, ac si dixisset. Non miror vos offendi in me, quia tanquam Prophetarum unus in hac mea patria non acceptus sum. Immo *Matth.* XXIV. 24. legitur. *Excitabuntur Pseudo-Christi & Pseudo-Prophetæ*, quasi hæc sint synonyma; Unde e contrario Christus & Propheta quoque pro synonymis haberi debent. Christum vero unctum esse Apostolus *Hebr.* I. 9. diserte tanquam veritatem ex ipsius Dei ore prolatam affirmat. Ratum itaque manet Christum in Prophetam unctum esse.

Porro Jesus Christus vocatur & describitur Pontifex maximus veluti *Hebr.* IV. 14., ubi diserte dicitur *Jesum Dei Filium esse Pontificem magnum, qui transivit cœlos*, & cap. V. 5. affirmatur, *quod Christus non ipse sibi hunc honorem tribuat, ut fieret Pontifex, sed is, qui dixit ei, Filius meus es tu, ego hodie genui te* versu 6. - - - *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedeci. Ita ab ipso Deo cognominatus* versu 10. Verum enim vero cum sacerdotes ungebantur secundum Dei præceptum

Exodi. XXVIII. 41. XXIX. 29. *Levit.* VIII. 12., & Christus sit unctus; Evidens est, eundem esse unctum in summum Pontificem.

Denique cum Pontius Pilatus Christum coram suo tribunali rogaret, num Rex sit, ipse hoc diserte asserit, quod sit Rex *Joh.* XVIII. 33---37. Verum enim vero Reges ungebantur II. *Samuel.* IX. 16. XVI. 1. 13. Christus itaque in Regem unctus est.

Hoc quoque his Psalmistæ verbis docetur. Ps. XL. 7. 8., quæ hæc sunt. *Solium tuum, O Deus, in seculum sempiternum, sceptrum rectum (est) sceptrum regni tui. Dilexisti justitiam & odisti improbitatem, propterea unxit te, O Deus, Deus tuus oleo gaudii præ consortibus tuis.* Sceptrum rectum regni Filii Dei describitur consistere in eo, quod dilexerit justitiam ac oderit improbitatem. Hoc autem allegatur tanquam ratio, cur eum Deus unxerit. Verum enim vero solium atque sceptrum sunt signa Regis; Affirmatur itaque Deum unxisse Deum, seu Filium suum in Regem, & quod hic unctus Rex voluptatem ex hac unctione capiat, indicatur eo, quod dicatur hanc unctionem factam esse oleo gaudii. Præ consortibus suis unctus est oleo gaudii, quia summam capit voluptatem ex hac unctione, seu majorem consortibus suis, sive aliis quibuscunque Regibus. Verum enim vero Apostolus nos docet *Hebr.* I. 8. 9., Deum hæc verba Psalmistæ ad Filium suum Jesum Christum dixisse; Itaque extra omnem dubitationis aleam positum est, Dei Filium summa cum voluptate sua unctum esse in Regem.

Qui primis degustavit labris Græcam linguam, noscit substantivum Χριστὸς descendere a verbo Χρίω *ungo*; Adeoque

que Χριστὸς *unctum* denotat. Quare cum Dei Filius in Prophetam, ſummum ſacerdotem atque Regem unctus ſit ad mentem ſacri codicis *per demonſtrata.* Luculenter patet Dei Filium in ſacris vocari Χριστὸν Chriſtum, quia in ſummum ſacerdotem, Prophetam atque Regem unctus eſt.

Munera ſeu officia mediatoria Filii Dei abſolvuntur ejus prophetia, ſacerdotio ac regno; at de his ex inſtituto a-jendum eſt in œconomia ſalutis; Adeoque hic nobis ſufficit ſcire, cur Dei Filius nomine Chriſti inſigneatur, ipſa vero hæc munera uberius ſuo loco explicabimus. Cum reliqua, quæ ſcriptura de Dei Filio tradit, non ſpeciatim tendant ad agnoſcendam ejus eſſentiam Divinam, de qua hic ſolummodo ſermo eſt, ſed ad opus redemtionis pertineant hinc, ea reſervamus locis convenientibus, atque pedem promovemus ad inquiſitionem in eſſentiam Spiritus Sancti tanquam qui tertius eſt, qui in ſacris verus dicitur Deus.

CAPUT IV.

De Spiritu Sancto.

§. 757.

Vocabulum Spiritus quo ſenſu de Deo ſumitur.

Numerus I. *Joh.* IV. 24. dicitur: Πνεῦμα ὁ Θεὸς *Deus eſt Spiritus*; Τὸ Πνεῦμα itaque hoc loco prædicatum Dei eſt, & (§. 135.) ex hoc loco demonſtravimus Deum appellari Spiritum, quia eſt ens intellectu perfectiſſimo atque voluntate liberrima præditum; Adeoque vocabu-

lum Πνεῦμα *Spiritus* tribuitur Deo ad indigitandum ſuam eſſentiam conſiſtere in perfectiſſimo intellectu atque liberrima voluntate. Et hoc ſenſu vocabulum Spiritus in ſacris literis eſſentialiter ὑποστάσεως (§. 657. 755.) ſumi dicitur.

Numerus II. Atat! ſacer codex *Rom.* VIII. 14. Πνεῦμα Θεοῦ *Spiritus Dei Matth.* X. 20. Πνεῦμα τοῦ Πατρὸς *Spiritus Patris Gal.* IV. 6. Πνεῦμα τοῦ Υἱοῦ *Spiritus Filii Dei & Philipp.* I. 19. Πνεῦμα Ἰησοῦ Χριστοῦ *Spiritus Jeſus Chriſti* mentionem facit, nec non *Matth.* XXVIII. 19. εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς, καὶ τοῦ Υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος *in nomine Patris, Filii atque Spiritus Sancti baptizari* jubemur. Quoniam in his locis Spiritus appellatur in oppoſitione ad Patrem & Filium, qui per ſuperius demonſtrata una cum eo, qui Spiritus in ſpecie dicitur, ſunt ille Deus, qui ſolus & unus verus Deus eſt; Ideo patet, vocabulum Πνεῦμα Spiritus in iſtis locis eſſentialiter ſumi non poſſe, ſed poſitive in ſpecie denotare eum, qui una cum Patre & Filio, a quo realiter diſtinctus eſt, verus Deus eſt.

Licet adhuc demonſtratum non ſit Spiritum Sanctum verum eſſe Deum, quam demonſtrationem jam agredimur; recte tamen diximus per Πνεῦμα poſitive ſumtum, intelligendum eſſe illum, qui diſtincte a Patre atque Filio verus eſt Deus. Etenim non ſolum independenter ab hac propoſitione id demonſtrabitur, ſed & Petrus hunc a Patre & Filio diſtinctum, quem vocavit Spiritum Sanctum, ſtatim appellat Deum *Actorum.* V. 3. 4.; Fidentes itaque Petro eundem diximus verum eſſe Deum; Unde patet nos in formanda definitione nominali Spiritus nec

a

a methodo, nec a sensu vero sacrarum literarum aberravisse.

§. 758.

Quoniam Spiritus Sanctus essentiam suam Divinam, seu essentiam, quæ a se est, a Patre & Filio habet (§. 674.); Consequenter quoad modum habendi essentiam, quæ a se est, a Patre atque Filio dependet (*Ontol.* §. 851.); Ideo patet Spiritum S. dici Spiritum Patris & Filii ejus Jesus Christi, quatenus dependenter ab utroque essentiam Divinam, seu quæ a se est, habet. *Cur Spiritus Patris & Filii dicatur,*

Notiones has propterea distinctas reddimus, ne quid obscuri in hac ardua materia maneat, easque ad sensum communem, sacroque codice conformem revocamus, ut Adversarii videant, quod si hoc sensu verba scripturæ non accipiant, ea detorqueant, seu a sensu genuino aberrent; Adeoque quæ inde inferunt, simul falsa sive erronea esse. Immo hæ propositiones exemplo esse possunt, qua via sit eundum iis, qui sibi distinctas notiones earum, quæ in sacris traduntur, formare, & sic, quid in iis docetur, scire volunt.

§. 759.

Qui locis (§. 757.) allatis Spiritus Dei, Spiritus Patris & Filii Dei Jesus Christi vocatur, toties quoque in scriptura τὸ ἅγιον Πνεῦμα *Spiritus Sanctus* appellatur veluti *Matth.* XXVIII. 19. *Actorum.* V. 3. XIII. 2. & alibi. Porro gentium Apostolus I. *Corinth.* VI. 11. dicit: *sed abluti estis,* ἀλλὰ ἀπελούσασθε, *sed sanctificati estis, sed justificati estis* ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ, καὶ ἐν τῷ Πνεύματι τοῦ Θεοῦ ἡμῶν. *in nomine Domini Jesus, & in Spiritu Dei nostri.* Spiritus Sanctus etiam Spiritus Dei in sacris nuncupatur (§. 757.), nec de Deo prædicatur hic, quod *Cur Spiritus Sanctus.*

Spi-

Spiritus ſit, ſed poſitive loquitur de Dei Spiritu; Adeoque in ſpecie hic indigitatur is, qui una cum Deo Patre & Filio, a quo realiter diſtinguitur, verus Deus eſt (§. *citato.*), ſeu de Spiritu Sancto. Porro dicimur ſanctificati non in nomine Spiritus Sancti, quemadmodum ſanctificati dicimur in nomine Domini Jeſus, ſed dicimur ſanctificati in Spiritu Dei noſtri, ſeu in Spiritu Sancto. Hæc locutio aliter intelligi nequit, quam quod in nomine Dominii Jeſus a Spiritu Sancto ſanctificemur, ſeu quod Spiritus Sanctus nos ſanctificet. Et David *Pſ.* CXLIII. 10. a Jehova petit: *Doce me facere placitum tuum, quia tu Deus meus, tuo Spiritu bono deduc me per terram planam.* Explicatur terra plana per placitum Dei; Placet autem Deo, quod eſt perfectiſſimum (§. 297.); Conſequenter quoad actiones, de quibus hic Pſalmiſta ſub figura terræ planæ loquitur, nihil aliud intelligi poteſt quam earum perfectio; Ut adeo idem ſit, ac ſi hic Rex dixiſſet, deduc me Spiritu tuo bono in actiones perfectas, ſeu rectas; Unde etiam quidam interpretes hæc verba ita vertunt: tuo Spiritu bono deduc me in via recta. Quare cum ſanctificemur, quatenus voluntas noſtra dirigitur in id, quod rectum, ſeu quod voluntati Divinæ conforme eſt (§. 529.), aut ſi cum Davide loqui mavis, quod ei placet; Evidens eſt Spiritum propterea dici Spiritum Sanctum, quatenus voluntatem noſtram dirigit in id, quod rectum eſt, ſeu voluntati Divinæ conforme, id eſt quatenus nos ſanctificat.

Hujus propoſitionis uſus inſignis per ſe patet, cum ut ſciamus, quodnam ſit primarium opus hujus Spiritus in œconomia ſalutis, nimirum ſanctificatio, tum quia notio fœcunda eſt, quando de ſanctificatione noſtra agetur.

Ta-

Taceo, quod hoc modo inter legendum sacras literas nobis distinctas ideas de iis, quæ traduntur, formare valeamus.

§. 760.

Gentium Apostolus I. *Corinth.* II. 10., inquit: *Deus vero nobis (ea) revelavit per Spiritum suum.* Τὸ γὰρ Πνεῦμα πάντα ἐρευνᾷ, καὶ τὰ βάθη τοῦ Θεοῦ *Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunditates Dei.* Quod *Lutherus* quoque in vernacula optime reddit. Uns aber hat es Gott offenbahret durch seinen Geist: dann der Geist erforschet alle dinge / auch die tieffe der Gottheit. De Deo dicitur, quod ea nobis revelaverit per Spiritum suum; Adeoque τὸ Πνεῦμα *Spiritus* hic nihil aliud indigitare potest, quam illum, qui positive dicitur Spiritus Dei (§. 757.), seu qui versu 13. diserte vocatur Spiritus Sanctus. De hoc Spiritu prædicatur, quod omnia, etiam profunditates Dei Scrutetur. Ille omnia scrutari dicitur, qui rationes reddere potest, cur omnia potius sint, quam non, & cur ita potius sint, quam aliter; Quando itaque Spiritus Sanctus dicitur Scrutari omnia, de eodem affirmatur, quod rationes reddere possit, cur hæc omnia potius sint, quam non, & cur ita potius, quam aliter. Addit Apostolus eundem etiam Scrutari profunditates Dei; Unde facile colligitur per Dei profunditates nihil aliud intelligi posse, quam quæ Deo intime insunt, ita tamen absconditæ, ut a nullo ente finito detegi possint, veluti intellectus Divinus, qui est incomprehensibilis (§. 172.), voluntas ejus imperscrutabilis (§. 292.), decreta ejus imperscrutabilia (§. 325.), sapientia ipsius imperscrutabilia (§. 411.) &c. De Spiritu Sancto autem affirmatur eum has profunditates Dei Scrutari; Adeoque de eodem asseritur, quod ea, quæ Deo intime insunt, vel in ipso abscondita sunt, licet ea a nullo ente

Spiritus Sanctus est omniscius.

finito detegi possint, penitus perspiciat, & eorum rationes reddere posset, cur ea potius Deo intime insint, quam non, & cur potius ita, quam aliter. Jesus autem hunc ipsum Spiritum *Joh.* XIV. 17. nominat τὸ Πνεῦμα τ ἀληθείας *Spiritum veritatis*, de quo etiam sacer codex asserit, quod nos in omnem veritatem ducat; Unde evidens est, rationem, quam de Deo, simulque de rebus extra Deum existentibus, seu de omnibus rebus reddere valet, cur potius sint, quam non, & cur potius hoc, quam alio quovis modo sint, veram & certam esse, non autem tantummodo probabilem aut sæpe falsam, quemadmodum hominum, qui scrutinio suo errant a vero, vel saltem errare possunt, nec semper certitudinem assequuntur. Verum enim vero, qui rationes reddere potest omnium omnino rerum, ne profunditatibus quidem ipsius Dei exceptis (ut verbis Apostoli utar), cur potius sint, quam non, & cur potius ita sint, quam aliter; Is necessario habet scientiam, eorum omnino omnium quæ cognitu possibilia sunt. Quare cum omniscientia sit scientia omnium cognitu possibilium, tam singularium, quam universalium (§. 229. & *Theol. natur. part.* I. §. 301.); Spiritum Sanctum his Apostoli verbis omniscium prædicari, tanquam qui omnia cognitu possibilia, tam singularia, quam universalia, scit, extra omnem dubitationis aleam positum est.

Qui ea, quæ (§. 230.) dicta sunt, relegit, & bene perpendit, ultro videbit, nos in hac propositione ex verbis Gentium Doctoris evidenter ostendisse Spiritum Sanctum in sacris eo sensu omniscium vocari, quo Deo ex communi loquendi usu in Scholis Theologorum & Philosophorum recepto omniscientia tribuitur, nimirum ut omnem actum intellectus Divini designet, quo quicquid possibile est, cognoscit. §. 761.

§. 761.

Quoniam Spiritui Sancto ad mentem Pauli tribuenda est omniscientia eo sensu, quo ipsi Deo ea ex communi loquendi usu in Scholis Theologorum ac Philosophorum recepto tribuitur (§. 760. *in notis.*), & ex ipsa omniscientiæ notione deduci possunt ea omnia, quæ ad actum intellectus Divini, quo, quicquid possibile, cognoscit, spectant (*Theol. natur.* §. 302. *in notis.*), & hæc omnia, quæ ad intellectum Divinum pertinent, jam sectione priori sufficienter fuere demonstrata; Non opus est, ut absque necessitate simus prolixiores, præsertim cum quæ hic a sciendi cupidis desiderari possint, modo in sectione priori, de intellectu Divino agentes, demonstrata sint; Unde luculenter patet Spiritui Sancto ad mentem Apostoli tribuenda esse ea omnia, quæ de intellectu ipsius Dei demonstrata sunt, seu omnis actus intellectus ipsius Dei competit Sp. S. *Spiritui Sancto competit omnis actus intellectus Divini,*

§. 762.

Quoniam omniscientia est scientia omnium cognitu possibilium, non solum singularium, sed & omnium omnino universalium (§. 229. & *Theol. natur. part.* I. §. 301.). Ratio autem est facultas nexum veritatum universalium intuendi (*Psychol. empir.* §. 483.); Dubio caret, quin ex notione omniscientiæ deduci possint ea omnia, quæ ad actum rationis Divinæ, qua Deus nexum omnium veritatum universalium perspicit, spectant. Quamobrem cum Spiritus Sanctus, teste scriptura, omniscius sit (§. 760.); Patet eidem tribuenda esse ad mentem codicis sacri ea omnia, quæ ad actum rationis Divinæ pertinent. *& ratio Divina.*

Hac itaque propositione docemur Spiritui Sancto, scriptura magistra, in genere tribuendum esse totum actum Divinæ rationis; Hinc prolixiores esse nolumus in specie ostendere omne id, quod de ratione Divina dictum est, etiam necessario de ratione Divina Spiritui Sancto propria affirmandum esse. Quoniam id, quod de toto genere verum est, necesse est, ut de quavis specie sub eo genere contenta verum sit. Unde liquido patet, ea omnia, quæ de ratione Divina demonstrata sunt, etiam de Spiritu Sancto certa esse, & qui in rationem Dei injurius est, injurium esse in rationem Spiritus Sancti.

§. 763.

Cognitio Symbolica Sp. S. perspecta est.

De Apostolis dicitur *Actorum.* II. 4. Καὶ ἐπλήσθησαν ἅπαντες Πνεύματος ἁγίου, καὶ ἤρξαντο λαλεῖν ἑτέραις γλώσσαις, καθὼς τὸ Πνεῦμα ἐδίδου αὐτοῖς ἀποφθέγγεσθαι. *Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto, & cœperunt loqui aliis linguis, prouti hic Spiritus dabat eis effari.* Locuti sunt Apostoli tot linguis, quod præsentes erant auditores ex diversis nationibus, nimirum Judæi, Parthi, Medi, Elamitæ &c. & quidem magna illa opera naturæ atque gratiæ a Deo facta effati sunt. Dicitur autem eos locutos esse non, quod ipsi meditati sunt, sed quid Spiritus Sanctus eis dedit. Unde liquido constat nullam linguam esse, quam Spiritus hic iis dare non potuit, nec nullam rem concipi posse, quæ nomine aliquo indigitabilis, quam Spiritus S. non cogitavit, quamque tanquam causa principalis quavis lingua verbis per Apostolos auditoribus eorum exprimere non potuit. Jam vero Symbolica dicitur cognitio, si terminatur actu, quo verbis tantum enunciamus, quæ in ideis continentur, vel aliis signis eodem repræsentantur, ideas vero ipsas verbis aut signis aliis indigitatas non intuemur (*Psychol. empir.* §. 289.). Spiritui S. igitur perspecta esse de-

debent, quæ ad cognitionem Symbolicam pertinent. Verum enim vero cum juxta sacrum codicem ideæ rerum intellectu Divino essentiales sint (§. 203.); Adeoque ab eodem nunquam abesse possint (*Ontol.* §. 144.), cumque intellectus Divinus nihil cognoscat confuse, sed omnia distincte (§. 169.), illarumque sibi semper conscius esse debeat (*Psychol. ration.* §. 11.), cum denique Spiritui Sancto ea omnia sint tribuenda, quæ de intellectu Divino demonstrata sunt (§. 761.); Fieri non potest, ut cognitio Spiritus Sancti Symbolica sit, quemadmodum nobis est ob finitudinem facultatis cognoscendi. Quamobrem, scriptura magistra, cognitio Symbolica tantum ei perspecta est.

Quæ (§. 228.) annotata sunt, hic quoque valent. Ceterum hujus propositionis usus apparebit, quando de operationibus Sp. S. agetur.

§. 764.

Diserte Petrus asseverat de *Spiritu Sancto*, *eum per os Davidis prædixisse Actorum.* I. 16. Qui omnia verba Petri legit, ultro videt eum loqui de contingenter futuris. Verum enim vero, qui certo prædicere potest futura contingentia, ea etiam certo præscire debet. Quamobrem cum Spiritus Sanctus, teste sacro codice, sit omniscius (§. 760.); Quin omnia possibilia præsciat, dubitari nequit. *Præscientia Sp. S. asserta.*

Hæc præpositio in Theologia Exegetica maximum pollicetur usum, in cujus gratiam eam etiam confecimus.

§. 765.

Numerus I. Paulus I. *Corinth.* XII. 11. inquit. Πάντα δὲ ταῦτα ἐνεργεῖ τὸ ἓν, καὶ τὸ αὐτὸ Πνεῦμα, διαιροῦν ἰδίᾳ ἑκάστῳ *Sp. S. competit Consilium,*

καθὼς βούλεται. *Omnia vero hæc operatur (facit) unus ille, & idem Spiritus, distribuens privatim unicuique sicut consultavit.* Recensuit Gentium Doctor varia dona Spiritus Sancti; de his autem affirmat, quod unus idemque Spiritus ea omnia distribuat unicuique sigillatim juxta proprium suum consilium. Vocabulum βουλεύομαι *consulto, consilium inco*, & substantivum ἡ βουλὴ *consilium* denotat actum consultationis, quo disquiritur, quid sit agendum & non agendum. Patet igitur, teste scriptura, Spiritum Sanctum non indeliberato facere, quod facit, sed potius facere, quod summa deliberatione facta fieri debet. Spiritus Sanctus, scriptura magistra, omniscius est (§. 760.); Adeoque scit omnia, quæ cognitu possibilia sunt, tam singularia, quam universalia (§. *citato.*). Competit ei quoque intellectus Divinus (§. 761.); Hinc cognoscit omnia simul, seu actu unico (§. 185.); Ut adeo nihil ipsi dubium videri possit, quemadmodum nobis. Quamobrem etsi consilio non sit opus nisi in re dubia (*Theol. natur. part.* I. §. 500.); Consequenter Spiritus Sanctus consultatione minime habet opus; Quid tamen fieri in quolibet casu debeat, cum vi omniscientiæ suæ perspiciat, perinde est, ac si deliberasset, quid fieri optimum sit. Quamobrem quando in sacris Spiritui Sancto consilium tribuitur, id non aliter intelligi potest, quam quod is summa certitudine intuetur, quid agendorum optimum sit, ita ut ab eo nihil quicquam fiat, quod ab hominibus fieri solet, quando absque deliberatione, seu nulla consultatione quid faciunt. Atque ita evidens est ad mentem scripturæ Spiritui Sancto consilium solummodo per eminentiam tribuendum esse, quatenus innuit illum actum intellectus ejus Divini, quo, quid

quid agendorum optimum sit, certo judicio definit.

Numerus II. Quoniam consilium in se spectatum actus intellectus est *per demonst. Num.* I., hinc non voluntatis, seu tribuitur enti intelligenti, quatenus, quid agendum sit, perpendit, antequam id agere velit. Quamobrem quando Apostolus dicit hunc unicum Spiritum operari hæc omnia sicut consultavit, seu juxta consilium voluntatis suæ; id alio sensu accipi non potest, quam quod Deus non faciat, nisi quod faciendi seria ipsi jam fuit voluntas, antequam faceret; non autem velle, nisi quod velle quis potest certo consilio, sive prævia omni deliberatione ad certum quid statuendum necessaria; Ad mentem Pauli adeo Spiritus Sanctus determinavit voluntatem suam ad faciendum, quod facit, eo modo, quo ens intelligens eandem determinare poterat, prævio consilio. Verum enim vero ista determinatio voluntatis ad aliquid agendum, est id, quod decretum salutat *Exc. de Wolfius* (*Theol. natur. part.* I. §. 497.) sensui communi convenienter. Atque adeo ratum manet Paulum tribuere Spiritui Sancto decretum, quod sit suæ voluntatis Divinæ determinatio ad aliquid agendum, vel non agendum. *decretum,*

Numerus III. Loco modo citato I. *Corinth.* XII. Apostolus vers. 8. *seqq.* ait: *Huic per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii vero sermo cognitionis &c.* & versu allato 11. ex dictis ita concludit: *Omnia vero hæc operatur unus ille, & idem Spiritus, distribuens privatim unicuique sicut consultavit.* Rationes, cur huic dedit hoc, alii aliud donum, reddit, nimirum quia hic unus Spiritus hæc omnia operatur atque distribuit secundum consilium suæ voluntatis *& propositum.*

luntatis, hoc est, quemadmodum modo *Num.* II. ostendimus, quia non sine consilio decernit, quod facturus est. Quamobrem per donum atque distributionem uniuscujusque ejus doni, quod dare consultavit, nihil aliud intelligi potest, quam volitio exequendi decretum. Etenim si indeliberato quid agere vellet, hoc est, sine consilio decerneret, non satis pervidens, quid agendorum optimum sit, fieri potuisset, ut meliora edoctus decretum suum mutaret, sicque voluntas ejus non foret constans. Sed quia non decernit, nisi quod summa certitudine intuetur tanquam agendorum optimum *per demonst. Num.* I. & II.; Voluntas suum exequendi decretum constans est, ac ideo, quod decernit, exequi etiam vult, & quemadmodum vult, suo tempore exequitur. Enimvero actus voluntatis, quo determinatur executio decreti, convenienter communi loquendi usui propositum dicitur (*Theol. natur.* §. 503.); Unde evidenter patet ad mentem Pauli Spiritui Sancto esse tribuendum propositum, tanquam actum illum voluntatis suæ Divinæ, quo determinatur executio decreti.

Adeoque & voluntas liberrima.

Numerus IV. Quoniam donatio variorum horum donorum facta est sicut Spiritus Sanctus consultavit; Adeoque æque possibile fuit, ut ea vel plane non dedisset, vel huic id donum, quod illi dedit, dare, nisi consultando decrevisset hoc potius eligere, quam non, vel hoc potius, quam aliud; hinc etiam interpretes quidam verbum βουλόμαι per *volo* reddunt, & *Beza* ad rem verbis Pauli contentam attendens, ea non vertit *sicut consultat*, sed *sicut vult*, consimiliter *Lutherus* in vernacula lingua verba hæc ita reddit. Diß aber alles wircket derselbe einige Geist / und theilet einem jeglichen seines zu / nach dem er Wil. Ad mentem itaque Pauli Spi-

Spiritui Sancto tribuitur liberrima voluntas, qua ſponte ex æque poſſibilibus elegit, quod ei conſultius, ſeu quod optimum eſt.

Id etiam hoc modo patet. His verbis Spiritui Sancto tribuitur decretum, quod eſt determinatio ſuæ voluntatis Divinæ *per demonſtrata Num.* II., & propoſitum, itidem eſt determinatio voluntatis hujus *per demonſtrata Num.* III. Quare cum utrumque voluntatem Divinam præſupponat; Spiritum Sanctum voluntate Divina gaudere, dubio caret.

Perinde nobis erit, quomodo quis verbum βουλόμαι vertere hic velit, an per conſilium, an per voluntatem, quia ex connectione apparet Paulum hic Spiritui Sancto non ſolum conſilium, ſtricte ita dictum, ſed & decretum atque propoſitum tribuere. Quoniam autem decretum ac propoſitum actus voluntatis ſunt, idem eſt, ac ſi eidem adſcripſiſſet ipſam voluntatem. Etenim nullus datur effectus, niſi ejus detur cauſa. Ceterum ex hac ipſa demonſtratione apparet voluntatem, quam Spiritui Sancto tribuit Apoſtolus, eſſe Divinam; Unde ſequitur ad mentem literarum ſacrarum etiam ea omnia voluntati Spiritus Sancti competere, quæ ad voluntatem ipſius Dei pertinent.

§. 766.

Deus facere poteſt, quicquid vult, ſeu is omnia poſſibilia, ſi vult, ad actualitatem perducere poteſt (§. 274.). Verum enim vero Paulus de Spiritu Sancto aſſerit, quod habeat voluntatem Divinam (§. 765.); Quin de eo affirmet, ipſum facere poſſe, quicquid velit, dubitari nequit, ſeu Spiritus Sanctus, ſi vult, o-

Sp. S. facere poteſt, quicquid vult.

omnia possibilia ad actualitatem perducere potest.

Propter sequentem propositionem hanc confecimus.

§. 767.

Sp. S. est omnipotens.

Si Spiritus Sanctus vult, potest omnia possibilia ad actualitatem perducere (§. 766.). Verum enim vero qui omnia possibilia ad actualitatem perducere potest, is est omnipotens (§. 278. *& Theol. natur.* §. 347.); Hinc patet Spiritum Sanctum, scriptura magistra, omnipotentem esse.

Quia omnipotentia sese extendit ad omnia possibilia, & potentiæ Divinæ objectum est, quicquid possibile est; Sequitur omnia ea, quæ de potentia Divina dicta sunt, non minus Spiritui Sancto attribui posse.

§. 768.

ei competit creatio,

Creationem hujus mundi adspectabilis possibilem esse, dubitari nequit. Quamobrem cum ex sacris doceamur Spiritum Sanctum omnipotentem esse ita, ut omnia possibilia, si vult, ad actualitatem perducere possit (§. 767.); Quin hunc mundum adspectabilem ad actualitatem perducere possit, extra omnem dubitationis aleam positum est. Verum enim vero Moses creationem hujus mundi describens, expressis verbis *Spiritus Dei* mentionem facit *Gen.* I. 2. & Psalmista nos docet *exercitum cœlorum factum esse Spiritu oris Dei Ps.* XXXIII. 6. Ex his evidens est Spiritum Sanctum actuosum fuisse in procreatione mundi, seu cum Patre atque Filio concreavisse eundem.

Spiritum Sanctum potuisse creare hunc mundum in aprico est, quia est omnipotens, & hanc actuositatem eidem

dem propriam atque essentialem esse, itidem ex omnipotentiæ notione evidens est. Etenim is, qui potest facere, quicquid vult, indepenter ab omni ente alio actuosus esse debet. quia alias, si nollet ens illud, a quo dependeret in agendo, actionem illam edere, actio hæc non procederet, nec facere posset, quid vellet. Denique Spiritum hunc voluisse creare, patet, quia Moses & Psalmista eundem inter creatorem mundi recensent; Ut adeo his simul sumtis certi esse possimus Spiritum Sanctum in opere creationis actuosum fuisse, seu una cum Patre atque Filio creavisse mundum. Ceterum notari meretur, quod, si loca ubi creationis actus describitur addita vel particula ἀφ', vel ἐξ, vel εἰς, sint explicanda, veluti *Rom.* XI. 36., ubi hæc leguuntur verba. ἐξ αὐτοῦ, καὶ δι' αὐτοῦ, καὶ εἰς αὐτὸν τὰ πάντα. *Ex eo, & per eum, & in ipsum sunt omnia*, quia per particulam ἐξ actus Patris, per eam ἀφ' actus Filii indicatur (§. 721.); per illam itaque, quæ remanet particula nimirum εἰς actus Spiritus Sancti in uno eodemque actu creationis intelligi debet. Et sic etiam hæc propositio exemplo esse potest, quomodo veritatibus in sacris contentis ad notiones distinctas relatis, etiam alia scripturæ loca, alias obscura, aut incerta, certa atque clara reddi possint.

§. 769.

Paulus diserte affirmat sermonem sapientiæ, sermonem cognitionis, fidem, donum sanandi, cognitionem linguarum &c.: esse opera Spiritus Sancti I. *Corinth.* XII. 8. *seqq.* Hæc vero opera, ab Apostolo Spiritui huic attributa, esse miracula veri nominis per se patet, & solo auditu linguarum omnes auditores Apostolorum agnoverunt hoc esse miraculum verum *Actorum.* II. 4. *seqq.* Quamobrem cum hæc varii generis miracula sint opus Spiritus *& miraculorum patratio.*

Sancti, qui tanquam omnipotens omnia potest facere possibilia, quæ vult (§. 767.), & cui actuositas propterea est essentialis (§. 768. *in notis.*); Hic miracula patravit veri nominis sua actuositate essentiali.

Quia Spiritus Sanctus omnipotens est; hinc actuositas ipsi essentialis, miracula, quæ edit, vi propria patrare potuit, nec ei opus fuit, ut demum ab ullo alio hæc potestas detur, quemadmodum Prophetæ atque Apostoli hanc facultatem a Deo nacti, & sic solummodo causæ miraculorum fuere occasionales (§. 314.); Adeoque Spiritus Sanctus eorum causa principalis est. Ex quo differentia, quæ intercedit inter Spiritum Sanctum atque homines omnino omnes, per se manifesta est.

§. 770.

Sp. S. est Spiritus, Scriptura magistra Spiritus Sanctus est ens intellectu (§. 761.) & voluntate libera gaudens (§. 765. *Num.* IV.). Verum enim vero ens intellectu atque voluntate libera præditum est spiritus (*Psychol. ration.* §. 643.); Spiritus Sanctus igitur spiritus est.

Malumus ab intellectu ejus ac voluntate ad spiritualitatem Spiritus Sancti concludere, quia hoc modo ea necessario sequitur, quam etymologice a nomine ejus, quo dicitur spiritus ad eandem. Etenim a nomine alicujus rei ad essentiam ipsius rei conclusio non firma est. E contrario nos summa certitudine affirmare possumus Spiritum Sanctum ob suam spiritualem essentiam merito spiritum dici posse. Et hoc exemplo evidens est, quænam sit differentia inter Etymologicum & Theologum Philosophum, quia ille a verbis arbitrariis, adeoque a principiis incertis concludit ad rem; hic vero ex principiis certis in rem ipsam inquirit, & ex essentia rerum illarum nomina componit.

§. 771.

§. 771.

Juxta Paulum Spiritui Sancto tribuenda sunt ea omnia, quæ de intellectu ipsius Dei demonstrata sunt (§. 761.). Verum enim vero intellectus Divinus omnium perfectissimus est (§. 198.); Adeoque si Paulo credimus, affirmare debemus intellectum Spiritus Sancti perfectissimum esse. Porro Spiritus Sanctus gaudet voluntate Divina (§. 765. *Num.* IV.). Quamobrem cum voluntas Divina summe perfecta sit (§. 296.); Evidenter patet Spiritus Sancti voluntatem quoque absolute perfectissimam esse. Verum enim vero, quia Spiritus Sanctus est spiritus (§. 770.), & Spiritus is, qui pollet intellectu perfectissimo atque voluntate itidem perfectissima, est spiritus perfectissimus (§. 303. & *Psychol. ration.* §. 646.); Spiritus Sanctus igitur juxta scripturam spiritus est perfectissimus. *& quidem perfectissimus.*

Quod etiam hoc modo demonstrari potest. Creatio, seu productio mundi hujus adspectabilis est signum spiritus omnium perfectissimi (§. 304.). Quamobrem cum Spiritus Sanctus hunc ipsum mundum creaverit (§. 768.); Docemur, Spiritum Sanctum esse spiritum perfectissimum.

§. 772.

Spiritus Sanctus creavit hunc mundum adspectabilem (§. 768.). Est autem hic mundus creatus, quoniam fini, quem Deus intendit, omnium maxime convenit (§. 382.), seu ob finem omnium optimum (§. 383.). Porro Spiritus Sanctus est omniscius (§. 760.), qui omnia distincte cognoscit; Adeoque omnia noscit media, quibus finem intentum consequi datur (§. *citato.*); Fieri adeo haud quaquam potest, ut in eligendis mediis a vero aberret; Quare Spiritus Sanctus ea eligere debet media, quibus finem a se intentum certo at- *Sapientia Sp. S. asserta.*

que via brevissima consequitur. Denique Spiritus Sanctus gaudet voluntate Divina (§. 765.), qua omnia vult simul (§. 262.), & elegit atque creavit hunc mundum, quia est optimus (§. 249.). Nihil igitur voluit in particulari, nisi quatenus in systema cum aliis relatum (*Theol. natur.* §. 155.); Unde evidens est, Spiritum Sanctum nihil eorum, quæ in mundo fiunt, in particulari velle aut decernere absolute, seu quatenus in se spectatur, citra relationem ad totum universum; Consequenter nec fines particulares constituit, nisi in relatione ad totum universum, seu hunc mundum (§. 393.); Adeoque nisi in relatione ad finem ultimum (§. 395.); Et sic patet, eundem omnes fines particulares subordinare ultimo, & quidem ita, ut remotiorum media sint propiores, & omnes tandem finis ultimi (§. 397.). Quamobrem cum sapientia summa atque perfectissima sit scientia constituendi fines optimos, eligendi media, quæ certo & via brevissima ad eundem ducunt, & quibus finem ex asse consequi datur, finesque omnes particulares ita sibi invicem subordinandi, ut remotiorum media sint propiores, & omnes tandem medium finis ultimi (§. 401. & *Psychol. ration.* §. 689.), & Spiritus Sanctus dicatur רוח חכמה *Spiritus Sapientiæ Esaiæ*. XI. 2. Spiritus Sapientiæ vocatur in sacris, quia habet sapientiam summam atque perfectissimam. Etenim ei competit definitum. Ergo & definitio.

Ex hac propositione liquido constat sapientiam Spiritus Sancti eandem esse cum ea ipsius Dei; Unde omnia, quæ sapientiæ Divinæ propria sunt, quoque Spiritui Sancto competunt.

§. 773.

§. 773.

David in precibus ſuis ad Deum fuſis *Pſ.* CXLIII. 10. petit: רוחך טובה תנחני בארץ מישור: *Tuo Spiritu bono deduc me per terram planam.* Phraſin illam, deducere per terram planam, hic denotare idem ac deducere in actiones perfectas, ſeu rectas (§. 759.) oſtendimus; Ut adeo idem ſit, ac ſi David petiiſſet: Spiritu tuo bono dirige omnes actiones meas in id, quod rectum eſt, ſeu quod voluntati Divinæ conforme eſt (§. *citato.*); Unde facile infertur, Davidem Spiritum Sanctum propterea nuncupare ſpiritum Dei bonum, quia omnes ſuas actiones dirigere poteſt in id, quod rectum, ſive voluntati Divinæ conforme eſt. Ex his igitur intelligitur, Spiritum Sanctum in ſacris vocari bonum erga alios, quatenus pronus eſt ad aliorum entium perfectionem ſive eſſentialem conferendam, ſive accidentalem promovendam. Et ſane Spiritui Sancto competit creatio hujus mundi adſpectabilis (§. 768.), qui eſt optimus, ſeu quem creavit optimum ſecundum ipſum Dei de mundo judicium (§. 249.); Conſequenter entibus ſingulis omnibus præter Deum exiſtentibus dedit perfectionem eſſentialem, quæ ipſis convenit, & eum fecit rerum nexum ac naturæ ordinem, ut earum quoque perfectio accidentalis promoveatur, quantum fieri poteſt, ſalvo ſcilicet naturæ ordine. Inprimis autem Spiritus Sanctus dicitur bonus, quia hic in ſpecie in œconomia ſalutis omne bonum a Chriſto ſecundum decretum Patris acquiſitum ſalvandis applicat, de quo parte ſequente independenter ab hac propoſitione agemus. Verum enim vero hic Spiritus eſt ſapientiſſimus (§. 772.); Igitur bonitas ejus determinatur ſumma ipſius ſapientia, ſeu is enti cuicunque tantundem confert boni, quantum ſalva ſua ſapientia fieri poteſt; Hinc evidens eſt Spiritum Sanctum

Bonitas Sp. S. tribuenda.

eſſe

esse summe bonum, ita ut majorem bonitatem concipi repugnet (*Theol. natur. part.* I. §. 699.), qui enti cuicunque tantundem confert boni, quantum salva ejus summa sapientia fieri potest, & quidem in specie, qui salva sua sapientia salutem applicat.

Ex hac demonstratione docemur, scripturam Spiritui Sancto tribuere bonitatem ipsi essentialem, quia creatione mundi enti cuicunque tantundem confert boni, quantum salva sapientia summa fieri potest, simul autem bonitatem œconomicam horum trium, qui verus dicuntur Deus. Etenim quando Rex Israëlis eundem bonum proclamat, hoc facit cum respectu ad directionem actionum humanarum voluntati Divinæ conformem, quemadmodum modo vidimus. Quo etiam tendunt verba Pauli *Rom.* VIII. 26. *seqq.*, ubi asserit, *Spiritum sublevare infirmitates nostras --- ipsum Spiritum intercedere pro nobis suspiriis inenarabilibus secundum voluntatem Dei*, & ita facere, ut nos Deum diligamus; *iis autem, qui Deum diligunt, omnia simul adjumento esse ad bonum.* Sed de his operibus œconomicis Spiritus Sancti, uti diximus, ajendum est in œconomia salutis, hic nobis sufficit exhausisse, in quo sese exerat bonitas ejus.

§. 774.

Concursus Sp. S. ad actiones. Gentium Doctor *Rom.* VIII. 13. 14. ait. *Si Spiritu actiones corporis mortificetis, vivetis. Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt Filii Dei.* Spiritus Sanctus & Spiritus Dei sunt synonyma (§. 757.); loquitur itaque hic de Sp. S. Jubet autem Apostolus, quod hoc Spiritu morte demus actiones corporis; Quænam his verbis insit metaphora, hic nobis perinde est, sufficit iis indigitari, Spi-

Spiritui Sancto ineſſe rationem, cur actiones, quas dicit corporis, omittere, & alias committere poſſimus, Et ſane hoc evidens eſt, quia addit, nos Spiritu Dei agi; Qui vero agitur; in eo non continetur ratio, cur agat, ſed ſola ratio actionis ejus ineſt agenti in illud aliud. Quamobrem cum ens unum ad actiones illius alterius concurrat, quatenus in eo continetur rationis aliquid, cur agat (§. 463.); Spiritum Sanctum ad hominis actiones concurrere his verbis Apoſtolus nos docet.

Quem uſum hæc propoſitio habet, in œconomia ſalutis & Ethica Chriſtiana luculenter patebit.

§. 775.

Ex eodem dicto Apoſtoli *Rom.* VIII. 13. 14. Guber- *& gubernatio.*
natio Spiritus Sancti evidens eſt. Etenim, qui ab eo agitur, is eſt Filius Dei, & is vivit. Vivere atque eſſe Dei Filium ſummum hominis eſt bonum. Verum enim vero Spiritus Sanctus propterea agit in hominem, ut mortificet actiones corporis, vivat & fiat Dei Filius; Conſequenter is dirigit omnes eorum actiones ad hunc ultimum & optimum finem. Quare cum directio actionum ad certum finem ſit gubernatio (§. 469.); Spiritus Sanctus, teſte ſcriptura, gubernat homines, quatenus eorum actiones ad certos, bonosque fines, & tandem ad ultimum atque optimum dirigit.

Hanc propoſitionem itidem confecimus ob eundem uſum, quem habet cum antecedente communem.

§. 776.

Quoniam creaturæ exiſtentiam propria ſua virtute con- *Sp. S. omnia*
tinuare nequeunt (*Theol. natur. part.* I. §. 840.), eam *conſervat.*
vero, utpote a Spiritu Sancto creatæ (§. 768.), ab eodem accepere in principio rerum (*Theol. natur.* §. 766.);

Necesse est, ut virtute, seu omnipotentia Divina Spiritui Sancto, teste scriptura, propria (§. 767.) eandem continuent; Consequenter juxta scripturam Spiritus Sanctus, quam in principio dedit creaturis existentiam, eandem quoque dare pergit, quamdiu durant; Et hinc ipsius Sp. S. est actio, qua datur, ut existere pergat creatura omnis. Quamobrem cum hæc ipsa actio sit conservatio (§. 459. & *Theol. natur. part.* I. §. 842.); Creatura omnis a Spiritu Sancto conservatur. Cumque nulla creatura seipsam conservare possit (*Theol. natur. part.* I. §. 843.); Necesse est juxta sacrum codicem, ut omnis omnino creatura a Spiritu Sancto conservetur.

Equidem conservatio expressis verbis scripturæ Spiritui Sancto non tribuitur: Attamen eidem tribuitur creatio, & ea adscribuuntur, per quæ cognoscitur eundem omnipotentem esse. Porro ex ratione & revelatione notum est nullam creaturam seipsam conservare posse; Adeoque ut ab alio conservetur, necesse est. Non autem ab ullo alio ente conservari potest, quam a quo creata est, & quod simul omnipotentia sua existentiam creaturæ in principio datam continuare valet. Quare cum utrumque scripturæ convenienter Spiritui adscribendum sit; quin eo ipso eidem conservatio competat, ex ipsa conservationis notione evidens est. Unde nobis perinde est, an totidem verbis Spiritui tribuatur actus conservationis, an solummodo talia, ex quibus is necessario sequitur; quia indicata causa, cur quid esse possit, simulque existente effectu, extra dubitationis aleam positum est, hanc causam necessario actuosam esse ad producendum effectum illum. Ceterum ex hac propositione patet explicationem extensivam quibusdam in locis necessariam esse; Hinc merito a Theologis lau-

laudari, de quo ex instituto agetur in hermeneuticis. Usus hujus propositionis paragrapho sequente luculenter patebit.

§. 777.

Scriptura magistra scimus Spiritui Sancto tribuendam esse conservationem (§. 776.), consimiliter ea nos docet eundem ad hominis actiones concurrere (§. 774.), atque homines gubernare (§. 775.). Quamobrem cum decretum Divinum de conservatione atque gubernatione rerum in hoc universo, concursusque ad singulas actiones providentia dicatur (§. 472. & *Theol. natur. part.* I. §. 922.); Patet Spiritui Sancto, autoritate sacrarum literarum, tribuendam esse providentiam. *Eique competit providentia.*

Quoniam providentia ad mentem scripturæ Spiritui Sancto ex iisdem principiis tribuenda, quibus de Deo prædicatur; ultro patet, quod, quæ de providentia Divina dicta sunt, etiam de providentia Spiritus Sancti affirmari debeant, & qui circa providentiam Divinam aberrant, quoque in erroris abyssum incidant circa providentiam Sp. S. competentem; Adeoque eodem modo, uti illi refelluntur. Ceterum usus etiam hujus propositionis manifestus fiet in œconomia salutis ac Ethica Christiana.

§. 778.

Numerus I. Eo ipso, quod Paulus I. *Corinth.* II. 10. affirmat Spiritum Sanctum omnia scrutari, etiam profunditates Dei, nos docet eundem esse ens infinitum. Etenim τὰ βάθη sive hoc vocabulum per *altitudines*, sive per *profunditates* reddere velis, perinde est, quia sæpe apud *Cæsarem* fluminis profunditas altitudinis nomine venit; eo indicatur omnia ea, quæ in Deo sunt tam alta, aut si mavis, profunda sunt, ut a nullo *Sp. S. est ens infinitum,*

ente finito concipi possint, seu (ut verbis utar, quæ Apostolus versu immediate antecedente 9. pronunciavit), *id, quod oculus nullus vidit, nec auris audivit, & in cor hominis non descendit*, id Spiritus Sanctus, teste Apostolo, scrutatur. Adeoque Apostolus talia tribuit Spiritui Sancto, quæ ratione & revelatione consentientibus in ens finitum non cadunt. Præter ens finitum, non nisi infinitum possibile est; Consequenter Paulus talia de Sp. S. prædicat, quæ non nisi de ente infinito prædicabilia; Quin Apostolo spiritus Sanctus ens infinitum sit, dubitari nequit; Atque ita, qui Paulo fidem non denegat, Spiritum Sanctum pro ente infinito habere debet.

est Spiritus infinitus,

Numerus II. Ad mentem codicis sacri Spiritus Sanctus est spiritus (§. 770.), idemque ens infinitum *per demonstrata Num.* I. Est igitur spiritus infinitus.

Ex numero I. evidens est Spiritum Sanctum per ipsam suam essentiam infinitum esse, ita ut infinitudo ab eodem inseparabilis sit, & qui hanc tollit, tollit simul ejus essentiam, quæ sine infinitudine concipi nequit.

§. 779.

Substantia per eminentiam,

Numerus I. Spiritus Sanctus est, teste scriptura, ens infinitum (§. 778.). Sed ens infinitum per eminentiam substantia est (*Ontol.* §. 847.). Spiritus Sanctus igitur per eminentiam substantia est.

modi per eminentiam ei sunt tribuendi,

Numerus II. Quoniam ad mentem scripturæ Spiritus Sanctus ens infinitum est (§. 778.), & enti infinito nulli omnino insunt modi (*Ontol.* §. 840.), ipsum tamen per eminentiam modificabile est (*Ontol.* §. 846.); Hinc Spiritui Sancto, juxta scripturam nulli modi actu inesse possunt, per eminentiam tamen modificabilis est.

Nu-

Numerus III. Porro Spiritus Sanctus ens infinitum eſt (§. 778.). Enimvero quicquid enti infinito ineſt, id vel ad eſſentialia, vel ad attributa pertinet, aut, ſi quid modi analogum eſt, id per modum attributi ineſt (*Ontol.* §. 841.). Ergo quicquid Spiritui Sancto ineſt, id vel ad eſſentialia, vel ad attributa pertinet, aut, ſi quid modi analogum eſt, id per modum attributi ineſt. *& quomodo eidem inſunt, quæ de ipſo prædicantur.*

Numerus IV. Enti infinito omnia ſimul inſunt, quæ eidem actu ineſſe poſſunt (*Ontol.* §. 838.). Verum enim vero Spiritus Sanctus eſt ens infinitum, teſte Paulo (§. 778.); Sp. S. igitur omnia ſimul inſunt, quæ eidem actu ineſſe poſſunt. Conſequenter etiam ſubſtitutio alterius pro eo, quod ſimul eſt, vel acceſſio ejus, quod non eſt, ceteris, quæ ſimul ſunt, manentibus iisdem, in Spiritu Sancto plane impoſſibilis eſt. Eo cum abſolvatur immutabilitas Dei (§. 37.); Spiritus Sanctus, teſte Apoſtolo, immutabilis eſt. *Sp. S. eſt immutabilis,*

Vel etiam ſic. Ex ſacris docemur Spiritum Sanctum eſſe ens perfectiſſimum (§. 771.). Verum enim vero ens perfectiſſimum eſt prorſus immutabile (*Theol. natur. parte* II. §. 9.); Adeoque Spiritus Sanctus prorſus immutabilis eſt.

Numerus V. Quoniam Spiritui Sancto, tanquam enti infinito (§. 778.), omnia ſimul inſunt, quæ eidem actu ineſſe poſſunt (*Ontol.* §. 838.); Hinc omnis mutatio & præteritio, ſive interitus, quæ in mundum, ſeu ens quodcunque finitum cadere poteſt, in Spiritu Sancto plane impoſſibilis eſt. In eo, cum conſtans identitas eorum, *& ſemper idem,*

quæ Deo insunt, consistat (§. 41.); Ex verbis Pauli evidens est, Spiritui Sancto tribuendam esse constantem identitatem eorum, quæ Deo insunt.

nec in tempore est.

Numerus VI. Quoniam Spiritui Sancto omnia, quæ eidem insunt, simul & semper eodem modo insunt *per demonstrata Num.* V. In Spiritu Sancto successio dari nequit (*Ontol.* §. 569.). Quare cum tempori absque existentibus successivis in continua serie locus non sit (*Ontol.* §. 574.); In Spiritum Sanctum juxta scripturam nullum tempus locum habere potest, seu is non est in tempore.

§. 780.

Errores refelluntur.

Qui itaque sacro codice, & in specie hic Paulo fidem non vult recusare, is infinitudinem, immutabilitatem, immo omnia hucusque demonstrata, & adhuc demonstranda attributa divina Spiritus Sancti nunquam negare potest. Etsi Apostolus, vel sacræ literæ non expressis verbis dicant, Spiritus Sanctus est omniscius, omnipotens, infinitus &c. Eo ipso tamen, quod diserte affirmant eundem scrutari profunditates Dei, de eo talia prædicant, quæ non nisi enti omniscio, & infinito competunt, unde porro omnia reliqua attributa legitimo modo demonstrata sunt, vel quoque ex aliis dictis classicis scripturæ reliqua attributa Spiritui Sancto tribuenda legitime deduximus, quod facile apparet, si nostræ propositiones resolventur, quemadmodum decet; Ut adeo idem sit, ac si sacer codex expressis verbis hæc attributa de Sp. S. prædicaret. Ex dictis quoque palam est, omne id, quod ab adversariis a scrip-

scriptura dissentientibus in contrarium dicitur, dici aut allegari potest, falsum esse, & a sensu scriptorum sacrorum alienum, qui sibi invicem omnis contradictionis expertes sunt, omniaque illorum argumenta hoc ipso suapte rui.

§. 781.

Sp. S. est illimitatus,

Numerus I. Juxta scripturam Spiritus Sanctus est spiritus perfectissimus (§. 771.). Quamobrem cum ens perfectissimum prorsus illimitatum sit (*Theol. natur. parte* II. §. 7.); Spiritus Sanctus juxta scripturam prorsus illimitatus est.

quænam ei insint,

Numerus II. Spiritus est ens perfectissimum (§. 771.), ens autem perfectissimum omnes realitates compossibiles in gradu absolute summo continet (*Theol. natur. part.* II. §. 6.); Spiritus Sanctus igitur realitates omnes compossibiles in gradu absolute summo continet, seu eæ eidem in gradu absolute summo insunt.

est ens necessarium,

Numerus III. Spiritus Sanctus continet omnes realitates compossibiles in gradu absolute summo *per demonstrata Num.* II. Est vero idem possibilis, quod dubitari nequit, quia sacræ literæ de eo tanquam ente revera existente toties loquuntur. Quamobrem cum possibile existere possit (*Ontol.* §. 133.); Existentia eidem inesse potest; Consequenter cum ea sit realitas (*Theol. natur. part.* II. §. 20.), & realitates compossibiles sint, quæ enti una inesse possunt (*Theol. natur. part.* II. §. 1.), in realitatum compossibilium numero est. Jam porro existentia necessaria est gradus absolute summi (*Theol. natur. part.* II. §. 20.). Spiritui Sancto igitur competit existentia necessaria, seu is necessario existit. Verum enim vero ens, cujus existentia

tia absolute necessaria, necessarium est (*Ontol.* §. 309.). Spiritus Sanctus igitur ens necessarium est.

a se, *Numerus* IV. Quoniam Spiritus Sanctus est ens necessarium *per demonstrata Num.* III.; Et ens necessarium est ens a se (*Theol. natur. part.* I. §. 33.). Ergo Sp. S. est ens a se.

independens, *Numerus* V. Ens a se est independens (*Theol. natur. part.* I. §. 30.). Quare cum Spiritus Sanctus sit ens a se *per demonstrata Num.* IV. Is ens independens est.

qui nec initium nec finem habet, *Numerus* VI. Spiritus Sanctus est ens necessarium, quod necessario existit *per demonstr. Num.* III. Quare cum necessarii oppositum impossibile sit (*Ontol.* §. 279.); Impossibile est Spiritum Sanctum non existere. Nullum igitur, nec fingi quidem potest tempus, quo non extitit, aut non extiturus est; Consequenter Spiritus Sanctus nullum existendi initium, nullum finem habere potest.

ortusque ac interitus expers, *Numerus* VII. Ponamus, si fieri potest, Spiritum S. fuisse ortum. Quoniam quod oritur existere incipit, cum antea non existeret (*Ontol.* §. 541.); Is existere cœpit, cum tamen non existeret; Consequenter aliquando non extitit; Adeoque existendi initium habet. Quod cum sit absurdum *per demonstrata Num.* VI.; Spiritus Sanctus oriri nequit.

Consimiliter fingamus Spiritum Sanctum aliquando interiturum, aut saltem interire posse. Quoniam quod interit, existere desinit, cum antea existeret (*Ontol.* §. 541.); Is aliquando existere desiturus, cum jam existat, seu fieri sal-

saltem potest, ut, qui nunc existit, existere aliquando desinat. Habet igitur, vel saltem habere potest existendi finem. Quod cum denuo absurdum sit *per demonstrata Num.* VI.; Spiritus Sanctus nunquam existere desiturus, seu impossibile prorsus est, ut aliquando non existat, sive intereat.

annihilari nequit,

Numerus VIII. Porro fingamus Spiritum Sanctum annihilari posse. Quoniam annihilatur, quod ita existere desinit, ut nihil ejus amplius superstit (*Ontol.* §. 540.); Ejus existentia finem habet. Verum enim vero Spiritus Sanctus existendi finem non habet *per demonstrata Num.* VI. Ergo nec annihilari potest.

sed primus est & ultimus,

Numerus IX. Quoniam Spiritus Sanctus nullum existendi initium, nullum finem habet *per demonstr. Num.* VI.; impossibile est, ut ante ipsum exstiterit ens aliud, aut post ipsum existat. Quamobrem cum ens illud primum sit, ante quod non extitit aliud, & illud ultimum post quod non existet aliud (*Theol. natur. part.* I. §. 44.); Spiritus Sanctus ens primum & ultimum est.

Vel hoc modo. Spiritus Sanctus est ens a *se per demonstrata Num.* IV. Verum enim vero ens a se est omnium primum & ultimum (*Theol. natur. part.* I. §. 45.). Ergo ens primum omnium atque ultimum est.

& æternus,

Numerus X. Ad mentem sacrarum paginarum Spiritus Sanctus nullum existendi initium, nullumque finem habet *per demonstrata Num.* VI. nec is in tempore est, seu ei nullum assignari potest tempus, quo existere cœperit, & quo existere desinat (§. 779. *Num.* VI.). Verum enim vero ille, qui ita existit, ut existentia ejus initio atque fine careat, aut cui nullum assignari potest tempus, quo

existere cœperit & quo desinat, æternus est æternitate absolute interminabili (§. 65.); Gaudet itaque Spiritus Sanctus juxta scripturam æternitate absolute interminabili.

Ex his evidens est, quo sensu *Hebr.* IX. 14. loquatur de Πνεύματι αἰώνιῳ *Spiritu æterno:* Nimirum quod eidem æternitas absolute interminabilis solique Deo propria competat. Etenim vocabulum, αἰώνιος *æternus* ambiguum habet significatum, & vel durationem terminabilem, vel absolute interminabilem inuit (§. 62.). Ne itaque vitio subreptionis aliquid Spiritui Sancto tribuisse videamur, quod ipsi vel non tribuendum, vel saltem, an tribuendum, incertum est; priusquam ex hoc loco ad Hebræos æternitatem Sp. S. absolute interminabilem probare potueramus, necesse fuit ex principiis evidentibus ex scriptura haustis per legitimam ratiociniorum concatenationem demonstrare, quo sensu eidem æternitas tribuenda. Hac cautione adhibita, solam veritatem, quæ nobis unice cordi est, suo reddimus splendori, & systemata sophismatica ac errorum una funditus evertimus. Et hæc ratio est, cur loca, quæ in se classica non sunt, tanquam classica venditare nolumus. Denique hoc exemplo evidens est, quomodo loca, quæ classica non sunt, explicanda, eorumque sensus genuinus eruendus, sed de hac re ex instituto ajendum est in hermeneuticis.

§. 782.

sempiternus, *Numerus* I. Spiritus Sanctus, scriptura magistra, nullum existendi initium, nullum finem habere potest (§. 781. *Num.* VI.). Quodcunque igitur concipis, immo fingis, tempus, eodem Spiritus Sanctus extitisse, vel existere, aut extiturus dicendus est. Verum enim vero sempiternum dicitur ens, quod omni tempore conceptibili existit, seu

seu de quo prædicari potest existentia omni tempore conceptibili (§. 71. & *Theol. natur. part.* I. §. 75.); Spiritus Sanctus igitur, teste scriptura, sempiternus est.

Numerus II. Scriptura teste Spiritus Sanctus est ens necessarium (§. 781. *Num.* III.). Quamobrem cum ens necessarium rationem sufficientem existentiæ in essentia sua habeat (*Ontol.* §. 309.); Spiritus Sanctus quoque existentiæ suæ rationem sufficientem in essentia sua habet. Cum porro posita ratione sufficiente ponatur id, quod propter eam potius est, quam non est (*Ontol.* §. 118.); Posita essentia Divina, ponitur etiam ejus existentia; Consequenter Spiritus Sanctus per suam essentiam existit, seu existentia ipsi est essentialis. *cui existentia essentialis est,*

Numerus III. Quia Spiritus Sanctus est ens a se (§. 781. *Num.* IV.). Ens autem a se non est ens compositum (*Theol. natur. part.* I. §. 47.); Hic ens compositum non est. Sed quia necessario simplex est, quod compositum non est (*Ontol.* §. 685.); necessario simplex esse debet. *qui non est compositus, sed simplex,*

Numerus IV. Porro Spiritus Sanctus, qui est ens a se (§. 781. *Num.* IV.), extensus esse nequit. Etenim ens a se extensum esse nequit (*Theol. natur part.* I. §. 48.) *nec extensus,*

Vel. Spiritus Sanctus est ens simplex omnis compositionis expers *per demonstr. Num.* III. Verum enim vero ens simplex non est extensum (*Ontol.* §. 675.); Ergo nec extensus est.

nec defectum ullum admittit,

Numerus V. Ex scriptura docemur Spiritum Sanctum esse ens perfectissimum (§. 771.); Adeoque cum realitates, quæ enti perfectissimo insunt, sint gradus absolute summi (*Theol. natur. part.* II. §. 6.); Nulla Spiritui Sancto tribui potest realitas, quæ non sit gradus absolute summi. Jam vero per se patet, quod realitas gradus absolute summi nullo prorsus modo aliquem involvat defectum, alias enim major concipi posset gradus; Consequenter is, qui datur, seu supponitur, non esset absolute summus. Fieri adeo nequit, ut Spiritui Sancto tribuantur, quæ ullo modo defectum aliquem involvunt.

est incorruptibilis,

Numerus VI. Sacer codex de Spiritu Sancto affirmat, quod sit ens simplex *per demonstrata Num.* III.; Adeoque eodem modo, quo entia composita; Consequenter corpora (*Cosmol.* §. 119.), interire nequit (*Ontol.* §. 697.). Verum enim vero sola corpora sunt corruptibilia (*Psychol. ration.* §. 667.); Spiritus Sanctus igitur corruptibilis esse nequit; Consequenter incorruptibilis est (*Psychol. ration.* §. 666.).

incorporeus,

Numerus VII. Eodem modo ex simplicitate *Num.* III. *demonstrata*, evidens est Spiritum Sanctum esse incorporeum. Etenim omne corpus est ens compositum (*Cosmol.* §. 119.).

indivisibilis,

Numerus VIII. Ex hac simplicitate quoque sequitur Spiritum Sanctum indivisibilem esse. Quia omne ens simplex indivisibile est (*Ontol.* §. 676.).

insensibilis, nec imaginabilis, nec visibilis,

Numerus IX. Et quia ens simplex est, quod sensu percipi nequit, adeo ut nequidem omnia composita sensu percipi possint (*Psychol. ration.* §. 99. & 100.), sensu nullatenus percipi potest; Consequenter Spiritus hic in-

insensibilis est (*Theol. natur.* §. 87.). Et quia, quicquid insensibile est, idem nec imaginabile esse potest; hinc is nec imaginabilis est. Unde porro evidens est eundem invisibilem esse. Quia visus est species sensuum, & visibilitas est species sensibilitatis (*Psychol. empir.* §. 67. & 69.).

qui nec pingi, nec sculpi potest, sed per figuras hieroglyphicas repræsentabilis,

Numerus X. Porro ex Spiritus Sancti simplicitate sequitur eundem nec pingi nec sculpi posse. Etenim omnis imago est repræsentatio entis compositi (*Psychol. ration.* §. 85.), & quidem quod pingitur in superficie, seu tabula (*Psychol. ration.* §. 88.); quod vero sculpitur, in solido repræsentatur (*Psychol. ration.* §. 89. Hoc non obstante apparuit instar columbæ *Matth.* III. 16.; Unde demonstravimus (§. 105.) Deum posse repræsentari per figuras hieroglyphicas. Quin per figuras hieroglyphicas repræsentari possit, extra omnem dubitationis aleam positum est

qualia ei tribuenda prædicata,

Numerus XI. Scriptura nos docet Spiritum Sanctum esse ens a se (§. 781. *Num.* IV.), quod creavit mundum (§. 768.), sive in quo continetur ratio sufficiens existentiæ mundi hujus adspectabilis. Quoniam itaque per rationem sufficientem intelligitur, cur quid potius sit, quam non sit (*Ontol.* §. 56.), per ea, quæ Spiritui Sancto insunt, intelligi potest, cur mundus hic adspectabilis existat. Verum enim vero mundus hic contingens est (*Theol. natur. part.* I. §. 55.); Unde non impossibile est mundum hunc adspectabilem una cum elementis suis existere (*Theol. natur. part.* I. §. 57.). Quamobrem per ea, quæ Spiritui Sancto insunt, intelligi potest, cur mundus hic adspectabilis cum elementis suis potius existat, quam non. Porro

alii mundi possibiles sunt. Per ea igitur, quæ Spiritui Sancto insunt, intelligi potest, cur potius hic mundus adspectabilis, quam alius existat. Quare patet Spiritui Sancto talia; scriptura magistra, tribuenda esse prædicata, ut per ea intelligi possit, cur hic potius mundus adspectabilis existat, quam alius, & cur potius existat, quam non, una cum suis elementis.

nec habet organa sensoria,

Numerus XII. Quoniam Spiritus Sanctus prorsus incorporeus est *per demonstrata Num.* VII. Organum sensorium vero appellatur organum, seu pars corporis, in cujus mutationibus continentur rationes perceptionum rerum materialium in mundo adspectabili (*Psychol. empir.* §. 66.); Spiritus Sanctus organa sensoria, qualia sunt hominibus, habere nequit.

Per se patet, nos de attributis Divinis Spiritui Sancto attribuendis ad mentem sacrarum paginarum agentes, ad solam ejus essentiam respicere, non vero ad modum habendi hanc essentiam. Quod ex eo evidens est, quia ex his attributis palam est, eundem habere essentiam, quæ a se est; modus vero habendi hanc essentiam non a se est, sed a Patre atque Filio.

§. 783.

Sp. S. unus est,

Diserte Paulus unitatem Spiritus Sancti I. *Corinth.* XII. 8. *seqq.* affirmat. Variis enim donis recensitis versu 11. inquit: Πάντα δὲ ταῦτα ἐνεργεῖ τὸ ἓν καὶ τὸ αὐτὸ Πνεῦμα. *Omnia vero hæc unus ille, idemque Spiritus facit.* Non solum dicit eundem esse unum, sed hanc unitatem esse numericam addito vocabulo *idem* docet, nec ulibi in sacris de alio quopiam Spiritu Sancto, quam de hoc uno ver-

verba fiunt; Ut adeo ratum maneat, non nisi unum numero Spiritum Sanctum esse.

§. 784.

Nulla creatura suam existentiam propria virtute conti- & Omnipræ-
nuare potest (*Theol. natur. part.* I. §. 840.), sed Spiritus sens,
Sanctus juxta codicem sacrum, quam dedit in principio, dare pergit, quamdiu durat, seu omnes omnino creaturas conservat (§. 776.); Consequenter in omnes illas indesinenter agit (*Theol. natur. part.* I. §. 842.). Quamobrem cum ens unum alteri præsens sit, si in ipsum agit (*Theol. natur. part.* I. §. 1019.); Spiritus Sanctus omni omnino creaturæ, seu omnibus rebus in toto universo indesinenter præsens est. Verum enim vero præsentia ad omnia entia a se diversa extensa, omnipræsentia est (*Theol. natur. part.* I. §. 1054.); Spiritus Sanctus igitur, scriptura teste, omnipræsens est, quatenus indesinenter agit in omnes res in toto hoc universo, seu præter Deum existentes, sive a se diversas.

Idem quoque ipsa scriptura diserte affirmat. Expressis enim verbis David inquit *Ps.* CXXXIX. 7. 8. *Quo irem a Spiritu tuo? aut quo a facie tua fugerem? si scanderem cœlos, illic es, aut stratum ponerem in sepulcro, ecce ades &c.* Rex Israëlitarum cœlos appellat, & varia hujus terræ corpora in sequentibus recensет; Ut adeo idem sit, ac si cœlum, terramque nominasset, una cum quavis ejus parte. Quare cum cœlum atque terra Hebræis mundus sit (§. 6.), seu omnia, quæ Deus creavit (§. 5.), seu entia omnia præter Deum existentia; Hinc patet Davidem hic loqui de omnibus rebus præter Deum existentibus.

Hic

Hic porro interrogat: *quo irem a ſpiritu tuo? aut quo fugerem a facie tua?* Nobis quidem perinde eſt, an utramque hanc interrogationem pro Synonymis habere velis, ita ut una aliam diſtinctius explicet, quia tunc ſtatim affirmandum eſt Spiritum Dei, ſive Spiritum Sanctum omnibus rebus præter Deum exiſtentibus præſentem eſſe: an vero disjunctive verba hæc accipere velis, quoniam tum demum & de Sp. S. & de facie Dei prædicatur omnipræſentia. Adde, quod David interrogando hæc verba proferat, quaſi ratione notum ſit Deum una cum Spiritu Sancto omnipræſentem eſſe.

Utramque confecimus demonſtrationem, quia, ſi ad interrogationem a Davide factam, attendimus, poſterior per priorem reſolvenda eſt, & ſic de veritate hac omnino certi eſſe poſſumus. Immo ex his docemur ipſam ſcripturam ſupponere Theologiam naturalem, & id affirmare, vel etiam tanquam verum & certum ſupponere, quod hæc demonſtrat. Sed de his uberius dicendum erit in hermeneuticis.

§. 785.

ſed illocaliter, *Numerus* I. Quoniam Spiritus Sanctus, ſcriptura magiſtra, ſubſtantia ſimplex eſt (§. 782. *Num.* III.), & omnis ſubſtantia ſimplex in loco eſſe nequit (*Theol. natur. part.* I. §. 1033.); Is in loco eſſe haud quaquam poteſt. Quamobrem cum localiter præſens eſſe nequeat ens ullum, quod dum præſens eſt in loco aliquo non exiſtit, ſeu cujus præſentia cum exiſtentia in loco non eſt conjuncta (*Theol. natur. part.* I. §. 1037.); Spiritus Sanctus quoque localiter præſens eſſe nequit, ſeu illocalis eſt ejus præſentia.

Nu-

Numerus II. Spiritus Sanctus in loco haud quaquam esse potest *per demonstrata Num.* I. Quamobrem cum motus sit continua loci mutatio (*Ontol.* §. 642.); Nec, locum continuo mutando, moveri potest, seu ei localis motus repugnat. *cuique localis motus repugnat.*

Vel etiam sic. Spiritus Sanctus est omnipræsens, quatenus omnibus omnino rebus præter Deum existentibus indesinenter præsens est (§. 784); Adeoque successive cum aliis aliisque rebus præsentem fieri utique repugnat. Cum vero motus in continua loci mutatione consistat (*Ontol.* §. 642.), qua interveniente corpus aliquod successive aliis aliisque corporibus præsens sistitur. Is se movere nequit, seu Spiritui Sancto motus omnis repugnat.

Quoniam Spiritus Sanctus omnipræsens est, & hinc omnis localis motus eidem repugnat eodem modo, quo is ipsi Deo adversatur; Sequitur etiam, quando sacræ literæ de motu Spiritus Sancti loquuntur, id eodem modo accipiendum esse, quo hic de Deo accipitur, nimirum de speciali quodam actu, quem hic spiritus hoc, illove loco, seu enti in eodem præsenti exercet, quemadmodum (§. 162.) uberius ostendimus. Ceterum hæc propositio in omni fere Theologia usum quendam pollicetur.

§. 786.

Diserte sacer codex Spiritum Sanctum verum Deum esse affirmat. Petrus enim *Actorum.* V. 1. *seqq.* Ananiam atque uxorem ipsius Sapphiram reprehendens, quod possessionem suam vendiderint, sed ex pretio inde dato quandam partem retenuerint, reliquam autem partem hujus pretii ad pedes Apostolorum deposuerint, quasi totum *Ab essentia Divina Spiritus Sanctus verus dicitur Deus.*

istius prædii venditi pretium esset, asserit hos *mentitos fuisse Spiritui Sancto* versu 3. Addit autem versu 4. οὐκ ἐψεύσω ἀνθρώποις, ἀλλὰ τῷ Θεῷ *non mentitus hominibus, sed Deo.* Hic de vero Deo, qui scrutatur corda, renesque, seu qui omniscius est, Petrum verba facere, extra omnem dubitationis aleam positum est. Verum enim vero, quem hic verum asseverat esse Deum versu præcedente spiritum vocavit; Adeoque is Spiritum Sanctum verum Deum esse asserit, tanquam qui omnia noscit, etiam quæ clam facta sunt, ita ut hominibus ignota sint. Et sane Spiritui Sancto non solum omniscientia cum Petro tribuenda est, sed omnia attributa Divina, quibus verus Deus concipitur, cognoscitur, & ab omnibus rebus extra Deum existentibus distinguitur, scriptura eidem tribuenda esse nos docet. Etenim hac magistra scimus Spiritum Sanctum esse sanctum (§. 759.), omniscium (§. 760.), eidem competere omnem actum intellectus Divini (§. 761.), nec non rationem Divinam (§. 762.), cui cognitio Symbolica perspecta est (§. 763.), qui omnia præscit (§. 764.), cui consilium, decretum, propositum atque voluntas liberrima competit (§. 765.), qui facere potest, quicquid vult (§. 766.), qui omnipotens est (§. 767.), qui hunc mundum adspectabilem creavit (§. 768.) atque miracula patravit (§. 769.), quique est spiritus (§. 770.) & quidem perfectissimus (§. 771.), sapientissimus (§. 772.) atque summe bonus (§. 773.), concurrens ad omnes hominum actiones (§. 774.), qui omnia gubernat (§. 775.), nec non conservat (§. 776.), cui competit providentia (§. 777.), qui est ens, immo spiritus infinitus (§. 778.), substantia per eminentiam, cui modi per eminentiam tribuendi, & quæ eidem insunt vel ad essentialia, vel ad attributa ejus pertinent, aut, si quid modi analogum est, id per modum

dum attributi eidem ineſt, quique immutabilis, ſemper idem, nec in tempore eſt (§. 779.), ſed illimitatus, cui realitates omnes compoſſibiles in gradu abſolute ſummo inſunt, quique eſt ens neceſſarium, a ſe, independens, quod nec initium, nec finem habet, ortusque ac interitus expers, quod annihilari nequit, ſed omnium entium primum eſt & ultimum, & hinc qui æternus eſt (§. 781.), ſempiternusque, cui exiſtentia eſſentialis eſt, qui non eſt compoſitus, ſed ſimplex, nec extenſus, nec defectum ullum admittit, quique incorruptibilis, incorporeus, indiviſibilis, nec imaginabilis, nec viſibilis, qui nec pingi, nec ſculpi poteſt, poteſt tamen per figuras hieroglyphicas repræſentari, & cui talia ſunt tribuenda prædicata, ut per ea intelligi poſſit, cur hic potius mundus adſpectabilis exiſtat, quam alius, & cur potius exiſtat, quam non exiſtat una cum ſuis elementis, conſimiliter qui organa ſenſoria, qualia ſunt hominibus, habere nequit (§. 782.), ſed qui unus (§. 783.) atque omnipræſens eſt (§. 784.), ita tamen ut præſentia ejus illocalis ſit, & motus localis eidem repugnet (§. 785.). Quamobrem cum ſectione priori uberius demonſtraverimus, hæc eſſe attributa eſſentialia, quibus verus Deus cognoſcitur, & ab omnibus rebus, quæ verus Deus non ſunt, diſtinguitur; Liquido patet Spiritum Sanctum in ſacro codice vocari Deum, quia omnia attributa eſſentialia, quibus verus Deus cognoſcitur, & ab omnibus omnino rebus, quæ verus Deus non ſunt, diſtinguitur, poſſidet, ſeu quia eſſentiam habet revera Divinam, ſive quia revera verus Deus eſt.

§. 787.

Juxta ſcripturam evidens eſt Spiritum Sanctum una *Aliud argu-*

mentum ab operibus desumtum.

cum Patre atque Filio creaviſſe hunc mundum adſpectabilem (§. 768.); Porro eundem miracula veri nominis propria vi patraſſe (§. 769.). Denique is omnem omnino creaturam conſervat (§. 776.). Verum enim vero potentia creatrix ſoli Deo ita propria eſt, ut nulli enti alii communicari poſſit (§. 447.), immo potentia conſervatrix quoque prorſus incommunicabilis eſt (§. 462.), nec ullum ens finitum propria vi miraculum veri nominis edere poteſt, ſed ea ſolius Dei nutu fiunt (§. 314.). Atque adeo liquet ſacras paginas nos docere Spiritui Sancto opera ſoli Deo propria tribuenda eſſe. Quamobrem cum is neceſſario verus Deus ſit, qui opera ſoli Deo eſſentialia, ſeu incommunicabilia patrat; Spiritum Sanctum verum Deum eſſe dubitari nequit.

Hac via ſecure ad ipſam Deitatem Spiritus Sancti aſcendere valemus, quemadmodum (§. 745.) oſtendimus has propoſitiones eſſe tutiſſimam ſcalam perveniendi ad cognitionem veri Dei; Unde, quæ ibi annotavimus, hic quoque relegi debent; & ſic ſanus dubitari nequit Spiritum Sanctum verum eſſe Deum. Unde porro evidens eſt illos a vero quam longiſſime aberrare, qui Deitatem Spiritus Sancti negare allaborant, quia id, quod ut verum demonſtratum eſt, falſum eſſe nequit; Adeoque omne id, quod adverſarii, Divinitatem hujus Spiritus Dei abnegantes, objiciunt, ſuapte corruit. Et hæc noſtra ratio eſt, quare in disquiſitione attributorum atque operum Divinorum Spiritui Sancto competentium prolixiores ſumus, quam ſciolis par eſſe videtur, nec in refellendis exceptionibus adverſariorum, utpote ſua ſponte ruentibus, oleum ac operam perdere placuit. Inprimis cum demonſtratio veritatis nullam nauſeam, nullumque contemtum,

tum, multo minus odium sanis creare queat, immo adversariis ratione utentibus placet; e contrario longa disceptatio nauseam, sæpissimeque contemtum creat, & adversariorum odium; Unde quoque sæpe accidit, ut, qui demonstrationibus victi, se veritatis vexillo submitterent, si accriter punguntur, aut eorum nomina atro carbone notantur, affectibus excitatis malunt in luce caligare, quam veritati victas tradere manus. Nobis sola veritas cordi est, non vero odium errantium excitare volumus ad veritatis detrimentum.

§. 788.

Paulus diserte justificationem tribuit Spiritui Sancto I. *Corinth.* VI. 11. his verbis: Ἀλλ' ἐδικαιώθητε ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ, καὶ ἐν τῷ Πνεύματι τοῦ Θεοῦ ἡμῶν· *Sed justificati estis in nomine Domini Jesus, & in Spiritu Dei nostri.* Ex eo, quod Gentium Doctor dicit in nomine Domini Jesus in Spiritu Dei, non vero in Domino Jesu in nomine Spiritus Dei, evidens est hoc loco Apostolum Spiritui Dei, sive Sancto tribuere justificationem nostram. Non disceptamus hic, numne justificatio nostra quoque Domino Jesu Dei Filio competat? quod ultro cum scriptura concedimus; At hic solum quæstio est, anne hoc loco Paulino eadem diserte tribuatur Spiritui Sancto, de quo sanus dubitare nequit. Jam porro introspiciendum est, quid per justificationem intelligere debeamus. Apostolus reprehendit Corinthios, quod lites atque judicia habeant inter se, & eos docet nullum ulla injuria afficiendum, aut defraudandum esse, immo potius injuriam pati ac damnum accipere debere, quam injustos esse erga alios, usque ad versum 9.; hoc autem & 10. versu varias recenset actiones, quibus contra jus alterius agitur, seu quibus non tribuitur aliis jus. Unde evidens est Paulum hic agere de

Justificatio tribuitur Sp. S.

omnibus noſtris actionibus, quoad illæ reſpiciunt ad alios, eosque (verſu 9.) injuſtos vocat, qui tales edunt actiones, quibus contra jus aliorum agitur; Adeoque juſtus ei dici debet, qui tales patrat actiones, quibus aliis jus tribuitur, ſeu qui unicuique jus ſuum tribuit. Et hæc ipſa illa definitio eſt, quam Cl. *Baro de Wolf* (*Jur. natur. part.* I. §. 926.) dedit; Adeoque hæc cum ea, quam ex Pauli mente eruimus, eadem eſt. Et ſic juſtitia eſt illa virtus, qua jus ſuum unicuique tribuitur; Conſequenter etiam unicuique ſuum (§. *citato.*), ſeu eſt conſtans atque perpetua voluntas jus ſuum unicuique tribuendi (*Phil. pract. univerſ. part.* I. §. 328. *& jur. natur. part.* I. §. 927.). Quamobrem cum Spiritus Sanctus ab eſſentia ſua Divina verus dicatur Deus (§. 786.), ſeu verus Deus ſit, qui tanquam juſtiſſimus vult enti cuicunque tantundem conferri boni, quantum ſalva ſumma ſua ſapientia fieri poteſt (§. 533.); Quin eidem nulla hominum actio placeat, niſi qua quivis homo unicuique alteri enti jus ſuum tribuat, neceſſe eſt. Hinc juſtum ſe præbet, qui judicio Dei conſtantem atque perpetuam habet voluntatem jus ſuum unicuique tribuendi; Unde juſtificatio conſiſtit in directione voluntatis, qua conſtanter ac perpetue cuicunque jus ſuam tribuere vult. Et juſtificari dicimur, quatenus nobis conſtans atque perpetua voluntas datur unicuique jus ſuum tribuendi. Itaque a Paulo dicimur juſtificati in Spiritu Sancto, quatenus is noſtram voluntatem conſtantem efficit atque perpetuam unicuique ſuum jus tribuendi.

§. 789.

§. 789.

Non est, quod existimes, nos definitionem justitiæ, quam de Deo dedimus (§. 533.) ad mentem Pharaonis, hic relinquere, & communem ejus loco amplecti, quasi agnito errore. Præter ea enim, quæ (§. 533. & 534.) diximus, & necessario hic ponderanda sunt, sequentia adhuc notari merentur. Quemadmodum in communi usu loquendi, sic & ab Apostolo, quemadmodum (§. 788.) ostendimus, injustos esse in alios dicimur. Nemo autem vocatur injustus erga seipsum, nisi nosmetipsos consideremus tanquam diversos a nobismetipsis; id quod haud raro accidit, dum nos quoad facultates superiores animæ, quas scriptura supponit, vel etiam quoad actiones Spiritus Sancti in nobis instar personæ distinctæ a nobis imaginamur, fictione non inutili & communiter recepta, in multis cum communibus, tum in sacris receptis formulis loquendi tacite supposita; Adeoque actiones illæ, quibus nobis ipsis jus nostrum tribuimus hac definitione supponuntur. Porro qui seipsum amat, felicitatem suam intendit in agendo (*Psychol. empir.* §. 633. & *Phil. pract. univ. part.* I. §. 616.); Consequenter quatenus quis amat seipsum, sui tantummodo rationem habet in agendo. Verum enim vero vi legis naturalis (quam sacer codex sancte vult a Christianis coli) perfectio aliorum non minus est finis ultimus actionum humanarum, quam propria (*Phil. pract. univ. part.* II. §. 28.), & naturæ lex non minus aliis, quam nobis dat jus ad ea, sine quibus perfectionem nostram promovere minime valemus (*Phil. pract. univ. part.* I. §. 159.). Ad felicitatem igitur; Consequenter perfectionem propriam (*Phil. pract. univ. part.* II. §. 48.) consequendam non utimur mediis, quæ sunt contra jus alterius, vi sapientiæ, cujus est eligere hæc media (*Psychol. ra-*

Quæ hic notanda.

ration. §. 678.); Consequenter unicuique jus suum tribuit (*Jur. natur. part.* I. §. 921.). Justus igitur vi definitionis præsentis, dum amorem sapientia temperat. Et idem eodem modo patet, dum amore ductus aliorum perfectionem atque felicitatem promovere studet. Evidens adeo est, nos de justitia Dei dicentes (§. 533.) notionem justitiæ altius tantummodo repetiisse, nec hic tradere, quæ ibidem assumtis contrariantur. In casu quolibet particulari idem multo clarius conspicitur. Hinc liquet, justitiam esse virtutem, & hæc definitio doctrinæ juris, nec non verbis Pauli magis convenit altera, quam (§. *citato.*) dedimus, cum hinc facilius deducantur actiones justæ. Neque vero insolens est apud ipsos, immo rigerosissimos Geometras, ut eandem rem diversimode definiant, prouti hæc, vel ista definitio faciliores parit demonstrationes, & sic omnis inanis prolixitas eradicatur. Inprimis quando utraque definitio æquipollens est, quemadmodum nostra. Etenim vi definitionis præsentis justus est, dum amorem sapientiæ temperat *per modo demonstrata*, & (§. 533.) illum justum esse diximus, qui bonitatem temperat sapientia. Verum enim vero bonitas perfectionem aliorum prompte promovet (*Theol. natur. part.* I. §. 695.), amor autem voluptatem percipit ex alterius felicitate (*Psychol. empir.* §. 633.); Quoniam itaque, qui perfectionem sui & aliorum intendit, felicitatem quoque suam aliorumque intendat, necesse est, & contra (*Phil. pract. univ. part.* II. §. 50.); Hinc idem est, an dicas: justus est, qui amorem, an vero, qui bonitatem sapientia temperat. Denique notari meretur vulgo justitiam universalem, qua alteri jus suum tribuitur quoad omnes omnino actiones, de qua hic ex mente Pauli loquimur, dici complexum omnium virtutum, sed non satis accurate. Quamvis enim ea per

o-

omnes virtutes diffundatur, quatenus nulla est actio, quæ non respiciat alios, saltem quoad exemplum, quod præbetur aliis (*Jur. natur. part.* I. §. 929.); hoc tamen non obstante a ceteris virtutibus separata manet, neque etiam cum iis conjungitur. Vi justitiæ enim universalis actionum committendarum motiva desumuntur ab aliis, ad quam eædem referuntur. Immo non solum in civitate referuntur etiam ad integram civitatem, sed inprimis in societate Christianorum ad totam hanc societatem, quæ tanquam personæ quædam considerantur, quibus certa jura competunt, & quibus certis obligationibus devictus est quilibet cum civis, tum socius, prouti in Philosophia morali atque Ethica Christiana doceri debet. Hinc qui temperantiam colit, non modo temperans est, quatenus sanitatis ac vitæ rationem habet; Verum etiam justum se probat erga civitatem, quatenus opes suas profundere non vult, ut oneribus Reip. pro parte sua ferendis par sit, & idem justum se præbet aliis, quatenus aliis exemplo suo temperantiam commendat, neminem vero ad intemperentiam seducit, neque ulli offenduculo est, quemadmodum Cl. *de Wolfius* meminerit *in Horis subsecivis Trim. Verm. A°.* 1729. *Num.* II. §. 7. Sed & justum se probat erga societatem Christianam, quatenus easdem opes profundere recusat, ut eleemosynas juxta Dei præceptum dare possit, simulque quoniam Deus omnem intemperantiam diserte prohibuit in sacris paginis, vult autem omnes suos esse quasi œconomos, idemque se præbet justum aliis Christianis, quatenus obediendo præcepta Divina servat, nec non vitando ea, quæ Deus prohibet, ommittit, quia Deus ea non committi vult, & sic hoc suo exemplo nulli Christiano offendiculum ponit, sed omnibus temperantiam ex his motivis commendat. Quicquid agis, justitia universalis semper jubet respicere alios,

ne quid committas, quod obligationi erga alios quomodocunque adverſetur, & ut facias, quicquid obligatio erga alios a te exigit. Dolendum profecto eſt, hujus virtutis non majorem rationem haberi, quam vulgo fieri ſolet, certo indicio paucos eſſe, qui a Spiritu Sancto juſtificati ſunt. Ad neglectum juſtitiæ hujus referenda ſunt, quæ Chriſtus tam graviter declamat contra ſcandala: hæc enim ferre nequit hæc virtus. Sed de hiſce uberius dicendum erit in Ethica Chriſtiana, cui quoad ſingulas ejus partes inſigne augmentum accedit hac ipſa virtute. Quamvis tibi ipſi deeſſe volueris, non tamen patitur hæc virtus, ut te negligendo deſis aliis. Immo ſæpiſſime, quæ tibi licent, non amplius licita ſunt, ſi alios reſpicias; Id, quod Apoſtolus noſter verſu 12. affert tanquam definitum juſtificationis Spiritus Sancti. Per ſe patet uſus hujus propoſitionis.

§. 790.

Sanctificatio Sp. S. tribuitur.

Eodem loco (§. 788.) citato, nimirum I. *Corinth.* VI. 11. Apoſtolus ait: Ἀλλὰ ἡγιάσθητε ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ, καὶ ἐν τῷ Πνεύματι τοῦ Θεοῦ ἡμῶν. *Sed ſanctificati eſtis in nomine Domini Jeſus, & in Spiritu Dei noſtri.* Apoſtolus, quoniam dicit: ſanctificati eſtis in nomine Domini Jeſus, & in Spiritu Dei noſtri, non autem, ſanctificati eſtis in Domino Jeſu & in nomine Spiritus Dei, nos docet Spiritui Sancto ſanctificationem noſtram eſſe tribuendam. Quoniam itaque ſanctificari dicimur, quatenus voluntas noſtra dirigitur in id, quod rectum; Conſequenter quod voluntati Dei conforme eſt (§. 529.); Conſtat nos ſanctificatos eſſe in Spiritu Sancto, quatenus is noſtram voluntatem dirigit in id, quod rectum, ſeu voluntati Divinæ conforme eſt. Cum por-

porro, qui sanctificatus est, sanctum se præbeat, necesse sit; Quin in Spiritu Sancto sanctificatus, rectus sit judicio ipsius Dei, rectis actionibus ex sanctitate provenientibus (§. 529.), dubio caret.

Insignis fœcunditas distinctæ notionis sanctificationis atque sanctitatis patebit cum in ipsius Theologiæ Dogmaticæ parte altera, tum in Theologia practica & tota Ethica Christiana.

§. 791.

Numerus I. Justificatus enti cuicunque jus suum tribuit (§. 788.). Verum enim vero Deus summus noster Dominus est, cui jus summum in nos competit, ita ut de tota nostra substantia & usu pro arbitrio suo disponere possit (§. 487.), idemque justissimus est; Adeoque justissimus Dominus, qui in jure suo summam suam bonitatem cum sapientia itidem summa attemperat (§. 533.). Quoniam itaque bonitas Dei incomprehensibilis (§. 442.), & sapientia ejus inperscrutabilis est (§. 411.); Hinc nulli enti finito possibile est incomprehensibilem bonitatem Divinam comprehendere (§. 442.), aut sapientiam ejus inperscrutabilem perscrutari (§. 411.), sed necesse est, ut qui hanc comprehendere, aut illam perscrutari vult, ens infinitum sit (*Ontol.* §. 746. & 798.); Constat itaque illum, qui jus Dei in homines comprehendere vult, ens infinitum debere esse; Consequenter qui hominem justificare vult, ens infinitum esse debet. Quare cum, qui infinitudinem ponit, is ipsum verum Deum ponat (§. 511. *in notis.*), & in sacris justificatio nostra tribuatur Spiritui Sancto (§. 788.); Quin sacer codex Spiritui Sancto nostram justificationem tribuendo eundem verum

Sp. S. nos justificando atque sanctificando se verum Deum esse probat.

Deum esse affirmet, extra omnem dubitationis aleam positum est.

Numerus II. Spiritus Sanctus nos sanctificat, quatenus voluntatem nostram dirigit in id, quod voluntati Divinæ conforme est (§. 790.). Verum enim vero nullum ens finitum habet ideam voluntatis, qualis est in Deo, nec eandem sibi clare repræsentare potest (§. 291.); Constat itaque illud ens, quod vult habere ideam voluntatis Divinæ, infinitum debere esse; Consequenter qui voluntatem nostram vult dirigere in id, quod Divinæ voluntati conforme est, ens infinitum esse debet. Quamobrem cum posito ente infinito, ponatur verus Deus (§. 511. *in notis*); Quin Paulus Spiritui Sancto tribuens sanctificationem nostram eundem verum Deum esse doceat, in propatulo est.

Hanc propositionem exornavimus, ut pateat, quo jure, Theologi Divinitatem Spiritus Sancti affirmantes, argumento sumant justificationem atque sanctificationem nostram. Ceterum notari meretur, quod loquamur de homine, qualis est, non qualis fingi potest illum futurum fuisse, si labi non potuisset, fictione inani atque prorsus inutili.

§. 792.

Regeneratio tribuitur Sp. S., & per eam, sese verum Deum esse, demonstrat.

Ita Paulus ad *Titum.* III. 5. ait: Deum sua misericordia nos servasse διὰ λουτροῦ παλιγγενεσίας Πνεύματος ἁγίου *per lavacrum regenerationis Spiritus Sancti.* Quid Paulus per lavacrum regenerationis dicere velit, hic inquirendi locus non est, cum nobis sufficiat Paulum Spiritui Sancto attribuere regenerationem nostram. Et sane ipse noster Salvator consentit cum Apostolo: Is enim *Joh.* III. 7. 8. inquit. Δεῖ ὑμᾶς γενηθῆναι ἄνωθεν ἐκ τοῦ Πνεύματος. *Oportet*

tet vos denuo gigni ex Spiritu; Ut adeo & Christus & Gentium Apostolus Spiritui Sancto tribuant nostram denuo factam generationem, seu regenerationem. Quoniam Jesus in suo sermone cum Nicodemo generationem denuo ex Spiritu faciendam contradistingit generationi ex carne, seu ex parentibus, & præter generationem ex parentibus homo aliter ad existendum perduci nequit, quam per creationem; Evidens est eundem hic respicere ad creationem protoplastarum. Etenim Deus creando protoplastas, eos ad imaginem atque similitudinem suam creavisse dicitur *Gen.* I. 26. V. 1. Licet homo non habeat eandem cum Deo essentiam, habet tamen eam, quæ est ad imaginem, ad similitudinem Dei. Ob similitudinem hanc, qua Deus primum exornavit par hominum, illud a Deo creatum, merito quoque dici potest quasi generatum, quoniam generatio ille actus est, quo ens aliud a se eandem specie essentiam habens ad existentiam perducitur (§. 654.). Quoniam autem Paulus *ad Coloss.* III. 10. εἰκόνα τοῦ κτίσαντος *imaginem creatoris*, hoc est, Dei (§. 152.) vocat τὸν καινὸν ἄνθρωπον *illum novum hominem*, & quid ei hic novus homo sit, *ad Eph.* IV. 24. explicat, ubi inquit: *& induite novum hominem, illum secundum Deum creatum* (seu novum illum hominem, qui secundum, seu ad imaginem Dei creatus est) ἐν δικαιοσύνῃ καὶ ὁσιότητι τῆς ἀληθείας *in justitia & sanctitate veritatis*, sive in vera justitia atque sanctitate; Quin Paulo imago Dei in vera justitia ac sanctitate positum sit, dubitari nequit. Et sane Deus summe sanctus (§. 530.), summeque justus est (§. 533.), qui hominem creavit *Gen.* I. 27., & qui omne id, quod creavit, proprio suo judicio creavit optimum *Gen.* I. 31.; Adeoque qui hominem creavit optimum, & quidem ad suam imaginem, ad similitudinem suam *Gen.* I. 26. 27.;

Conſequenter cum vera ſanctitate atque juſtitia: Id, quod Salomon etiam aſſerit, quando *Eccleſ.* VII. 29. inquit: לבד ראה־זה מצאתי אשר עשה האלהים את־האדם ישר *Jolummodo vide hoc, inveni; quod fecit Deus Adamum* (primum hominem) *rectum*, id eſt talem, qui omnes omnino ſuas actiones voluntati Dei conformiter inſtituit (*Theol. natur. part.* I. §. 950. & h. 523.), ſeſe Sanctum præbendo (§. 529.). Verum enim vero Moſes non ſolum deſcribit lapſum hominis *Gen.* III., ſed & affirmat *omne figmentum & cogitationes cordis hominum tantummodo malum eſſe omni tempore Gen.* VI. 5. *& quidem a pueritia ejus Gen.* VIII. 21. Quo indigitat hominem amiſiſſe hanc imaginem Dei: Id, quod & Salomon *Eccleſ.* VII. 20. affirmat his verbis. אדם אין צדיק בארץ אשר יעשה־טוב *Nullus homo juſtus in terra, qui faciat bonum*, itemque Paulus ad *Rom.* III. 10. 12. Οὐκ ἔστι δίκαιος, οὐδὲ εἷς. Οὐκ ἔστι ποιῶν χρηστότητα, οὐκ ἔστιν ἕως ἑνός. *Nullus eſt juſtus, nequaquam unus. Nullus eſt recte agens, nec unus quidem eſt;* Adeo lapſus hominis conſiſtit in amiſſione ſanctitatis atque juſtitiæ, ſeu imaginis Dei. Quare per denuo faciendam generationem, ſeu regenerationem nihil aliud intelligi poteſt, quam reſtitutio hominis in eum ſtatum, quo per protoplaſtas excidit, id eſt reſtitutio imaginis Dei, ſeu ſanctitatis atque juſtitiæ. Quando itaque Spiritui Sancto regeneratio noſtra tribuitur, prædicatur de eodem ille actus, quo imaginem Dei amiſſam, ſeu juſtitiam ac ſanctitatem in nobis reſtituit.

Quoniam autem ſacræ literæ, Spiritui Sancto juſtificationem & ſanctificationem noſtram tribuendo, nos docent eundem revera verum eſſe Deum (§. 791.), & rege-

ne-

neratio consistit in restitutione justitiæ ac sanctitatis amissæ, seu in sanctificatione atque justificatione nostra, *per modo demonstrata.* Dubitari nequit, quin scriptura eidem regenerationem nostram attribuendo nos certos reddere velit de Divinitate essentiæ hujus spiritus.

Nos, qui evidentiam sectamur, notionem regenerationis distinctam reddere debuimus, ut inde certo pateat verum esse, quando dicitur: Spiritus Sanctus revera verus Deus est, quia regeneramur ex eodem. Usus hujus propositionis per se patet.

§. 793.

Illuminatio tribuitur Sp. S., ac per eam sese demonstrat verum Deum.

Apostolus I. *Corinth.* II. 9. 10. inquit: *Quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscenderunt, quæ paravit Deus iis, a quibus ipse diligitur.* Ἡμῖν δὲ ὁ Θεὸς ἀπεκάλυψε διὰ τοῦ Πνεύματος αὐτοῦ. *Nobis autem Deus revelavit per spiritum suum;* seu per Spiritum Sanctum (§. 760.) Deus omnia hæc revelavit, quæ homo natura cognoscere non potuit, sive (quemadmodum vers. 7. ait) *sapientiam Dei in mysterio*, hoc est illam mysteriosam atque imperscrutabilem sapientiam Dei, quam nullus homo, nec ullum ens finitum assequi valet, propterea quod comprehendere nequit, cur Deus hoc vel isto modo agat, ignorans aptitudinem mediorum ad finem consequendum, quia nec fines satis explorare, nec media, si vel maxime illa in se perspecta essent, ad eos consequendos maxime apta divinare licet (§. 411.): Id, quod Apostolus disertis verbis insinuat *versu* 14., inquiens: *Animalis autem homo non capit, quæ sunt Spiritus Dei: sunt enim ei stultitia, nec potest cognoscere, quia spiritualiter dijudicantur.* Et sane Spiritus Sanctus, quia (ut

ver-

verſu 10. aſſeveratur) *omnia ſcrutatur*, *etiam profunditates Dei*, omniſcius eſt (§. 760.); qui hinc myſterioſam & imperſcrutabilem ſapientiam Dei cognovit; Adeoque eam nobis revelare potuit. Cum vero Paulus affirmet Deum ea revelaſſe per ſpiritum ſuum; Eo ipſo Spiritui Sancto revelationem tribuit, quam ſoli eidem tribuendam eſſe *Petrus* II. *Epiſt.* I. 21. evicte docet his verbis. *Non enim voluntate hominis allata eſt ulla prophetia; ſed acti a Spiritu Sancto locuti ſunt ſancti Dei homines.* Quamobrem cum vulgo nobis revelari quid dicatur, quando efficitur ut id, quod neſcivimus, ſciamus; Itaque Apoſtoli Spiritui Sancto revelationem tribuentes, nos docuerunt, eidem tribuendum eſſe illum actum, quo nos ſcire fecit, quæ neſcivimus. Et ſane hæc definitio revelationis quoque ex mente Pauli evidens eſt. Etenim is loquitur de iis, quæ oculus non vidit, auris non audivit, nec in cor hominis adſcenderunt: Quid, quæſo, hæc verba aliud dicunt, quam; quæ neſcivimus? & *verſu* 12. inquit: *Accepimus ſpiritum*, *qui ex Deo* (ſeu ſanctum): *ut ſciamus*, *quæ Deus nobis gratificatus eſt*; Quod perinde eſt, ac ſi dixiſſet: Deus per Spiritum Sanctum nobis revelavit ea, quæ neſcivimus, ut ſciamus illa. Verum enim vero ſi quis propoſitionem demonſtrare noverit, is eam ſcire dicitur (*Logic.* §. 594.); quæ vero a nobis demonſtrari non poſſunt, neſcimus (*Logic.* §. 598.). Quoniam itaque ſcientia inſtructus certam rei debeat habere cognitionem (*Logic.* §. 595.); Patet Spiritum Sanctum revelando efficere, ut certum habeamus rerum revelatarum cognitionem; Conſequenter eam facultatem dare nobis debet, qua res clare percipimus, ut nobis conſcii ſimus ejus, quod percipimus, atque ea, quæ percepimus, probe

be a se invice distinguamus. Quare cum animæ illuminatio in eo consistat (*Psychol. empir.* §. 35.); Quin Spiritui Sancto revelatione adsignante tribuatur illuminatio nostra, qua animæ nostræ dat facultatem res revelatas clare percipiendi, ut conscia sibi sit ejus, quod de iis percipit, atque omnia, quæ percipit, a se invicem destinguat, dubitari nequit.

Illuminatio autem (quemadmodum hæc ipsa propositio evicte docet) ad mentem Pauli pro objecto habet imperscrutabilem sapientiam Dei, quam nullus homo, nullumque ens finitum assequi valet (§. 411.); Consequenter illud ens, quod hoc modo homines illuminat, prorsus infinitum esse debet; Spiritus Sanctus itaque infinitudidem; Consequenter Divinitatem suam (§. 511. *in notis.*) demonstrat per nostram illuminationem.

Terminum illuminationis ex communi loquendi usu sumsimus, qui transfertur a rebus materialibus ad animam ob similitudinem. Quemadmodum enim in mundo materiali lumen efficit, ut res materiales videamus; ita claritati perceptionum tribuendum, ut earum nobis conscii simus, atque perceptionem unam ab altera distinguere valeamus. Et quemadmodum oculus absque lumine nihil videre potest; ita etiam mens absque claritate perceptionum non conscia sibi esse potest ejus, quod percipitur. Similitudinem explicamus, ut constet denominandi ratio, quam etiam sacer codex ex rebus materialibus dat, quoniam is loquitur de iis, *qui in tenebris, qui in luce ambulant* I. *Joh.* I. 5. *tenebris obscuratam mentem habentes, & alienati a vita Dei propter ignorantiam, quæ est in ipsis Eph.* IV. 18. Immo scriptura eandem nobis etiam alibi

ideam dat de illuminatione, quam ad mentem Apostoli eruimus, veluti *Eph.* I. 18., ubi loquitur de *illuminatis oculis mentis*, *ad sciendum*. Ceterum ex dictis evidens est amicus ille consensus inter Theologiam naturalem & revelatam, nec non, quod scriptura eodem, quo communiter in Psychologia fit, modo loquatur de rebus spiritualibus desumendo terminos atque voces a similitudine, quæ intercedit inter res materiales atque animas.

§. 794.

Baptizamur in nomen Spiritus Sancti, quia verus Deus est.

Quoniam Jesus suos Apostolos jubet *Matth.* XXVIII. 19. *omnes gentes baptizari in nomen Patris*, *& Filii*, *& Spiritus Sancti*, & deinde demonstrabitur baptismum in nomen alicujus esse partem cultus Divini, nec ens ullum præter verum Deum existens hoc cultu coli potest, nisi summe injurius in ipsum Deum sit (§. 749.); Eo ipso, quod Jesus Apostolos suos jubet omnes gentes non solum in nomen Patris ac Filii, sed & in nomen Spiritus Sancti baptizari, nos evicte docet Spiritum Sanctum tanquam verum illum Deum cum Patre atque Filio colendum & pro vero illo Deo agnoscendum esse.

Idem etiam hoc modo demonstrari potest. Spiritus Sanctus, quia essentiam revera Divinam habet, verus est Deus (§. 786.). Quare cum ratione atque revelatione unanimis testibus verus Deus colendus sit, & baptismus fit pars cultus Divini; Hinc Jesus præcipiens omnes gentes in nomen Spiritus Sancti baptizari, jussit omnes gentes hunc spiritum coli ac agnosci pro vero illo Deo, cui essentia Divina essentialis est.

Ex

Ex eo, quod Spiritus Sanctus gaudeat essentia Divina, sequitur eidem præstanda esse cuncta officia, quæ vero Deo debemus; Consequenter is honore Divino honorandus, adorandus, glorificandus &c. est. Unde liquet, quod, licet sacer codex non diserte jubeat, honora, adora, glorifica &c. Spiritum Sanctum, eundem tamen velit a nobis honorari, glorificari &c. Ex his evidens est, cur Theologi jure affirment Spiritum Sanctum adorandum, honorandum, glorificandum, immo eidem totum Divinum cultum tribuendum esse. Ceterum si quid de Deo quatenus essentiam Divinam habet, diximus, aut affirmari potest, quod de Spiritu Sancto non demonstravimus, propterea id non omisimus, quod ex sacris demonstrari nequeat, sed quia acutus Lector id facili negotio supplere potest, nos vero, quantum fieri potuit, omnem prolixitatem vitemus.

§. 795.

Sp. S. cur vocetur spiritus veritatis.

Spiritus Sanctus in sacris quoque vocatur *Spiritus veritatis* veluti *Joh.* XIV. 17. XV. 26. τὸ Πνεῦμα τ ἀληθείας, quod explicatur cap. XVI. 13. his verbis τὸ Πνεῦμα τ ἀληθείας, ὁδηγήσ ὑμᾶς εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν *spiritus ille veritatis ducet vos in omnem veritatem.* Ad cognitionem omnem veritatis non solum requiritur cognitio veritatis transcendentalis seu metaphysicæ, qua scimus ens tale esse, quale nobis apparet (*Ontol.* §. 496. *in notis.*), sed & veritatis Logicæ, qua scimus judicium nostrum consentire cum objecto, seu re repræsentata (*Logic.* §. 505.); Adeoque tum demum possumus dici habere cognitionem omnem veritatis, quando non solum certi sumus rem talem esse, qualis ea nobis apparet, sed & quando certi sumus judicium nostrum consentire cum re repræsentata.

Quare cum is dicatur ducere aliquem, qui efficit, ut perveniat eo, quo tendit; Spiritus Sanctus nos ducit in omnem veritatem, quatenus nos certos reddit rem talem esse, qualis ea nobis apparet, & judicium nostrum cum re repræsentata consentire. Verum enim vero Jesus in suo sermone loco posteriori ita pergit: *Non enim loquetur a semetipso, sed quæcunque audierit, loquetur, & quæ ventura sunt, renunciabit vobis.* Et quidem ea, quibus Deum glorificabit tanquam unicum nostrum salvatorem, quemadmodum ex contextu apparet. Unde facile colligimus objective hic per omnem veritatem intelligi debere omne id, quod nobis ad salutem cognitu necessarium est. Hinc Spiritus Sanctus vocatur spiritus ille veritatis, quia nos in omnem veritatem ducit, quatenus efficit, ut objective omnem illam veritatem cognoscamus, quæ nobis ad salutem cognitu necessaria est, & subjective nos certos reddat eam omnem talem esse, qualis ea apparet, nec non judicium nostrum cum eadem consentire.

Propositio hæc exemplo esse potest *explicationis extensivæ*, & ubi ea locum habeat. Per omnem veritatem hic & objectum ejus, & in subjecto veritatem metaphysicam & logicam considerandam esse, evidens est. Etenim si nulla datur in rebus veritas transcendentalis, seu metaphysica, nec datur veritas logica propositionum universalium, nec singularium datur, nisi in instanti (*Ontol.* §. 499.). Quamobrem cum detur veritas logica harum propositionum, patet dari & in sacris præsupponi veritatem transcendentalem. Veritatem vero logicam diserte Apostolus I. *Corinth.* II. 12. in nobis Spiritum Sanctum operari

rari asseverat: *Spiritus, qui ex Deo est, facit, ut sciamus, quæ Deus nobis est gratificatus.* Objectum hujus veritatis quæstiones inanes, incomprehensibilia Dei & scientiæ humanæ esse nequeunt, quoniam illa, teste scriptura, a Spiritu Sancto non docemur, immo has quæstiones facere sacræ literæ vetant: incomprehensibilia Dei per se impossibile est, ut ab ente finito comprehendantur, & ad scientias humanas absque Spiritus Sancti ductu pervenire datur; Adeoque objectum nihil aliud esse potest quam ea, quæ ad salutem cognitu necessaria sunt, & sacer codex nos passim docet Spiritum Sanctum a Deo missum esse, ut ea nos doceat. Non est, quod nostram definitionem carpere possis, quod nullam injecimus mentionem rectitudinis actionum nostrarum, quam per spiritum operari hæc verba salvatoris insinuant, quasi hinc illa deficeret. Bona verba, quæso. Etenim nobis constat ex definitione exulare debere, quæ ex eadem legitime fluunt (*Logic.* §. 680.). Quamobrem cum actionum rectitudo dependeat a constante atque perpetua voluntate agentis (§. 528.), & voluntas sine motivis nihil velit, quia hæc ratio sufficiens volitionis ac nolitionis sunt (*Psychol. empir.* §. 887.), motiva vero ab intellectu dependeant; Evidens est rectitudinem actionum ex intellectu fluere; Adeoque ex hac definitione exulare debere, quamvis ex eadem fluant, & in verbis salvatoris lateant.

§. 796.

Ex verbis Redemtoris nostri luculenter patet Spiritum Sanctum vocari paracletum *Joh.* XIV. 26. ὁ παράκλητος, τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον· *Hic paracletus, Spiritus ille Sanctus.* Describit autem Jesus hunc esse illum, ὃν πέμψει ὁ Πατὴρ, *quem misit Pater* cap. XIV. 26. ᾧ ὃν πέμψω ὁ Ἰησοῦς & *quem misit Jesus* cap. XV. 26. ἵνα μένῃ μεθ' ὑμῶν εἰς τὸν αἰῶνα, *Spiritus Sanctus cur vocetur paracletus.*

ut maneat vobiscum in æternum cap. XIV. 16. Vocabulum αἰὼν *æternus* significatum habet ambiguum, quia vel durationem terminabilem vel etiam interminabilem inuit (§. 62.). Hæc vero ambiguitas oritur, quia aut prædicatur de rebus, quæ initium & finem habent, aut quæ initium, sed non finem habent, aut quæ initio & fine carent; Adeoque ambiguitas tollitur, quam primum certum est, quales terminos habeat objectum, de quo prædicatur æternitas. Quare cum hic Jesus affirmet Spiritum Sanctum nobiscum manere in æternum; Eo ipso indigitat eundem tamdiu nobiscum esse, quamdiu nos ejus præsentia indigemus. Hæc præsentia porro in quo sese exerat a salvatore nostro designatur, cap. XIV. 26. his verbis. Ἐκεῖνος ὑμᾶς διδάξει πάντα, καὶ ὑπομνήσει ὑμᾶς πάντα, ἃ εἶπον ὑμῖν *ille vos docebit omnia, & suggeret (in memoriam revocabit) vobis omnia, quæ dixi vobis.* Verum enim vero si omnia, quæ Jesus dixit, probe examinamus, invenimus in his omnibus simul sumtis, quemadmodum hic salvator noster diserte vult omnia simul sumi, omne id, quod creditu atque factu ad salutem necessarium est. Quoniam itaque idem asserit, quod hoc omne Spiritus Sanctus nos docebit atque suggeret; Eo ipso affirmat hunc spiritum efficere, ut credamus & faciamus ea omnia, quæ ad salutem necessario a nobis requiruntur, seu illum totam salutem nobis applicare; Consequenter Spiritus Sanctus in sacris vocatur paracletus, quatenus a Patre atque Filio missus est, ut salutem totam nobis applicet.

Utimur hic voce paracletus, quæ quidem Græca est ast terminatione Latinis propria, quia, quantum scimus, nullum vocabulum scriptoris alicujus Romani repe-

ri-

ritur, quod exprimeret id, quod hoc vocabulum græcum indigitat, quod & Philologi optime obſervarunt. Qua in re, ſi utamur voce ignota, ſenſum, quem ei tribuimus, auribus Latinis, nobis id condonabunt facile, ut ſpero, Lectores, qui meminerint hujusmodi notionem, quemadmodum a nobis conſideratur, nunquam fortaſſe animo ullius Autoris Romani obſervatam, ac perinde novis rebus nova imponenda eſſe vocabula. Sic certe fecerunt olim Latini, cum primum lingua ſua philoſophari cœperunt, aut ſermones aliorum populorum, inprimis Græcorum ſua lingua traderunt, quemadmodum ex optimis eorum ſcriptoribus paſſim probari poteſt; Quod cur nobis hodie in ſimili caſu non liceat, nova proferentibus, nulla ratio afferi poteſt. Ceterum ex eo, quod Sp. S. nobis totam ſalutem applicet, patet nos vocabulum paracletus ſumere in omni ſua latitudine. Is enim nos docet, quid credendum, admonet, quid agendum, immo ad id, quod faciendum, nos excitat tanquam *exhortator* noſter; Is operatur in nobis & velle & perficere ejus, quod agendum atque credendum, ſeu ut verbis Pauli utar *Rom.* VIII. 14. 16. *Quotquot Spiritu Dei aguntur, ii ſunt filii Dei, & ſic ipſe ſpiritus teſtatur una cum ſpiritu noſtro nos eſſe filios Dei*, quod maximum ſolamen in quavis anguſtia atque triſtitia eſt, & ſic merito ſummus *conſolator* eſt; Quid? quod applicando nobis totam ſalutem per Chriſtum impetratam cauſam noſtram efficaciſſime agit coram Deo tanquam optimus ille *advocatus* a Deo miſſus; Denique efficiendo, ut ſciamus illum ſolum nobis hanc ſalutem applicare, nos convincit ſe eſſe ſummum noſtrum *patronum.* Unde evidens eſt noſtram datam definitionem exhaurire omne definitum, quod in ſacris de paracleto prædicatur, ſimulque ampliſſimum ſenſum Etymologicum hujus vocis evacuare.

§. 797.

§. 797.

Nomina Divina Jehova & Θεὸς Spiritui Sancto tribuuntur.

Verba Prophetæ *Jeremiæ.* XXXI. 33. hæc ſunt כי זאת הברית אשר אכרת את־בית ישראל אחרי הימים ההם נאם־יהוה נתתי את־תורתי בקרבם ועל־לבם אכתבנה. *Nam hoc illud eſt fœdus, quod pangam cum domo Iſraëlis poſt dies hos, inquit Jehova, dabo legem meam in medium eorum, & in cor eorum eam inſcribam.* Ex his ipſis verbis evidenter patet, illum diſerte dici Jehovam, qui ea locutus fuit. Atat eadem res & verba reperiuntur *Hebr.* X. 16. Αὕτη ἡ διαθήκη, ἣν διαθήσομαι πρὸς αὐτοὺς μετὰ τὰς ἡμέρας ἐκείνας, λέγει Κύριος. Διδοὺς νόμους μου ἐπὶ καρδίας αὐτῶν, καὶ ἐπὶ τὴν διάνοιαν αὐτῶν ἐπιγράψω αὐτούς. Refert autem Apoſtolus *verſu* præcedente 15. hæc eſſe ipſius Spiritus Sancti verba; Adeoque qui ab Apoſtolo vocatur Spiritus Sanctus, is a Propheta diſerte nuncupatur Jehova, ſeu Spiritus Sanctus appellatur Jehova. Ex locis *Jeſ.* VI. 3---9. *coll. Actorum.* XXVIII. 25. 26. & *Pſ.* XCV. 7---11. una cum *Exodi.* XVII. 2. 7. *coll. Hebr.* III. 7---10. eodem modo demonſtrari poteſt Spiritum Sanctum vocari Jehovam. Idemque ſub Novo Fœdere nuncupatur ὁ Θεὸς, quemadmodum ex dicto Petri *Actorum.* V. 1. *ſeqq.* (§. 786.) evicte docuimus. Quare cum nomen Jehova (§. 684.) & Θεὸς ſit nomen ſoli Deo proprium atque eſſentiale, quo is, qui eſſentiam vere Divinam habet, ſolum nominatur (§. 688.); Patet Spiritum Sanctum in ſacris vocari nominibus Jehova atque Θεὸς ſoli Deo propriis & eſſentialibus, & quia idem eſſentia verus Deus eſt (§. 786.), propterea quod eſſentiam vere Divinam habet, ſeu revera verus Deus eſt.

Quæ (*in notis ad* §. 751.) de Dei Filio diximus, eodem

dem quoque modo de Spiritu Sancto affirmari debent, quia eadem ratio est. Ceterum quia hostes Deitatis Spiritus Sancti omnem operam navant, ut eam quadam specie negare possint, nostrum fuit ex sacris literis uberius demonstrare eundem revera verum esse Deum, ne incautis dubium suboriri possit, & errantes errorem suum, si volunt, agnoscere queant. Quare nos minime pœnitet operis atque laboris, quem in hanc demonstrationem impendimus, &, si huic spiritui placeret suam Divinitatem errantibus tanquam eorum paracletum ostendere, nec non una cum nostris spiritibus nobis testimonium dare, nos esse Dei filios, gaudium meum esset plenum.

§. 798.

Sp. S. cum Patre atque Filio eandem habet essentiam,

Spiritus Sanctus in sacris paginis vocatur Deus, quia omnia attributa essentialia, quibus verus Deus cognoscitur, & ab omnibus omnino rebus, quæ verus Deus non sunt, distinguitur, possidet (§. 786.), eidem sacer codex tribuit opera soli Deo propria & omni enti præter Deum existenti prorsus incommunicabilia (§. 787.), porro scriptura huic spiritui justificationem, sanctificationem (§. 791.) atque regenerationem nostram attribuendo, nos certos reddere vult de Divinitate essentiæ ejus (§. 792.), sic Spiritus ipse Divinam suam essentiam demonstrat per illuminationem nostram (§. 793.); Quid? quod Jesus Apostolos suos jubens omnes gentes tam in nomen Spiritus Sancti, quam in nomen Patris atque Filii baptizari, nos evicte docet Spiritum Sanctum tanquam verum illum cum Patre ac Filio Deum colendum & pro vero illo Deo agnoscendum esse (§. 794.), & hic a Patre atque Filio missus est ille paracletus, ut nobis totam salutem applicet (§. 796.), qui quoque in Veteri Fœdere Jehova, & in Novo Θεὸς vocatur, quæ sunt nomina soli Deo propria & essentia-

lia (§. 797.); Itaque Spiritui Sancto ea omnia in sacris adscribuntur, quæ soli vero Deo tribui possunt, & per quæ hic verus Deus ab omnibus entibus præter ipsum existentibus distinguitur, nec non diis falsis opponitur, quemadmodum sectione priori uberius docuimus. Quare cum Pater (§. 652. 686. & 690.) & Filius verus ille Deus sit, cui essentia, attributa, opera cum naturæ tum gratiæ, cultus atque nomina Divina, quæ soli vero Deo propria sunt, tribuuntur (§. 743---751.); Pater una cum Filio & Spiritu Sancto in eo tertio conveniunt, quod sint revera verus Deus, seu quod his tribus simul tribuantur, quæ soli vero Deo tribui possunt; Consequenter **Spiritus Sanctus una cum Patre atque Filio sunt simul solus ille verus Deus, possidentes eandem essentiam soli Deo propriam; Adeoque & eandem essentiam.**

Hac propositione combinavimus omnia ea, quæ hucusque de Spiritu Sancto ex sacro codice docuimus, & ex his luculenter patet hæc esse eadem prædicata, quæ ipsi soli Deo competunt; Unde dubitare sanus nequit hunc spiritum solum illum verum Deum esse. Quoniam autem tum Patri tum Filio hoc ipsum definitum cum Spiritu Sancto convenit, non nisi insanus negare potest his tribus simul sumtis etiam convenire definitionem veri Dei, seu hos tres simul sumtos verum illum Deum esse. Ex his facile colligitur illum in ipsum verum Deum, seu in essentiam Divinam injurium esse, qui Deitatem Filii aut Spiritus Sancti negare connatur. Quare cum gravius quid dici nequeat, in propatulo est, quantus eorum sit error, qui Divinitatem horum agnoscere recusant.

§. 799.

numericam. Et ratione & revelatione testibus unanimis evicte doce-

cemur unum ſolum verum Deum ſolummodo poſſibilem eſſe, & quidem unitate numerica (§. 147. 148.), ita ut prorſus impoſſibile ſit, plures Deos, ſive ſucceſſive exiſtere poſſe, qui vel eandem, vel diverſam habeant inter ſe eſſentiam (§. 149. *& Ontol.* §. 79.), quia idem numero eſt, quod de ſe ipſo affirmari poteſt in ſingulari, ſeu quod repugnat bis exiſtere (*Ontol.* §. 182.). Quamobrem cum Pater una cum Filio atque Spiritu Sancto ſint ſimul verus ille Deus, qui gaudent eadem eſſentia Divina (§. 753.); **Eſſentia Divina cum Patris tum Filii ac Spiritus Sancti eadem numero eſt, quia impoſſibile eſt eſſentiam Divinam bis, terve ponere, & quia Deus adeo tenax eſt ſuæ unitatis, ut minime ferre poſſit præter ſe alium quempiam haberi pro vero Deo, ita ut excandeſcentiam minetur iis, qui ſuam unitatem negant (§. 647.); Patet hos tres ſimul unum illum verum Deum eſſe.**

Quod etiam hoc modo demonſtrari poteſt. Diſerte dicitur 1. *Joh.* V. 7. *Tres ſunt, qui teſtantur in cœlo, Pater, Sermo, & Spiritus Sanctus, & hi tres ſunt unum.* Quod idem eſt, ac ſi Johannes dixiſſet, **hi tres Pater, Filius atque Spiritus Sanctus ſunt unus ille verus Deus, qui eandem numero Divinam habent eſſentiam.**

Demonſtrationem priorem in gratiam eorum confecimus, qui ἀυθεντίαν loci Johannei alias claſſici in dubium vocant, ne habeant, cur dubitent. Etenim cum rationi, tum menti ſacri codicis propoſitio hæc ad amuſſim reſpondet, quemadmodum ex ipſa demonſtratione evidenter patet. Unde, ſive quis hunc locum admittat, ſive eundem ſpurium rejiceat, hoc nobis perinde eſt, quia hæc veritas, quam demonſtramus nimirum unitas numerica horum trium tam certo revelata eſt, ut facillime loco Johanneo

Origo Divina loci I. Joh. V. 7. *vindicatur.*

carere possimus. Ceterum αὐθεντία loci Johannei in dubium vocandi occasionem dedit, quod is in multis codicibus sequioris ætatis deesse deprehenderetur, cujus rei culpa in vetustiores Triados hostes jure conjicitur. Potest autem varie illius Divina origo, & quod in ipso Johannis αὐτογεάφῳ adfuerit, probari. Ipsi Patres Ecclesiæ vetustissimi & Ante-Nicæni passim illius mentionem faciunt; adeo ut ipse *Athanasius* Tom. I. opp. fol. 10. edit. Comelin. illum adversus Arium absque ulla contradictione in aciem produxerit, & *Hieronymus* in prologo epistolis canonicis præmisso Tom. I. opp. p. 1667. edit. Martianei, ab infidelibus (in latinum eloquium) translatoribus, qui Patris, Verbique ac Spiritus testimonium I. *Joh.* V. positum, omiserant, multum erratum esse a fidei veritate, scribat, negetque codicum vetustissimorum in h. l. veritatem. Hoc non scripsisset, nisi loci originem extra dubitationis aleam positam esse, credidisset. Quæ hac de re a Viris Doctissimis conscripta sunt, in libris criticorum facili negotio reperiuntur, quos exscribere non placet. Plurimi ad vetustatem, autoritatem atque copiam codicum, in quibus hoc effatum Johanneum deprehendatur, provocant. Sane illius Divinitas evidenter apparet (A) ex ipsa textus cohæsione: Nimirum Johannes commendat fidem in Christum tanquam criterium regenitorum *vers.* 1., amoris in Deum, in filios Dei, seu fideles, & observantiæ præceptorum Dei principium *vers.* 1---3., nec non causam victoriæ in mundum *vers.* 4. 5., si credimus illum Jesum esse Filium Dei. Hunc porro describit *versu 6. Hic ille est*, inquit, *qui venit per aquam & sanguinem* nempe *Jesus Christus: non per aquam solum, sed per aquam & sanguinem*, id est, qui non aliquam salutis partem, sed totam salutem acquisivit, qui non venit ad legem totam tantum obediendo observandum, sed & simul patiendo eidem satis-

tisfaciendum suo sanguine, cujus utriusque Symbolum erat aqua atque sanguis ex Christi, in cruce pendentis, latere aperto, profluens *Joh.* XIX. 34. Est autem externum signum totius salutis per Christum impetratæ & fidelibus applicandæ aqua baptismalis, & cibus potusque S. cœnæ sanguinolentæ passionis ejus. Facta ita mentione sacramentorum tanquam Symbolorum externorum, ne ad externa tantummodo negotium salutis redire credamus, aut saltem in iis hæreamus, addit: *& Spiritus est testificans, quod spiritus sit veritas.* Dum spiritus in sacro codice etiam conotat applicationem salutis per Christum impetratæ, & in sacris promissæ, quemadmodum evidens est ex II. *Corinth.* III. 6., ubi *spiritus*, in oppositione ad *literam legis*, *vivificare* dicitur: Actiones autem, qualis est testificatio, ordinarie sunt suppositorum: potest itaque hæc locutio ita reddi: Et *spiritus est testificans, quod applicatio salutis per Christum impetratæ, ac in sacris promissæ sit veritas*, seu Spiritus Sanctus nos certos reddit, quod nobis salus per Christum impetrata, & in sacris promissa applicata sit. Conferatur *Rom.* VIII. 16., ubi dicitur: *Et ipse spiritus testatur una cum spiritu nostro, nos esse filios Dei.* Ex quo loco simul ad quæstionem, utrum de Spiritu Sancto, an de spiritu nostro, id est, anima, sermo sit? responsio in promptu est. Etenim animam S. S. spiritum nostrum vocat in oppositione ad spiritum simpliciter dictum, per quem hoc loco, itemque *Joh.* I. 32. XV. 26. & alibi semper Spiritum Sanctum intelligit. Denique Spiritus Sanctus vocatur paracletus, quatenus a Patre & Filio missus, ut salutem totam nobis applicet (§. 796.). Jam *versu* 7. hujus asserti rationem reddit his verbis: *Nam tres sunt, qui testificantur in cœlo, Pater, Sermo & Spiritus Sanctus: & hi tres unum sunt.* Itaque

mirum non debet esse, quod Spiritus Sanctus id testetur, siquidem omnes tres in cœlo, Pater, Filius, Spiritusque Sanctus idem testantur. Sed ut eo magis huic veritati crederemus Apostolus *versu* 8., adducit *tres* alios *testes in terra*, *spiritum*, *aquam & sanguinem*, hoc est, testimonium illud internum in nobis, quod salus per Christum impetrata, atque in sacris promissa nobis applicata sit, & signa illa externa, veluti baptismus ac sacra cœna, οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσιν, *& hi tres ad unum sunt*, seu ad salutem hominis tendunt. Jam e contrario fingamus *versum* 7. spurium esse, nec a Johanne ipso profectum, (a), cadit ratio asserti *versu* 6. positi; (b) Hinc nec *versus* 8. cum 6. per particulam καὶ, utpote quæ non est particula probandi, satis cohæret; cum e contrario optime per eandem cum *versu* 7. connectatur. (c) Sine ratione, immo maxime inconvenienter *versu* 8. adjectum est ἐν τῇ γῇ *in terra*, nisi hoc se referret ad tres testes ἐν τῷ οὐρανῷ *in cœlo*. (d) *versus* 8. esset inanis repetitio *vers.* 6. scriptori sapienti, quin Deo, indignissima. Evidentissime igitur ipse contextus docet, versum septimum minime spurium; Ast ab ipso Johanne conscriptum esse. (B) Divinitas hujus loci etiam ex ipsa materia ejus, sive analogia fidei probari potest. Etenim Johannes probat hos tres, Patrem, Sermonem, seu, quod perinde est, Filium atque Spiritum Sanctum unum esse, id ad amussim respondet aliis sacrarum literarum disertis verbis, quæ hos ipsos tres, nimirum Patrem, Filium ac Spiritum S. affirmant esse verum Deum, quemadmodum ex locis (§. 647.) citatis evidens est, simulque ex iis dictis sacri codicis, quæ (§. 147. 148.) in medium adduximus, luculenter patet, non nisi unum esse verum Deum; Adeoque quod scriptura sacra alibi in pluribus simul sumtis locis asserit, id Johannes hic uni-

unico dicto comprobat; Consequenter colligimus ex his minime eundem spurium esse, sed ratum manet illum authenticum esse.

Divinitate hujus loci jam indicata, eundem tanquam locum classicum ad unitatem numericam horum trium, qui dicuntur verus Deus, confirmandam adducere licet. Dicit enim Johannes: Τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῷ οὐρανῷ, ὁ Πατὴρ, ὁ Λόγος, καὶ τὸ ἅγιον Πνεῦμα· καὶ οὗτοι οἱ τρεῖς ἕν εἰσι· *tres sunt, qui testificantur in cœlo, Pater, Sermo & Spiritus Sanctus: & hi ipsi tres unum sunt.* Dantur, qui perperam in eo solam unitatem consensus horum trium intellectam volunt. Non equidem negandum est, unitatem consensus in testimonio, de salute per Christum obtinenda, perhibito, in eodem dari. Omnes enim tres testari dicuntur. Quæstio autem huc redit: *An præter hanc unitatem consensus nihil ulterius in eo doceatur? An vero præter hanc unitatem consensus inprimis quoque unitas numerica essentiæ Divinæ horum trium testium probetur?* Prius omnino est negandum, posterius affirmandum. Etenim Patrem, Filium atque Spiritum Sanctum unum esse essentia, seu eandem numero essentiam habere evidenter ex scriptura demonstratum est hac propositione, nec ulla nos cogit ratio, cur effatum Johannis: Οὗτοι οἱ τρεῖς ἕν εἰσι, *ipsi hi tres unum sunt*, aliter intelligamus, ac a sensu proprio horum verborum recedamus, maxime cum absolute & sine restrictione dictum sit, quod ipsi hi tres sint unum. E contrario rationes adsunt, cur a sensu proprio recedere non licet, ac in tota sua latitudine accipi debet. Nam (1) nihil assumitur, nisi quod sacer codex etiam alibi affirmat. (2) Apostolus non ait οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσι, *hi tres ad unum sunt*, quemadmodum de tribus testibus in terra *versu* 8. loquitur; Sed inquit, *& explicatur.*

quit, ὅτοι οἱ τρεῖς ἕν εἰσι *ipsi hi tres unum sunt.* Ex ipso itaque dicendi genere Apostoli docemur, illum voluisse plura asserere, quam nudum aliquem consensum horum trium; Et per consequens illos totum sensum non eruere, qui priorem sententiam cum adversariis ineunt. (3) Non inquit, hi tres unum volunt, aut in eo consentiunt, quod dicere debuisset, stante adversariorum sententia; potius asseverat, hi ipsi tres unum sunt. (4) Si tres in cœlo testes tantum unum sunt consensu, necesse est, ut essentiis differant. Si differunt essentiis, & cuilibet tamen eorum Divinam essentiam tribuis, necessario tres Dii erunt statuendi contra rationem sanam atque revelationem (§. 149.). Si differunt essentiis, nec tamen cuilibet illorum Divina essentia tribuenda est ad S. S. Trinitatem evitandam, peccatur contra expressa revelationis verba (§. 647. 648.), nec non contra id, quod tota hac sectione ex sacris demonstravimus. Nihil ergo restat, nisi ut unitas essentiæ numerica horum trium admitti debeat in hoc loco. Denique (5), si inter Patrem, Sermonem, Spiritumque Sanctum tantummodo unitas consensus est; Adeoque illi essentia differunt: aut essentia cujuslibet, ab essentia reliquorum numero diversa, infinita est; aut unius essentia infinita est, reliquorum finita; aut duorum essentiæ infinitæ, tertii finita. Nullus præterea casus super est. Sed nullum horum admitti potest. Non quod sint tres essentiæ infinitæ, neque quod duæ infinitæ, tertia finita, quia non nisi unicum numero ens infinitum possibile (§. 511. 149.). Non, quod omnes tres habeant essentias finitas, & nullus eorum infinitam: Nam sic nec Pater, nec Filius, nec Spiritus verus Deus esset, quod absonum *per demonstrata hujus sectionis.* Non, quod unus illorum Ex. gr. Pater habeat tantum essentiam infinitam, reliqui finitam.

Sic

Sic enim Filius atque Spiritus Sanctus non essent verus Deus, quod contra diserta scripturæ verba (§. 647.), & hucusque ex sacris demonstrata. Non igitur non debet concedi, quod omnes tres eandem numero essentiam Divinam habeant, sive unum essentia sint; idque a Johanne his verbis diserte affirmatur. Conferri hic possunt, quæ *Buddæus* in instit. Theol. Dogmat. lib. II. cap. I. §. 46. p. 276. *seqq.* *Hammondus* in paraphrasi N. T. ad hunc locum, aliique Viri Doctissimi de hoc ipso loco erudite tradiderunt. Atat nolumus hunc locum obtrudere iis, qui eundem admittere non possunt, nobis sola veritas cordi est, nec litigabimus, cum demonstrationis vim non querimus in loco Johanneo, sed in veritate ratione ac revelatione cognita, modo quis hanc non neget, nobis perinde est, quod argumentum assumere placebit.

§. 800.

Cur in identitatem essentialem numericam Divinam inquirendum.

Licet identitas numerica in identitate Divina horum trium, qui verus dicuntur Deus, lateat, addere tamen (§. 799.) lubuit, ne quid obscuri in hac ardua materia de Trinitate remaneat, sed tota hæc doctrina ad distinctas, quantum fieri potest, notiones revocetur. In Ecclesia diu disputatum est, *an Pater, Filius atque Spiritus Sanctus eandem etiam specie habeant essentiam Divinam?* Id quidem omnes, qui Trinitatem non palam negaverunt, affirmaverunt. Atat! inter affirmantes ipsos ortum est dissidium, quibusdam asseverantibus omnes hos tres sola specie eandem habere essentiam; reliquis vero aientibus, & specie, & numero eadem gaudere essentia Divina. Ut adeo quæstio huc redeat: *An hi tres ejusdem tantummodo specie essentiæ Divinæ sint? An vero & specie & numero?* Quodsi priorem inis sententiam: nimirum hos tres sola specie ejusdem esse essentiæ, uti vr. gr. trian-

gulum rectangulum A, B, C, & triangulum rectangulum D, E, F, aut, si mavis Seth & Adam eandem specie habent essentiam, non numero, falsam esse, apertissimum est *per propositionem præcedentem.* Si vero posteriorem sententiam tueris: nimirum eos præter unitatem essentiæ numericam etiam eandem specie essentiam possidere, veritatem defendis. Etenim Pater, Filius, Spiritusque Sanctus eadem habent attributa propria, easdemque modorum possibilitates, quæ attributorum propriorum instar sunt (§. 652. 743. 786.). Quare cum entia hæc **ejusdem speciei** sint (*Ontol.* §. 270.); Hi tres itaque sunt ejusdem speciei. Si porro fingas, hos tres sola specie ejusdem esse essentiæ Divinæ, tres essent essentiæ Divinæ; Adeoque tres fingeres Deos. Quæ fictio cum absona sit (§. 149.); Absurdum quoque est statuere hos tres, qui verus Deus sunt, sola specie esse ejusdem essentiæ Divinæ. Nihil ergo restat quam, quod, & specie, & numero idem sint. Idem bene perspexit *Hebenstreit* in Syst. Theol. Tom. I. p. 569. Ostendens, Synodi Nicænæ patres Filium Dei Patri suo secundum atque propter eandem, & specie, & numero essentiam Divinam ὁμοούσιον vocasse. Legi hic non minus possunt, quæ dicit Cl. *Carpovius* Theol. Revel. Dogmat. part. I. cap. III. §. 811., aliique Viri Docti.

§. 801.

Pater & Filius essentiam suam Sp. S. largiti sunt,

Numerus I. Pater est verus ille Deus, cui essentia, quæ soli Deo competit, attribuitur (§. 652.). Filius itidem verus Deus est, qui eandem numero essentiam cum Patre habet (§. 752, 753.). Consimiliter Spiritus Sanctus verus ille Deus est, qui eandem numero essentiam cum Patre atque Filio habet (§. 798. 799.). Quamobrem cum **Spiritus Sanctus** a Patre & Filio per spirationem dependeat

deat (§. 675.); per ſpirationem a Patre ac Filio nactus eſt hanc ſuam eſſentiam, ſeu Pater & Filius Spiritui Sancto ſuam Divinam eſſentiam largiti ſunt.

& eam cum Sp. S. communicaverunt.

Numerus II. Si idem duobus, pluribusve competit, id dicimus illis commune eſſe. Ex. gr. res communes dicuntur, ad quas pluribus ſimul idem jus competit (*Jur. natur. part.* II. §. 4.). Unde illum actum, quo idem pluribus commune redditur, communicationem ſalutamus. Quamobrem cum Pater atque Filius eandem numero eſſentiam, qua ipſi pollent, Spiritui Sancto largiendo *per demonſt. Num.* I., eam ipſam ſibimetipſis, Spirituique Sancto reddiderint communem, ita ut Spiritus Sanctus eandem æque habeat, ac Pater & Filius, recte inferimus in ſacro codice doceri, Patrem, Filiumque eſſentiam ſuam Divinam cum Spiritu Sancto communicaſſe.

Hanc propoſitionem adornavimus, ut per has notiones diſtinctas nobis conceptum de iis, quæ ſcriptura de S. S. Trinitate nos docet, formare detur. Etenim ex his patebit, in quo hi tres, qui verus ille Deus ſunt, conveniant, in quo differant. Simulque his veritatibus ad diſtinctas notiones relatis plura ſacrarum literarum loca, alias difficulter, nec non ſine metu aberrandi a veritate Divinitus revelata, explicanda, facili negotio & ſine erroris periculo explicari queunt, quemadmodum experientur, qui Theologiam exegeticam in ſyſtema redigere tentabunt.

§. 802.

Quo ſenſu Spiritus Sanctus ſit αὐτόθεος.

Scriptura affirmat Spiritum Sanctum revera verum eſſe Deum (§. 786.), qui eſt ens a ſe (§. 781. *Num.* II.), hoc eſt,

est, illum gaudere essentia, quæ a se est. Idem autem Spiritus Patris & Filii ejus Jesus Christi dicitur, quatenus dependenter ab utroque essentiam Divinam, seu, quæ a se est, habet (§. 758.), & Pater una cum Filio suam essentiam Divinam largiti sunt atque communicaverunt cum Spiritu Sancto (§. 801.); immo essentia horum trium eadem est (§. 798.), & quidem identitate numerica (§. 799.); Consequenter Spiritus Sanctus eandem numero essentiam, quæ a se est, a Patre atque Filio & non a se habet, seu is quoad modum habendi hanc essentiam a Patre ac Filio, non autem a se est. Verum enim vero ens illud, quod a semetipso Deus est, αὐτόθεος vocatur (§. 655.); Ex scriptura itaque scimus Spiritum Sanctum αὐτόθεον esse, quatenus essentiam eandem numero cum Patre & Filio habet, quæ a se est, non vero eundem αὐτόθεον esse quoad modum habendi hanc Divinam essentiam, quippe quam a Patre atque Filio communicatam habet, non autem a se.

Ex dictis jam jam cernere licet, in quo conveniant, in quo vero differant hi tres, qui in sacris verum Deum esse laudantur, & de quibus capite sequente ex instituto agendum erit. Solummodo hic hæc monemus, ut in antecessum scire possimus, quem conceptum nobis debeamus formare de hac ardua doctrina, & ubi ingenii acies acuenda, ut nil dicatur, nisi quod revelatio nos docet, quia hæc doctrina ab ea sola pendet, & rationi prorsus inpervia est, simulque ut ab errorum præcipitiis immunes secure incedere valeamus. Unde hujus propositionis insignis usus per se evidens est.

§. 803.

§. 803.

Spiritus Sanctus quoad essentiam Divinam αὐτόθε☞ est (§. 802.), & quoad eandem independens est (§. 781. *Num.* V.). Adeoque hoc modo generari nequit, seu ἀγέννε☞ *ingenitus* est, quia generatio est actus, quo ens aliud a se eandem specie essentiam habens ad existentiam perducitur (§. 654.). Licet autem hic quoad modum habendi hanc essentiam a Patre atque Filio dependeat (§. 801.), eam tamen non per generationem, (§. 654.), seu quemadmodum Filius eam nactus est, nec a solo Patre acquisivit, sed per processionem (§. 674.) & spirationem a Patre atque Filio simul (§. 675.); Consequenter Spiritus Sanctus, non genitus est, sed ingenitus quoad essentiam quia ea a se est, nec quoad modum habendi eam genitus est, quia a Patre & Filio simul dependet per spirationem, nec ingenitus, quia eam non habet a se, sed a Patre, simulque Filio.

Quo sensu Sp. S. sit nec genitus, nec ingenitus.

Hanc adjecimus propositionem, ut intelligi possit, quomodo capienda sit locutio patrum ecclesiæ vetustissimorum, veluti *Hilarii* lib. 4. de Trinitate, *Augustini* l. XV. cap. XXVI. de Trinit. Non enim genitus est, si genitum significat id, quod per generationem est ab alio; nec ingenitus est, si ingenitum salutamus id, quod nullo modo ab alio est. Est enim per processionem a Patre & Filio. Optandum esset nullum negative describere rem, quando quæritur, quid ea sit, quoniam ex negatione, nisi res præter hanc omnes enumerare velis, quod sua prolexitate potius confundit & obscurat, quam definit, ejus notio distincta formari nequit. Taceo ex descriptione negativa oriri quæstiones, disputationesque inanes, quæ

nullatenus ædificant, sed confundunt, erroribusque ansam dant.

§. 804.

Quo sensu Sp. S. mitti dicatur.

Christus de missione Sp. S. ita loquitur *Joh.* XIV. 26. Ὁ δὲ παράκλητος, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ὃν πέμψει ὁ πατὴρ ἐν τῷ ὀνόματί μου, ἐκεῖνος ὑμᾶς διδάξει πάντα, καὶ ὑπομνήσει ὑμᾶς πάντα, ἃ εἶπον ὑμῖν. *Advocatus ille, Spiritus Sanctus, quem mittit Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæ dixi vobis.* Ex verbis his itaque evidens est Spiritum Sanctum a Patre, Filioque mitti, id quod Dei Filius diserte affirmat cap. XV. 26., *quum autem advenerit:* inquiens, *advocatus ille, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritus ille veritatis &c.* Verum enim vero Spiritus Sanctus a Patre & Filio mittitur, ut nos doceat omnia, suggeratque omnia, quæ nobis dixit, hoc est, omnia ea, quæ nobis creditu atque factu ad salutem necessaria sunt; seu Pater & Filius Spiritum Sanctum mittunt, ut nobis consensum suum de tota nostra salute significet. Quare cum is mitti dicatur, per quem alteri consensum nostrum significamus; Spiritus Sanctus a Patre & Filio mittitur, ut nobis eorum consensum de tota salute nostra significet.

§. 805.

Error eorum, qui processionem Sp. S. pro ejus missione habent, refellitur.

Numerus I. Procedit Sp. S. a Patre atque Filio, quatenus is Divinam suam essentiam a Patre, Filioque habet (§. 674.); Adeoque processio spectat modum habendi essentiam Divinam Sp. S. (§. 675.). Mittitur Spiritus Sanctus a Patre ac Filio, quatenus ille horum consensum de tota salute nostra nobis significat (§. 804.); Quamobrem cum absonum sit statuere modum habendi essentiam Divinam Sp. S., in significatione consensus Patris atque Filii de

de noſtra ſalute conſiſtere, ſeu hunc ſpiritum nanciſci eſſentiam veri Dei per factam aut faciendam nobis ſignificationem conſenſus reliquorum, qui ſimul cum eo Deus verus ſunt, de noſtra ſalute; Hinc facile colligitur, abſurdum quoque eſſe eorum errorem, qui proceſſionem Sp. S. pro ejus miſſione venditant.

Numerus II. Nec abſonum eſt affirmare juxta revelationem Spiritum Sanctum ſemet ipſum mittere. Etenim Sp. S. verus Deus eſt, qui cum Patre atque Filio eadem numero gaudet eſſentia Divina (§. 799.); Conſequenter conſenſus Sp. S. de noſtra ſalute idem eſſe debet cum eo Patris ac Filii: Quare cum Sp. S. a Patre, Filioque mittatur, quatenus nobis eorum conſenſum de tota noſtra ſalute ſignificat (§. 804.); Evidens eſt recte affirmari Sp. S. ſemetipſum mittere. Nec obſtat, quod nullus dici queat ſemetipſum mittere, quoniam Sp. S. hic conſideratur tanquam a ſe diverſus, cujus eſſentia Divina eundem conſenſum habet cum Patre & Filio; ſignificatio vero hujus conſenſus nobis facta vel facienda eſt actus ad extra, qui prorſus ab eſſentia Divina Sp. S. diverſus eſt. Cum jam inter ſe diverſi vulgo dicantur unus alterum mittere; mirum non eſt idem de Sp. S. ſtatuere, inprimis cum in homine quoque accidat, quod is tanquam a ſemetipſo diverſus, ſeu tanquam duo conſiderari debeat, cur hoc de Sp. S. in hoc caſu negare quis velit, non video.

Quo ſenſu Sp. S. ſeipſum mittere dicatur.

§. 806.

Salvator noſter ait *Joh.* XVI. 13. *Quum autem venerit ſpiritus ille veritatis, dux viæ vobis erit in omnem veritatem, non enim loquetur a ſemetipſo, ſed quæcunque audierit, loquetur.* Diſerte hic negat Dei Filius Sp. S. a ſemetipſo loqui, ſed ea tantum, quæ audierit, loqui. Spiritus

Quo ſenſu Sp. S. non loquatur a ſemetipſo.

tus Sanctus, teste verbo revelato, quoad essentiam suam αὐτόθεος est, seu a se ipso (§. 802.); Adeoque si Christus negat eundem nihil a semetipso loqui, hoc de essentia Spiritus Sancti neutiquam intelligi potest. Etenim loqui actus quidam ad extra est ad essentiam Divinam minime pertinens. Quoad modum autem habendi essentiam, quæ a se est, Sp. S. non est αὐτόθεος (§. 802.), sed a Patre & Filio dependet (§. 758.). Quamobrem cum qualis sit modus subsistendi, talis etiam sit modus operandi, veluti loqui; Christus recte affirmat Spiritum Sanctum nihil a semetipso loqui, quatenus is quoad modum habendi essentiam suam non a se, sed a Patre atque Filio est.

Colophonis loco hanc subjecimus propositionem, ut inde pateat quomodo sensus verborum sacri codicis indagari debeat, ne quid dicatur, quod reliquis in eo contentis veritatibus contrariatur, de quo prolixius agendum erit in hermeneutica. Hac regula hermeneutica (§. 1.) probe observata pervenimus ad notiones distinctas omnium veritatum in sacris contentarum absque ullo erroris periculo, immo hoc modo valemus omnes refutare errores, locaque alias difficilia explicare, & ubi illi, qui hac nostra via non incedunt, hallucinantur, nos veritates distinctas, certas & immotas proponere valemus, quemadmodum jam evidenter patent principia, ex quibus juxta revelationem docemur, in quo tres illi, qui verus vocantur Deus, conveneniant, in quibus differant, nec non ordo eorum inter se, de quibus jam capite sequente ex instituto agendum erit.

CA-

CAPUT V.

De S. S. Trinitate in Specie.

§. 807.

Numerus I. Revelatio nos docet Deum Patrem vocari Patrem, quia Filium ſuum genuit (§. 653.), & Filium propterea nuncupari Filium, quoniam a Patre genitus eſt (§. 693.), nunquam autem docemur Dei Filium aut Spiritum Sanctum alium quempiam proprie generaſſe; Conſequenter generatio ſoli Patri tribui poteſt & debet, nec ea Filio aut Sp. S. competit, & licet Filius æque ac Pater ſpirent Sp. S. (§. 675.), interim tamen evidens eſt Patrem per ſpirationem iterum habere prædicata, quæ in Spiritum Sanctum non cadunt. Unde patet talia Patri ineſſe prædicata, quæ Filio, Spirituique Sancto non inſunt. Quamobrem cum diverſa ſint, quæ ſibi invicem ſubſtitui nequeunt ſalvo omni prædicato, quod uni eorum vel abſolute, vel ſub data conditione tribuitur (*Ontol.* §. 183.); Revelatione teſte Deus Pater a Filio & Spiritu Sancto diverſus eſt cum generando Filium, tum ſpirando Sp. S. *Pater a Filio & Sp. S.*

Numerus II. Quia Dei Filius, teſte ſcriptura, a Patre genitus eſt (§. 693.), nec hic iterum alium generat; Hinc is a Patre diverſus eſt (*Ontol.* §. 183.). Porro Spiritus Sanctus procedit a Filio (§. 674.), nec *Filius a Patre & Sp. S.*,

alius quispiam a Sp. S. procedit; Adeoque & Dei Filius a Spiritu Sancto differt (*Ontol.* §. 183.).

& Sp. S. a Patre differt.

Numerus III. Pater a Spiritu Sancto diversus est *per demonstrata Num* I. Filius ab eodem diversus est *per demon. Num.* II.; Consequenter etiam Spiritus Sanctus diversus sit a Patre atque Filio, necesse est.

Vel etiam sic. Pater genuit Filium (§. 653.) & spiravit Sp. S. (§. 675.), Filius spiravit Sp. S. (§. *citato.*); Spiritus Sanctus autem nec generavit, nec spiravit alium quempiam; Consequenter scriptura magistra Spiritus Sanctus cum ob generationem, tum ob spirationem a Filio diversus est (*Ontol.* §. 183.).

Ex hac propositione evicte docemur differentiam horum trium, qui in sacris dicuntur verus Deus, esse realem, quia Pater Filium generavit & Sp. S. spiravit, Filius autem a Patre est genitus & spiravit Spiritum Sanctum, hic denique ab utroque procedit; & hinc merito in sacro codice ἄλλος & ἄλλος *alius & alius* vocantur *Joh.* V. 32. 37. XIV. 16. 17. Ad demonstrandam hanc differentiam quilibet horum trium in baptismate Christi sese sub peculiari schemate cognoscendum præbuit, veluti Pater voce e cœlis, Filius humana sua natura in baptismate & Spiritus Sanctus descendens ex cœlo quasi columba *Matth.* III. 16. 17. Hos tres Johannes nominatim vocat tanquam inter se diversos I. *Joh.* V. 7. *Tres sunt, qui testificantur in cœlo, Pater, Sermo & Spiritus Sanctus.* Sic in formula baptismali a Christo instituta *Matth.* XXVIII. 19., is omnes tres tanquam distinctos vere & realiter exhibet, baptizare jubens εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς, & τοῦ Υἱοῦ & τοῦ ἁγίου Πνεύματος *in nomen Patris, & Filii & Spiritus San-*

Sancti: Ubi fruſtra a ſapientiſſimo Divinorum arcanorum interprete tria diverſa nomina, quorum quilibet peculiarem ſignificatum poſſidet, fuiſſent adhibita, fruſtra quoque articulus διχλικὸς τοῦ ter eſſet adhibitus, fruſtra denique bis repetita eſſet particula καὶ copulativa, niſi horum trium diſtinctio realis eſſet.

§. 808.

Realis differentia horum trium ab objectionibus liberatur.

Sunt, qui realem differentiam horum trium negare allaborant. Ut falſitatem ſuæ ſententiæ fuco occultent, allegant verba Jehovæ per *Jeſaiam* cap. XLV. 5. 6., quæ hæc ſunt: *Ego Jehova & nullus præterea, præter me nullus Deus: accingo te, quamvis ignores me, ut cognoſcant* (gentes) *ab ortu ſolis & ab occaſu ejus, nullum eſſe præter me, me Jehovam* (eſſe), *& nullum præterea.* Confer. *Deutr.* XXXII. 39. Diſerte hic Deus probat ſuam unitatem numericam. Etenim nomen ſoli Deo proprium & eſſentiale Jehova hic ſumitur οὐσιωδῶς *eſſentialiter* (§. 687.), id quoque ex his ipſis Dei verbis patet; quoniam is ipſe, qui dicitur Jehova in eodem tenore Deus vocatur. Deus itaque unitatem ſuam probans, eam ad eſſentiam ſuam Divinam pertinere affirmat. Quod autem Deus eſſentia ſua unus ſit ex aliis ſcripturæ locis (§. 647.) demonſtravimus. Jam adverſarii realem horum trium differentiam negantes ita argumentantur: *Quicunque eſt alius a Patre, ille non eſt Deus, & hinc quicunque eſt Deus, ille non eſt alius a Patre. Sed Filius & Spiritus Sanctus ſunt Deus. E. non ſunt alii a Patre*, hoc eſt, non datur realis horum trium differentia. Quis quæſo non videt in majore latere anguem in herba. Etenim vocabulum Jehova & Deus in ſacris vel ſumitur οὐσιωδῶς *eſſentialiter*, vel ὑποσταλικῶς *perſonaliter* (§. 692.). Si eſſentialiter accipitur Jehova & Deus, quemadmodum l. c. fit, conce-

ditur totum argumentum, quia Pater, Filius (§. 753.) & Sp. S. eandem numero habent Divinam essentiam (§. 799.), & sic unus ille solus verus Deus sunt (§. 648.). Alia vero est quæstio, si vocabulum Jehova & Deus sumitur personaliter, quemadmodum hac propositione (§. 807.) accipi debet de reali differentia horum trium ajentes, ubi nequaquam sermo instituitur de essentia Divina, sed de modo habendi hanc essentiam, quæ, quemadmodum demonstravimus realiter differt; Adeoque & quivis horum trium a reliquis revera diversus est; ut adeo recte negemus, quod omnis ille, qui alius est a Patre quoad modum habendi Divinam essentiam, non sit verus Deus, quia Filius, Spiritusque Sanctus aliter hanc essentiam habent, quam Pater; attamen verus Deus sunt, & hinc Filius & Sp. S. alii sunt a Patre, ita tamen ut sint unus ille verus Deus. Nec adversarios juvat adhuc allegare verba Christi *Joh.* X. 30. *Ego & Pater unum sumus.* Etenim cum ex contextu, tum ex analogia fidei apparet Jesum hic loqui de essentia Divina, non vero de modo habendi eam, Patet itaque adversarios astute confundere, quæ realiter differunt, & probe distinguenda sunt; nos vero ea rite distinguere, & sic facillime eorum errorem detegere & refellere posse.

Alii hoc argumento realem horum trium differentiam debellare conantur, nimirum: *In Deo nihil est nisi essentia & relatio, sed neutrum generat & generatur. E. in Deo nihil est, quod generat & generatur. E. non sunt plures in Deo personæ.* Doctrina de S. S. Trinitate veritas pura est, quam ratio ignorat, & revelatio sola debet docere; Adeoque hæ veritates, cum sint supra rationem, non ex pincipiis rationis, sed ex iis sacri codicis demonstrandæ veniunt (§. 649.). Verum enim vero scriptura diserte docet Patrem generare Fi-

Filium ſuum (§. 653.) & ſpirare Sp. S. (§. 675.), Filium a Patre genitum eſſe (§. 693.), eumque ſpirare Sp. S. (§. 675.), & Spiritum Sanctum a Patre Filioque procedere (§. 674.); Ex principiis itaque revelationis docemur, falſum eſſe, nihil in Deo dari, niſi eſſentiam & relationem, ſed præterea in Patre eſſe actum, quo Filium (§. 654.) & Sp. S. ad exiſtentiam perduxit (§. 675.), Filium a Patre ad exiſtentiam perductum eſſe (§. 694.), & in eodem eſſe actum perducendi Sp. S. ad exiſtentiam (§. 675.), Spiritumque Sanctum ab utroque procedere (§. 674.). Unde recte colligimus hoc adverſariorum argumentum nullum eſſe, quia rationis ſuæ modulo metiri volunt, quæ ſunt ſupra eam; noſtram vero ſententiam immotam manere, quippe quam ex revelatione docemur.

Adhuc bene notandum eſt, quod realis hæc Patris, Filii, Spiritusque Sancti differentia non ſit ita intelligenda, quod eſſentia Divina ſit aut ex his tribus compoſita, aut inter eos diviſa; ſed ita, quod omnes illi tres eſſentiam Divinam eandem numero poſſideant, licet ſub diverſis relationibus & reſpectibus ex modo habendi hanc eſſentiam fluentibus. Caute in hac doctrina incedendum eſt, quia nobis ultra ſcripturam ſapere nec datur, nec licet, hoc eſt, nihil affirmandum eſt, quod revelatio non docet, ita tamen, ut omne id, quod ea docet, ſollicite ſcrutemur, & ad notiones diſtinctas referamus. *monitum.*

§. 809.

Moſes hominis creationem deſcribens Deum ita loquentem inducit *Gen.* I. 26. ויאמר אלהים נעשה אדם בצלמנו כדמותנו. *Et dixit Deus, faciamus hominem ad imaginem noſtram, ſecundum ſimilitudinem noſtram.* Ex his verbis luculenter patet Deum de ſe ipſo loqui in numero plurali tanquam de pluribus. Quatuor ſunt potiſſimum hac de re *Cur Deo tributur pluralitas* Gen. I. 26.

re sententiæ interpretum sacri codicis, quas, ut vera a falsis rite discerni possit, in medium afferre non pigebit. Vera & certa hæc est. Pater verus Deus est, cui opera Divina, quæ soli Deo competunt, in sacris tribuuntur (§. 652.); Adeoque qui creavit hominem (§. 445. & 453.), Filio non minus tribuitur in scriptura creatio mundi (§. 720.), nec non Spiritui Sancto (§. 768.). Quare cum per mundum intelligere debeamus omnia, quæ præter Deum sunt, & ab eo creata (§. 45); per se patet & Patri, & Filio, & Sp. S. in sacris tribui creationem hominis. Verum enim vero Pater, Filius, Spiritusque Sanctus, revelatione teste, realiter differunt (§. 807.); Adeoque Moses hominis creationem describens Deum in plurali numero loquentem inducit, quia hi tres, qui verus Deus sunt, & realiter inter se differunt simul hominem creaverunt.

Sententia altera hujus loci est Hebræorum quorundam quam nonnulli ita dicti Christiani adoptarunt. Nimirum hi Deum volunt hic πληθυντικῶς loqui, more Regum, qui non ex propria tantum, sed ex consiliariorum etiam sententia, verba facientes, plurali utuntur numero. Falsitas hujus sententiæ evidens est. Nam vel præter Deum alius quispiam, qui verus Deus non est, adfuisse statuendum est, cum quo Deus consilium hoc iniit, quod falsum, teste Apostolo *ad Rom.* XI. 34., diserte *negans, ullum Deo a consilio fuisse:* aut affirmandum est, Deum in plurali loqui, ubi tamen non nisi solus est; & sic hominem decipere, quod iterum absurdum: aut eum consilium ineisse cum aliis, qui secum simul verus Deus sunt, hoc est, Filio & Spiritu Sancto quemadmodum probi & sapientes Reges consilium ineunt cum sapientibus suis consilia-

ſiliariis & tunc noſtra prodit ſententia. Tertia ſententia eſt eorum, qui negant opus eſſe ad Regum morem confugere, quandoquidem, ut in Græca & aliis linguis, ita & in Hebraica interdum plurali numero de ſe loquentes ſinguli utuntur homines. Hi aſſerere debent, vel ſine ratione homines ita loqui, quod in Deum ſapientiſſimum cadere nequit, vel cum ratione id fieri, quæ itaque indicanda eſt, & alia allegari nequit, quam ea, quam nos ratam habemus. Ultima ſententia cum recentiorum Rabbinorum, tum ex vetuſtioribus Hebræis, qui volunt hic Deum alloqui angelos, aut alias res præter Deum exiſtentes, a Propheta refellitur *Jeſ.* XL. 13. 14., qui inquit: *Quis a conſiliis Jehovæ, docuit eum, cum quo communicavit conſilium, ut inſtrueret ſe &c.*

Verba *Geneſ.* III. 22. hæc ſunt ויאמר יהוה אלהים הן האדם Gen. III. 22.
היה כאחד ממנו לדעת טוב ורע: *Et dixit Jehova Deus, ecce homo eſt ſicut unus ex nobis, cognoſcendo bonum & malum.* Ex contextu apparet Deum colloqui cum homine recenter lapſo, eumque ſibi eo aſſimilari, quod cognoſcat bonum ac malum. Ipſe Deus ſumme bonus eſt, cum in ſeipſo, tum etiam erga alios (§. 416.), & ſecundum ipſum Dei judicium mundus, hoc eſt, omnes res præter Deum exiſtentes, erat & in ſe, & in relatione ad ipſum Deum omnium poſſibilium optimus (§. 249.); Adeoque in ipſa creatione & Deus, & quodcunque præter Deum erat, ſeu omne exiſtens bonum erat; Conſequenter nihil mali (*Pſychol. empir.* §. 565. 555.); Unde facile colligimus hominem recentem creatum nullam mali habuiſſe notionem, quippe quod tunc temporis non exſtitit. Ipſe vero lapſus malum erat, quia per lapſum homo ſtatum ſuum imperfectiorem reddidit (*Pſychol. empir.* §. 565.); Ut adeo homo labendo malum in mundum introduxerit;

Con-

Consequenter mali, cujus ante lapsum nullam habuit cognitionem, per lapsum cognitionem acquisivit. Verum enim vero Deus est omniscius (§. 229), qui omnia possibilia cognoscit, mali habuit cognitionem. Quamobrem cum Filius (§. 743.), Spiritusque Sanctus (§. 786.) æque ac Pater verus Deus sit (§. 652.); Pater, Filius atque Sp. S. habuere cognitionem boni ac mali. Hi tres realiter inter se differunt (§. 807.); Consequenter per lapsum homo factus est sicut unus ex his tribus, cognoscendo bonum & malum, quatenus ante lapsum mali notionem non habuit, sed per lapsum eam acquisivit.

Ex dictis luculenter patet illos pro veritate ipsa militare, qui in numero plurali verborum *unus nostrum*, tres has Divinas hypostases significari volunt; a vero autem aberrare, qui contendere conantur Deum alloqui angelos, quippe qui spiritus finiti sunt, nec ante ipsum lapsum; seu introitum mali in mundum mali notionem habuerunt, sicque absonum est velle Deum hic loqui de angelis sine ulla ratione, immo contra omnem rationem; cum e contrario pro nobis militet ratio sufficiens, cur asserere liceat Deum alloqui Filium, Spiritumque Sanctum. Taceo sententiam eorum meram sapere absurditatem, qui audacter affirmant huic locutioni inesse σαρκασμὸν, quia attributis Divinis, seu ipsi notioni Dei contrariatur, eum illudere hominem. E contrario ipse Deus his verbis nos docet hominem ei similem factum esse, quod, qui ante lapsum nullam mali habuit notionem, eam per lapsum acquisiverit.

Ex his porro evidens est, quod quoties Deus in plu-

plurali numero de seipso loquatur, toties confirmari realem differentiam horum trium, qui verus Deus sunt.

§. 810.

Exitium Sodomi & Gomoræ his describitur verbis *Gen.* XIX. 24. ויהוה המטיר על־סדם ועל־עמרה גפרית ואש מאת יהוה *Jehova demisit super Sodomum & super Gomoram pluviam sulphuris & ignis a Jehova.* Jehova est nomen Dei proprium & essentiale (§. 684.); Loquitur itaque hic de solo vero Deo. Verum enim vero hic unus Jehova, qui sulphurem, ignemque demisit ab alio Jehova, qui demitti jussit, distinguitur. Quare cum Filius (§. 751.), Spiritusque Sanctus (§. 797.), simul ac Pater dicantur Jehova (§. 686.); Necesse est hac distinctione Jehovæ a Jehova indicari realem differentiam, quæ est inter eos, qui simul verus Deus sunt. *Confirmatur realis differentia quoties Deus a Deo distinguitur.*

§. 811.

Sunt, qui realem differentiam horum trium, qui verus Deus sunt, probare volunt ex nomine Divino אלהים. Vox אלהים non terminatione solum, sed significatione etiam, utpote singulari אלה non destituta, pluralis est, præcipue quando vel adjectivis pluralis numeri, veluti I. *Samuelis.* XVII. 26. אלהים חיים *Dii viventes*, cum tamen de Deo Israëlis, hoc est solo vero Deo sermo sit, confer. vers. 36., vel verbis pluralis numeri jungitur, veluti II. *Samuelis.* VII. 23. הלכו־אלהים *iverunt Dii*, pro *ivit Deus* populi sui, nimirum Israëlis. Unde colligunt, plures in uno illo Deo esse hypostases, & ad minimum tres, quia vox in singulari usitata, non in duali, sed in plurali numero, qui Hebræis ad minimum tres inuit, soli *Quæ hic notanda.*

vero Deo tribuitur. Ita Trinitatem censent probari per indirectum, quando Deus *Jes.* VI. 3. & *Apocal.* IV. 8. *ter Sanctus* proclamatur, vel in benedictione, ubi ter Jehovæ fit mentio *Num.* VI. 24--26. item *Ps.* LXVII. 7. 8. Negare non possumus, nobis videri hæc argumenta Philosophis placere non posse. Etenim ex iis non patet ratio, cur solus ille verus Deus ex tribus consistere debeat hypostasibus, multo minus, cur hi tres realiter differre debeant. E contrario autumamus reali horum trium differentia demonstrata, quemadmodum juxta revelationem (§. 807.) fecimus, colligi posse vocem אלהים propterea in numero plurali soli vero Deo tribui, quia hi tres realiter differunt, & hinc ter sanctum vocari, quia quivis horum revera sanctus est, sic nomen Jehova in benedictione ter reperiri, quia quivis horum trium hoc nomine in sacris venit. Adeoque ipse Philosophus certus est hos tres realiter defferre, dum vidit hanc realem differentiam ex sacris literis (§. *citato*) demonstratam. Taceo reliqua argumenta, quibus vulgo quidam Theologi utuntur, si nostram demonstrationem non præmittis, pluribus exceptionibus subjecta esse. Subjecimus autem ea, ut quivis cernere possit, quæ vis probandi iis insit, quæ non, & qualis argumentatio sit, quæ demonstrationem sapit.

§. 812.

Hi tres, qui sunt verus Deus, quo sensu sint idem.

Christo doctore, Pater est verus ille Deus, cui essentia, attributa atque opera Divina, quæ soli vero Deo competunt, tribuuntur (§. 652.), & scriptura magistra docemur cum Dei Filium possidere omnes determinationes essentiales, per quas ipse Deus concipitur, seu ei competere veram Dei veri essentiam (§. 743.) nec non omnia attributa & opera Divina (§. 745.), tum quoque Sp. S. possidere essentiam Divinam, ut & omnia attributa (§. 786.)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823346366/phys_0234
DFG

(§. 786.) & opera soli Deo propria (§. 787.); Ad mentem sacrarum literarum itaque essentia, attributa ac opera, seu omnia hæc prædicata Dei Patris substitui possunt essentiæ, attributis, nec non operibus, seu prædicatis Filii, & horum duorum prædicata iterum iis Spiritus Sancti. Quare cum Eadem salutenus, quæ sibi invicem substitui possunt salvo quocunque prædicato, quod uni eorum vel absolute, vel sub data conditione convenit (*Ontol.* §. 181.); **Pater, Filius atque Sp. S. quoad essentiam, attributa atque opera idem sunt.**

Identitas hæc exemplo quodam facillime illustrari potest. Si enim ponamus pondus B cum pondere E in æquilibrio constitui. Quodsi pondus A substituas pro pondere B, nec æquilibrium cum pondere E tollatur; Erit pondus A cum pondere B idem. Vel si ponamus, mortuo *Cajo* Doctori & Theologo Celebri succedere *Titium*, atque hunc publico munere docendi Theologiam ita defungi, ac si *Cajus* adhuc eodem fungeretur; Erit *Titius* idem celebris Doctor Theologiæ, qui fuerat *Cajus*, nempe ratione publici docendi Theologiam muneris *Cajus* & *Titius* idem censentur. Sic Deus Pater, Filius, Spiritusque Sanctus idem sunt quoad essentiam, attributa, nec non opera Divina.

§. 813.

Deus Pater, Filius & Sp. S. sunt idem numero Deus, seu unus Deus.

Non solum Deus passim in sacris dicitur unus, sed & is ferre nequit, ut præter se adhuc alius habeatur pro Deo (§. 647.), & ratio quoque docet, non nisi unum Deum possiblem esse. Verum enim vero Pater dicitur Deus, Filius non minus, uti & Sp. S. vocantur Deus (§. 648.), quia Filius (§. 753.), Spiritusque Sanctus eandem numero essentiam Divinam cum Patre, quæ bis, pluriesve poni ne-

quit, habent (§. 799.), quoniam attributa essentiam entis constituunt (*Ontol.* §. 143.); Attributa essentialia Divina bis, pluriesve poni nequeunt; Consequenter attributa essentialia Patris, Filii & Sp. S. eadem numero sunt (*Ontol.* §. 182.). Denique opera Divina, qualia sunt creatio & conservatio eadem sunt, quia non nisi unus idemque mundus est, qui a Patre, quam qui a Filio & Sp. S. creatus est, & conservatur. Quare cum numero idem sit, quod de se ipso affirmari potest in singulari, seu quod bis existere repugnat (*Ontol.* §. 182.); Pater, Filius, Spiritusque Sanctus idem sunt numero Deus, seu unus Deus, quia eandem numero essentiam, attributa essentialia atque opera Divina, quæ bis existere repugnat, possident.

Illustrationis gratia subjicere lubet exemplum. Ponamus homini alicui esse nomen *Johannis Petri.* Evidens est, in hoc casu *Petrum* posse prædicari de *Johanne* & *Johannem* de *Petro*, nec *Johannes* & *Petrus* bis existere possunt; sed non nisi semel existunt: *Johannes* adeo cum *Petro* idem est numero. Sic unus ille verus Deus vocatur Pater, Filius & Spiritus Sanctus, qui eandem numero habet essentiam, attributa & opera Divina. Evidens est, in hoc casu essentiam, attributa & opera Patris posse prædicari de Filio & Sp. S., & Filii de Patre & Spiritu Sancto, nec non Sp. S. de Patre & Filio, nec hæc essentia, aut attributa & opera Patris, Filii, Spiritusque Sancti bis existere possunt; sed non nisi semel existunt: Patris adeo essentia, attributa & opera cum iis Filii ac Sp. S. eadem numero, seu Pater, Filius, Sanctusque Spiritus idem numero, seu unus verus Deus est. Probe notandum, quod in exemplo hoc de homine nominato *Johannes Petrus*

trus est nomen *Johannis Petri*, id ad Trinitatem applicatum esse essentiam, attributa atque opera Divina horum trium, quod ideo notamus, ne quis falsè applicet hoc exemplum, & quid contra nos inveniſſe censeatur, quod pueri in faba, nec realis differentia hoc exemplo tollitur, quæ (§. 807.) demonstrata est, utpote quæ modum habendi hanc Divinam essentiam respicit.

§. 814.

Quoniam Pater, Filius, nec non Sp. S. quoad essentiam, attributa atque opera idem sunt (§. 812.), & quæ eadem sunt, sibi mutuo possunt substitui salvo omni prædicato, ita ut facta substitutione perinde sit, ac si substitutio facta non fuisset (*Ontol.* §. 181.); Æqualia vero sibi tantummodo substitui possunt salva quantitate, ita ut facta substitutione perinde sit respectu quantitatis, ac si substitutio facta non fuisset: Quia æqualia sunt, quæ salva quantitate substitui sibi mutuo possunt (*Ontol.* §. 349.); Patris, Filii & Sp. S. essentia, attributa atque opera æqualia sunt, quatenus eandem habent quantitatem, seu Pater, Filius, Spiritusque Sanctus æquales sunt, quia habent essentiam, attributa ac opera ejusdem quantitatis. *In quonam hi tres æquales sunt.*

Filium Dei Patri æqualem esse docet *Johannes* V. 18. recensens colloquium Christi cum Judæis super hominem Sabbatho sanatum, ubi *Judæi*, inquit, *studebant Christum interimere, quia non solum solviſſet Sabbathum, sed & Deum dixiſſet Patrem suum*, ἴσον ἑαυτὸν ποιῶν Θεῷ, *æqualem se faciens Deo.* Quod vero Judæi bene intulerint Jesum Deum dicendo Patrem suum, seſe Deo æqualem facere Gentium Apostolus *ad Philipp.* II. 6. confirmat

his verbis: *Christus Jesus*, seu Dei Filius, *qui cum esset in forma Dei*, οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ *non rapinam duxit, esse æqualem Deo*, Vocabulum ἴσος *æqualis* reperitur *Matth.* XX. 12. ubi regnum cœlorum comparatur patrifamilias, qui operarios in vineam suam conduxit denario, & oparii, qui hora undecima locati fuerunt eodem modo denarium acceperunt, quam qui hora nona, sexta & tertia conducti, immo qui per totum diem laborioſi fuerunt, hi ultimi solum denarium accipientes, murmurabant, dicentes ἴσους ἡμῖν αὐτοὺς ἐποίησας *æquales nobis eos fecisti.* Patet itaque vocabulum ἴσος *æqualis* in sacris sumi pro eadem quantitate, quia ultimi propterea murmurabant, quod reliqui itidem secum accepere denarium, & hæc est ipsa illa definitio, quam cum Cl. *Baroni de Wolfio* (*Ontol.* §. 349.) dedimus; Unde evidens est Filium sese Patri suo æqualem prædicari eo sensu, quo eundem ipsi æqualem esse ad mentem sacri codicis modo demonstravimus.

Quoniam in sacris nulla mentio fit æqualitatis Spiritus Sancti cum Patre & Filio, hinc necesse duximus eam per consequentiam legitimam ex scriptura demonstrare. Usus hujus propositionis cum in sequentibus, tum ex origine definitionis *æqualis* patebit: Nimirum sint duo pondera A & B. Ponamus pondus A in una lance constitutum servare æquilibrium cum merce in altera collocata lance. Quodsi pondus B in locum ipsius A substitui potest, ut æquilibrium non tollatur; Lanx adhuc vi eadem deprimitur, qua antea deprimebatur. Atque adeo pondera æqualia sunt, aut, accuratius loquendo, gravitas ponderis B est æqualis gravitati ponderis A. Definitio itaque hæc desumta est ex praxi Mathematicorum æqualia æqualibus substituentium. Optimæ sunt notiones, quæ ex ipsa praxi de-

desumuntur. Pariunt enim praxin facilem, cujus tandem gratia omnis adiscitur theoria. Juxta scripturam theoriam Trinitatis hic docemus, ut Deum Triunum, qui solus verus Deus est recte, seu secundum ejus voluntatem colere queamus. Etenim quia Deus sese Triunum esse revelavit, qui non Triunum colit, nec verum Deum, seu Deum secundum ejus voluntatem minime colit.

§. 815.

Quoniam scriptura magistra Pater, Filius, Sanctusque Spiritus æquales sunt, quia habent essentiam, attributa ac opera Divina ejusdem quantitatis (§. 814.); Hinc essentia, attributa, operaque Patris salva quantitate sua substitui possunt essentiæ, attributis, nec non operibus Filii, & Sp. S., item Filii essentia, attributa & opera substitui possunt salva quantitate iis Patris ac Spiritus Sancti, sic denique Sp. S. essentia salva quantitate substitui possunt ea Patris & Filii, seu tota essentia, ut & attributa, operaque Patris æqualis est toti essentiæ, totisque attributis ac operibus Filii & Sp. S., item ea tota Filii æqualis est toti reliquorum duorum, sic ea tota Spiritus Sancti quoque toti reliquorum duorum æqualis est. Quamobrem cum majus sit, cujus pars alteri toti æqualis est: Et minus, quod parti alterius æquale est (*Ontol.* §. 352.); Ad mentem itaque revelationis Pater nec major, nec minor est Filio, Sanctoque Spiritu, aut Filius nec major, nec minor reliquis duobus est, nec Spiritus Sanctus major, aut minor his reliquis est, seu nullus horum trium, qui verus dicuntur Deus, reliquis major est, aut minor quoad essentiam, attributa atque opera.

Pater non est major reliquis duobus, nec unus horum Patre.

Exempli gratia 7=4+3. Quamobrem cum sit 4=4, sit-

sitque 4 pars ipsius 7, numerus quaternarius parti septenarii æqualis est, & vicissim pars septenarii quaternario æqualis. Hinc quaternarius minor septenario & septenarius major quaternario. Si hoc ad essentiam, attributa atque opera Divina refers, videbis æque impossibile esse unum horum trium qui verus solus Deus sunt, majorem, minoremve esse reliquis duobus, quam impossibile est numerum septenarium majorem, aut minorem esse numero septenario. Hoc exemplum subjecimus, quoniam, si notiones abstractæ hoc modo ad exempla facilia, & unicuique nota applicentur, non modo clariores fiunt, verum etiam earundem applicandarum habitus comparatur, nec non ipsæ notiones familiares evadunt, ut sponte quasi sua sese sistant, quoties ad ea attendi fuerit opus. Immo hæc summa evidentia est, si abstracta ad intuitum quasi reducantur, ut, quæ mens ratiocinando colligit, ipsi sensui quasi sint obvia, & ejus judicio confirmentur.

§. 816.

Ab objectionibus liberatur.

Objiciunt Adversarii verba Christi, quæ reperiuntur *Joh.* XIV. 28., ubi is inquit: *Pater major me est.* Ex his concludunt Patrem revera majorem esse Filio, & Filium minorem Patre. Si hoc de essentia, attributis atque operibus Divinis intelligere vis, quemadmodum Adversarii faciunt, prodit propositio contraria ejus, quæ demonstrata (§. 815.), & ad mentem aliorum scripturæ locorum manifesta est. Quodsi vero per interpretationem S. S. prodeat propositio contraria ejus, quæ vel a posteriori certa est, vel demonstrata, vel per alia S. S. loca manifesta; in notione sive subjecti, sive prædicati determinanda aberratum esse constat (*Logic.* §. 976.); Ab Adversariis itaque hic aberratum esse, evidens est. E contrario, si contextum intuemur, quemadmodum semper fieri oportet,

si

si sensum genuinum verborum revelationis scrutari amas, luculenter patet, nullam hic fieri essentiæ, attributorum ac operum Divinorum Jesu Christi mentionem; sed sic loquitur. *Audistis, quod ego dixi vobis: vado, & venio* (redeo) *ad vos. Si diligeritis me, gauderetis utique, quod dixerim, quia vado ad Patrem: nam Pater major me est.* Ratio igitur, quam allegat Filius, quod Pater se major sit, est, quoniam voluit; ut gaudeant discipuli sui eo, quod proficisceretur ad Patrem. Verum enim vero Dei Filius omnipræsens est (§. 719.), qui secundum essentiam suam Divinam omnibus entibus præsens est (§. 157. & *Theol. natur. part.* I. §. 1054.); Hinc quoad essentiam Divinam proficisci nequit; Consequenter nec de eadem hæc verba intelligi possunt. Erat autem sua natura humana suis discipulis præsens, & salute acquisita cum hac natura ascendit in cœlum ad Patrem videntibus his suis discipulis *Actorum* I. 9. 10., quemadmodum hoc iis prædixit subsequente 29. versu *Johannes*. Ut adeo contextus ipse nos doceat, Jesum loqui de natura sua humana, qua ad Patrem iturus. Hac vero natura, humana nimirum, Dei Filium Patri suo minorem esse, quemadmodum hic ostendit Christus, nullus sanus unquam negabit. Constat itaque ex ipso contextu adversarios hæc verba detorquere in alienum sensum, & procul a veritate Divinitus revelata aberrare. Nec eos, si veritatem solummodo amant, negare in posterum posse omnes hos tres, qui verus in sacris dicuntur Deus, idem numero Deus, sibi invicem æquales & nullum eorum reliquis majorem, minoremve esse, si essentiam, attributa atque opera Divina spectamus.

§. 817.

Quoniam Pater, Filius, Spiritusque Sanctus essentia, attributis atque operibus Divinis æquales sunt (§. 814.), *Cultus qualis esse debeat.*

& cultus Dei non consistit, nisi in actionibus per attributa Divina tanquam motiva determinatis (*Juris natur. part.* I. §. 1229.); Cultum horum trium æqualem esse debere quoad essentiam suam Divinam, necesse est, seu quatenus essentiam, attributa, operaque eorum consideras, æqualiter coli debent.

Cultum hunc ad solam essentiam, attributa ac opera Divina horum trium jure restringimus, quia hoc sensu solum æquales invicem, in modo vero habendi hanc essentiam realiter differunt (§. 807.), uti & in reliquis, vr. gr. solus Filius assumsit naturam humanam &c.; Adeoque hoc sensu inæquales sunt; Unde in eo sensu iis æqualis cultus præstari quoque nequit, quod ideo notamus, ne incauti in errorem incidant.

§. 818.

Pater quo sensu primus, Quoniam tres sunt, qui in sacris vocantur Deus, nimirum Pater, Filius & Sp. S. (§. 648.), quorum essentia, attributa & opera Divina eadem sunt (§. 812.), modus vero habendi hanc essentiam inter eos realiter differt (§. 807.); Hinc essentia, attributa, nec non opera Divina eorum a modo habendi hanc essentiam distingui debet. Ut adeo in Patre, Filio & Sp. S. distincte consideranda sit cum illorum essentia, attributa & opera, tum modus habendi istam essentiam. Si ad essentiam, attributa atque opera Divina horum trium animum advertis, revelatio & ratio nos docent hanc omnibus tribus simul eandem esse (§. 812.), & quidem numero (§. 813.). Quamobrem cum idem numero sit, quod bis existere repugnat, & de se ipso affirmari potest in singulari (*Ontol.* §. 182.); Essentiam attributa ac opera Divina horum trium bis existere repugnat.

gnat. Verum enim vero primus dicitur, ante quem non exiſtit alius (*Theol. natur. part.* I. §. 44.); Ut adeo ſecundus ſit, ante quem ſolum primus exiſtit, & ita porro Tertius, ante quem exiſtunt hi duo priores; Nullus igitur horum trium, ſeu nec Pater Filio, aut Spiritu Sancto, nec Filius Patre, aut Sp. S., nec Spiritus Sanctus his prior eſſe poteſt quando eſſentiam, attributa, operaque horum trium conſideras.

Si vero tuis cogitationibus percuris modum habendi eſſentiam Divinam horum trium, videbis eum realiter inter hos, teſte ſcriptura, differre (§. 807.), & quidem ita ut Pater ſit αὐτοθεὸς non ſolum, qui habet eſſentiam, quæ a ſe eſt, ſed & qui eam a ſe habet (§. 655.). Quare cum ens a ſe ſit omnium entium primum (*Theol. natur. part.* I. §. 45.); Ei, qui eſſentiam ſuam a ſe ipſo habet, ens aliud præexiſtere nequit; Eſt igitur omnium primus. Unde patet, ſcriptura magiſtra, Patrem quoad modum habendi eſſentiam ſuam omnium eſſe primum.

Vocabula *primus*, *ſecundus*, *tertius* ſumuntur hic ſignificatu recepto, & in ſacris uſitato: Ecquis enim eſt, qui neſciat, in omni multitudine illud dici primum, ante quod aliud obvium nobis non eſt, ad iſtam ſcilicet multitudinem pertinens, reſpectu cujus quid primum dicitur; Sic ſecundus, cui quidem præcedit primus, non autem plures, & ſic porro tertius, cui primus ac ſecundus, nec plures præcedunt. Hoc ſenſu in ſacro codice Moſes recenſet numerum ſex dierum creationis *Geneſ.* I., & paſſim alibi eodem ſumitur ſenſu.

§. 819.

Filius quo sensu secundus

Filius αὐτόθεος est solum quoad essentiam suam Divinam, non autem quoad modum habendi hanc essentiam (§. 754.), quippe quam non a se, sed a solo Patre habet, qui ipsi largitus est eam (§. 659.), & communicavit cum eo (§. 660.). Quare cum is secundus sit dicendus, cui non nisi primus præcedit (§. 818.); **Filius quoad modum habendi suam essentiam Divinam secundus, juxta scripturam, dicendus est, quippe qui a Patre est.**

Ex propositione præcedente evidens est Dei Filium unum esse cum reliquis duobus, qui verus sunt Deus, si ad essentiam, attributa & opera ejus Divina mentem advertis; Adeoque si eum secundum nominamus, hoc non nisi de modo habendi hanc essentiam intelligi potest, quia de Trinitate agentes, nihil nisi ipsam Divinam essentiam & modum eam habendi considerare possumus ac debemus: Quod ideo notare non pœnitet, quia incautus facillime confundere potest, quæ revera distincta sunt, aut miscere cum objecto, quæ ad id minime pertinent; Unde oriuntur inanes quæstiones, disputationes, & sæpissime inde nascuntur errores.

§. 820.

& Sp. S. quo sensu tertius dicendus.

Ex revelatione scimus Spiritum Sanctum solummodo esse αὐτόθεον quoad suam essentiam, quæ a se est, non vero quoad modum habendi eam (§. 802.), quippe quam non a se ipso, sed & a Patre, & a Filio simul habet, quia uterque hanc ei largitus est, atque eandem cum ipso communicavit (§. 801.). Quoniam autem is tertius vocatur, cui non nisi primus ac secundus præcedunt (§. 818.); **Merito Spiritus Sanctus, scriptura magistra, tertius**

tius dicitur, quia essentiam suam & a Patre, & a Filio habet.

Hæ propositiones ita concinne efferuntur: Pater, Filius, Sanctusque Spiritus sunt unus essentia, quam, quia Pater a se habet primus, secundus Filius, qui eam a solo Patre, & Spiritus Sanctus, qui eam a Patre & Filio simul habet, tertius vocatur. Brevis hæc enunciatio facillime memoriæ mandari potest, & sic conceptus totius Trinitatis facillime & feliciter formatur.

§. 821.

Quoniam præeunte sacro codice cognoscimus quoad modum habendi essentiam Divinam Patrem dicendum esse primum (§. 818.), Filium secundum (§. 819.), Spiritum Sanctum denique tertium (§. 820.), & Ordinem salutamus similitudinem obviam in modo, quo res juxta se invicem collocantur, vel se invicem subsequuntur (*Ontol.* §. 472.); Quod Pater primus, Filius secundus, ac Sp. S. tertius sit vocandus, absolvit ordinem horum trium, qui in sacris dicuntur verus Deus. *Ordo horum trium,*

Ex ipsa hac demonstratione luce meridiana clarius est, ordinem horum trium solummodo tribuendum esse modo habendi essentiam Divinam: Neutiquam vero essentiæ, attributis, nec non operibus eorum Divinis, quippe quæ omnibus tribus simul eadem sunt numero (§. 813.). Theologi vulgo hanc propositionem efferunt, quando affirmant, Patrem primum, Filium secundum, Spiritumque Sanctum tertium esse in Divinitate ratione ordinis in subsistendo & operando ad intra, non autem ullum reliquis priorem esse 1) ratione perfectionis, quia omnes tres simul verus Deus, & hinc omnium attributorum Divino-

rum etiam simul participes. 2) nec ratione virtutis agendi ad extra, quippe quæ sequitur perfectiones essentiales. 3) nec ratione temporis, quia æternitas est attributum Divinum. 4) nec denique ratione dignitatis, quoniam eorum essentia æqualis est; Hinc & cultus, honor & dignitas illorum æqualis esse debeat. Hæc notamus, ut quivis nostrum systema eo facilius conferre possit cum reliquorum Theologorum scriptis, atque ita eo felicius consensum nostrum cum iis invenire. Eundem ordinem jam agnovit *Justinus Martyr*, *Apocal.* II. pro Christianis: Τὸν Υἱὸν, inquiens, τοῦ ὄντως Θεοῦ μαθόντες, ἐν δευτέρᾳ χώρᾳ ἔχοντες, Πνεῦμά τε προφητικὸν ἐν τρίτῃ τάξει. *Filium veri Dei agnoscimus, & in secundum locum locamus, Spiritum vero Propheticum in ordine tertium.* Ad hunc ordinem Jesum animum vertisse, mihi videtur, quando nos baptizari jussit *Matth.* XXVIII. 19. *in nomen Patris, & Filii & Spiritus Sancti.* Itemque Johannem I. *Joh.* V. 7., inquiens: *Tres sunt, qui testificantur in cœlo, Pater, Sermo, & Sp. S., & hi tres unum sunt.*

§. 822.

Cur dicatur ordo originis, Theologi, quando ostendere volunt Patrem suam essentiam a se, nec ab ullo alio, Filium vero suam non a se, sed a Patre & quidem ab eo solum, Spiritum Sanctum denique suam non a se, sed & a Patre, & a Filio simul habere, tunc utuntur hoc termino technico, nimirum Ordinis Originis, & recte, quia hoc termino breviter enunciatur tota propositio, quæ hoc modo facillime memoriæ mandari potest, & terminus videtur aptus, quoniam, si quærimus in rei originem, inquirimus, unde hæc res existentiam suam nacta, seu a quo ea ad existentiam perducta sit.

Terminos hos explicamus, ut notio eorum evadat distincta, sicque intelligi queat, quid quis sentit, qui termi-

minum quendam pronunciat. Ceterum, quæ (§. 656.) de terminis ecclesiasticis dicta sunt, huc referri debent.

§. 823.

Quoniam Pater propterea primus, quod essentiam, quæ a se ipso, non ab alio habet (§. 818.), Filius ea propter secundus, quod essentiam hanc non a se, sed a solo Patre (§. 819.), & Sp. S. propterea tertius vocatur, quod suam essentiam non a se, ast & a Patre, & a Filio habet (§. 820.); Fieri nequit, ut Pater suam essentiam non a se, sed vel a Filio, vel a Filio & Sp. S. simul habeat, nec fieri potest, ut Filius hanc essentiam a se, vel a Sp. S., nec possibile est, ut Sp. S. essentiam suam a se, aut a solo Patre, aut a Filio solum habeat; Adeoque impossibile est Patrem secundum, aut tertium, Filium primum, tertiumve, & Sp. S. primum, vel secundum fieri posse (*Ontol.* §. 29.); Consequenter impossibile est alium substituere ordinem pro eo, qui est inter hos tres (§. 821.). Quamobrem cum immutabilitas sit impossibilitas substitutionis alterius pro eo, quod simul est, vel accessionis ejus, quod non est, cæteris, quæ simul sunt, manentibus iisdem (§. 35. & *Ontol.* §. 291.); Ordo horum trium est immutabilis. Cum porro, quod immutabile est, necessarium sit (*Ontol.* §. 293.); Hic ordo igitur necessarius est. Denique quia hic ordo ex essentia Patris (§. 663.), Filii & Sp. S. fluit (§. 676), & cum absoluta necessitas sit, quæ ex essentia entis oritur (*Ontol.* §. 315.); Ordo horum trium, qui verus Deus sunt, absolute necessarius est. *Cur absolute necessarius.*

Quidam Theologi hunc ordinem absolute necessarium vocant *ordinem naturæ*. Atat! cum ordo naturæ sit is, quem natura in agendo observat (*Cosmol.* §. 557.), & natura sit aggregatum omnium virium motricium, quæ cor-

corporibus in mundo coëxistentibus simul sumtis insunt (*Cosmol.* §. 507.), nec Deus corporeus sit (§. 91.); Inepte ei natura, & ordo naturæ, tribuitur. Inprimis cum id, quod hi per naturæ ordinem intelligunt, aptissime exprimatur per ordinem absolute necessarium. Etenim ordinem naturæ affirmant esse eum, qui Deo non est arbitrarius, sed ex natura, inquiunt, Patris fluit generatio Filii, & ex natura Patris, Filiique, ut spiratoris, spiratio Spiritus Sancti; Ut adeo negent omnem contingentiam in hoc ordine, ita ut ipse Deus nequidem eundem immutare posset, quia ex ipsa natura, vel potius essentia horum trium nescitur; sicque æque absolute necessarius, quemadmodum ipsa essentia eorum. Cum jam idem intelligant per naturæ ordinem, quod nos per absolute necessarium, & necessitas absoluta per se existentiæ Divinæ tribuenda; natura autem non nisi improprie, quia Deus incorporeus est, potius hunc constantem ordinem horum trium exprimentes, eum absolute necessarium, quam naturæ ordinem definire libuit. Licet enim faciles simus in verbis, quibus quis uti lubet, interim tamen censemus, non solum accurate cogitandum, sed & accurate loquendum esse, ut ita inanes controversias non solum vitemus, sed & nec ansam errandi demus. Ceterum hanc propositionem adornavimus non solum, ut consensus aliorum Theologorum mecum inde pateat, sed & quia ex distincta hac hujus ordinis notione plura loca S. S. alias difficilia, immo prope haud intelligibilia, facillime intelligi possunt; sicque in Theologia exegetica insignem spondeat usum; sed & opera horum trium œconomica, hac propositione explicabilia erunt, quod suo loco constabit.

§. 824.

Subordinatio Revelatio docet hos tres, nimirum Patrem, Filium, San-

Sanctumque Spiritum esse æquales, quia essentiam, attributa ac opera habent ejusdem quantitatis (§. 814.). *in Divinitate non datur.*
Quamobrem cum subordinatio sit ordo inter inæquales; **In Divinitate horum trium subordinatio, revelatione teste, locum non habet.**

Minorem dignitate vulgo dicimus majori subordinatum; per abstractionem itaque agnoscimus minorem subordinatum majori. Verum enim vero major & minor inæquales sunt (*Ontol.* §. 352. 349.); Per abstractionem itaque intelligimus ordinem inter inæquales exprimi termino *subordinationis*, seu subordinationem a nobis sumi significatu vulgo recepto. Hanc subordinationem in Divinitate horum trium defenderunt præter *Arminianos*, *Episcopius & Limborchius* & inter anglos *Cudworthus* & *Baltus*, quorum errorem Theologi vulgo vocant *Arianismum mollem*. Subordinationem in Divinitate horum trium somniare per se absonum est. Etenim præterquam quod hi tres in Divinitate, seu essentia æquales sint (§. 814.) & eandem numero essentiam habeant (§. 813.), & ratione, & revelatione amice consentientibus unus solus verus Deus tantummodo possibilis est (§. 647.); Unde patet, non nisi unam Divinitatem, seu essentiam Divinam dari posse; Consequenter, in Divinitate nequidem ordo (§. 821.), multo minus subordinatio locum habere potest. Nec est, cur dicatur, quod Filius Dei Patrem vocet Deum suum *Matth.* XXVII. 46., in cruce pendens, *clamans: Deus mi, Deus mi, cur deseruisti me?* Nam, ut taceam, vocabulum Deus in sacris sumi vel οὐσιωδῶς *essentialiter*, vel ὑποστατικῶς *personaliter* (§. 692.), & toties accipiendum esse ὑποστατικῶς, quoties Christus Patrem appellat suum Deum (§. 751.), id loco citato, quemadmodum

dum ex contextu luculenter patet, de humana Christi natura exinanita necessario intelligi debet, & nullus dubitabit unquam hac humana natura Jesum Deo minorem esse. Et par est ratio illorum locorum, in quibus Sp. S. Patris, vel Filii dicitur Spiritus. Plura vide in *Grapii* Theol. rec. controv. quæst. XV. pag. 136. *seqq.*, & alibi.

§. 825.

Hi tres, qui sunt Deus verus, per eminentiam substantia sunt,

Numerus I. Pater, revelatione magistra, verus Deus est (§. 652.), cujus essentia tota infinita est (§. 511.). Sed ens infinitum per eminentiam substantia est (§. 512. & *Ontol.* §. 847.). Pater igitur, docente scriptura, per eminentiam est substantia.

Numerus II. Sic Filius Dei ens infinitum, seu tota ejus essentia infinita est (§. 729.). Est igitur per eminentiam substantia (§. 512. & *Ontol.* §. 847.).

Numerus III. Nec non Spiritus Sanctus infinitum ens est, cujus tota essentia est infinita (§. 778.). dubio igitur caret, eum per eminentiam substantiam esse (§. 512. & *Ontol.* §. 847.).

Quoniam Pater, Filius & Sp. S. sunt hi tres, qui in sacris verus Deus dicuntur (§. 648.). Pater vero *per demonstrata Num.* I., Filius *per demonstr. Num.* II., & Sp. S. per eminentiam sunt substantia *per demonstr. Num.* III. Hi tres ad mentem codicis sacri per eminentiam substantia sunt.

Probe notandum est, nec Deum, nec unum horum, qui verus Deus proprie, sed per eminentiam esse substantiam. Est autem ens per eminentiam, quod proprie loquendo non est tale, quod tamen quid habet in se, quod vi-

vicem ejus ſupplet, quod proprie eidem tribui repugnat (*Ontol.* §. 845.). Hinc jam intelligitur, cur Deus, tanquam ens infinitum dicatur a ſcholaſticis eſſe ſupra prædicamenta, & cur difficile ſit fingi aliquod genus ſuperius, ſub quo Deus & creaturæ tanquam ſpecies collocentur: Immo cur non opus ſit, ut de ejusmodi conceptibus hypertranſcendentalibus ſolliciti ſimus.

§. 826.

Numerus I. Scriptura docet Deum Patrem Filio (§. 659.) & huc una cum Filio Spiritu Sancto eſſentiam largiſſe (§. 801.). Quamobrem cum & Pater, & Filius, & Sp. S. ſubſtantia per eminentiam ſit (§. 825.). Pater Filio, Spirituique Sancto dedit ſubſtantiam, quam habent. *Quam Pater Filio & Sp. S. largitus eſt,*

Numerus II. Sic Pater eſſentiam ſuam cum Filio (§. 660.) & uterque cum Sp. S. communicavit (§. 801.). Pater autem & Filius & Sp. S. per eminentiam ſubſtantia ſunt (§. 825.); Pater igitur ſubſtantiam ſuam cum Filio ac Sp. S. communicavit, ſeu ſubſtantia per eminentiam communicabilis eſt. *& cum iis communicavit.*

Deus eſt quidem ens neceſſario ſimplex (§. 78.); qui itaque & neceſſario ſubſtantia ſimplex eſſe debet (*Ontol.* §. 793. 794.); Unde videtur eum ſubſtantiam ſuam reliquis, qui cum Patre ſimul verus Deus ſunt, communicare non poſſe. Atat ſubſtantia Patris eadem eſt numero cum ea Filii, Spiritusque Sancti, neutiquam ab eadem diverſa, quemadmodum ex ſequente patebit paragrapho. Quare non contrariari poteſt ſimplicitati Divinæ ſubſtantiæ, eam communicare cum Filio aut Sp. S. Contrariaretur enim, ſi ſubſtantia reliquorum duorum non ſit eadem nu-

mero cum ea Patris, seu si in his tres a se invicem diversas substantias fingamus, quod absonum. Salva igitur est veritas, salvæ sunt methodi leges, & sua sponte corruunt consequentiæ, quas non nisi consequentiarii scioli inepte cumulare possunt, imperitiæ suæ pœnas dantes, vel Philosophiæ, simulque Theologiæ tyronibus se deridendos propinando. Ne vero in eosdem cum his scrupulos impingat, qui sincero trahitur veritatis amore, probe meditetur, quæ de ente per eminentiam satis clare, distincte, nec non acute docuit Cl. *S. R. I. Baro de Wolfius Ontol.* § 845. *seqq.*, & quæ de unitate Divina ac identitate numerica horum trium, qui verus Deus sunt, ad mentem S. S. passim ostendimus.

§. 827.

Est eadem numero, Quoniam Pater, Filius, nec non Sp. S. idem numero Deus sunt, quatenus eandem numero essentiam, attributa atque opera Divina, quæ bis existere repugnat, possident (§. 813.), simulque hi tres per eminentiam substantia sunt, teste scriptura (§. 825.). Eadem magistra, hi tres, nimirum Pater, Filius, Sanctusque Spiritus sunt substantia per eminentiam numero eadem; & hinc non tres substantiæ diversæ.

Jam luculenter patet insignem esse errorem eorum, qui ex his tribus hypostasibus tres inter se diversas substantias efficere conantur. Etenim hoc cum ipsa notione Dei pugnat, quippe qui ratione pariter ac revelatione testantibus ens omnium simplicissimum est, omnis omnino compositionis expers.

§. 828.

& primaria. Sacer codex nos docet hos tres, qui sunt verus Deus esse substantiam per eminentiam (§. 825.), & quia simul ve-

verus Deus sunt (§. 648.), qui possibilis est (*Theol. natur. part.* II. §. 19.); Hi tres possibiles sunt. Et quoniam & Pater (§. 652. 31.), & Filius ((. 697.), & Sp. S. ens omnium primum (§. 781. *Num.* IX.), ante quod non exstitit aliud (§. 27.); Per se possibilis est. Quare cum substantia prima sit, quæ per se possibilis (*Theol. natur. part.* II. §. 310.); Hi tres, nimirum Pater, Filius & Sp. S. substantia prima sunt.

Ut quis accurate & distincte agnoscere queat, qualis horum trium substantia sit, hanc non piget exornare propositionem; quoniam divisio substantiæ in primam atque secundam dudum in Philosophia & ipsa Theologia naturali recepta est. Scholastici enim primam substantiam vocant Deum, quia is per se possibilis concipitur, tanquam ens omnium primum, & ab alio prorsus independens (§. 31.). Atat! creaturas, hoc est, entia præter Deum omnino omnia, quæque ab ipso producta sunt, *substantias secundas* appellant, propterea quod sine substantia prima, nimirum Deo, nulla eorum concipitur possibilis. Significatum itaque terminorum in Philosophia dudum receptorum immutare nefas duximus (*Disc. prælin.* §. 174.). Ut adeo eximia illa differentia inter hos tres, qui simul verus Deus sunt (§. 648.) & omnia omnino entia præter hunc Deum Triunum existentia eo facilius pateat, & a se invicem distinguamus accurate, quæ distinguenda sunt, Deum Triunum vocamus substantiam primariam, quæ sine aliis secundis concipitur possibilis; secundaria vero, quæ possibilis non est nisi per secundas alias. Nil hic refert, quod Deus sit substantia per eminentiam; Adeoque non eo præcise sensu, quo entia alia ab ipso diversa substantia sunt. Neque enim substantia prima alia est, quam per eminentiam talis, quod ex utriusque definitione ultro colligi potest.

§. 829.

Modus habendi ſubſtantiam realiter differt.

Numerus I. Quoniam Pater quoad modum habendi eſſentiam, revelatione magiſtra, a Filio propter generationem & a Sp. S. & propter generationem, & propter ſpirationem diverſus eſt (§. 807.). Eademque docente ſubſtantia per eminentiam ſit. (§. 825. *Num.* I.) eadem numero (§. 826.); Subſtantia Patris ab ea Filii ac Sp. S. per generationem Filii & a Sp. S. per Spirationem ſeu in modo eam habendi diverſa eſt.

Numerus II. Sic Filius Dei ſubſtantiam ſuam non a ſe, ſed a Patre ſolo communicatam habet (§. 826.); Subſtantia itaque Filii ab ea Patris & Sp. S. realiter differt in modo habendi, quippe quam a ſolo habet Patre.

Numerus III. Sic Sp. S. ſuam ſubſtantiam a Patre & Filio ſimul habet (§. 826. 807.); Spiritus Sanctus igitur Subſtantia a reliquis quoad modum habendi eam diverſa eſt, quatenus eam & a Patre & a Filio habet.

Hæc diverſitas ſubſtantiæ horum trium non obeſt ſimplicitati ejus, quæ eadem eſt numero, ſeu una. Etenim illud, quod ſubſtantiale in his tribus eſt, id ſemper numero idem eſt, & repugnat bis, pluriesve exiſtere: quodſi autem mentis vertis oculos ad modum, quo quivis horum trium hoc idem ſubſtantiale nactus eſt, hoc ratio prorſus ignorat, revelatio vero hac propoſitione nos docet hunc modum inter eos realiter differre, quod rationi contrarium minime eſt, quippe quæ agnoſcit non involvere contradictionem, quod qui eandem numero eſſentiam diverſimode habent, diverſimode quoque id, quod ſubſtantiale

le idem est, seu eandem numero substantiam, habere posse. Unde colligimus hanc propositionem veram, certam & indubiam esse, quia ea superat omnem captum rationis, nec contrariatur ei, quod ex ratione de summo ente agnoscimus, ac legitima consequentia sequitur ex disertis S. S. verbis, in quibus acquiescendum prorsus toties, quoties Deus manifestat ea, quæ ex incomprehensibilitate entis infiniti fluunt, seu quæ per se incomprehensibilia sunt. Qui hæc probe observat, per se intuetur quousque suo scrutinio pergere queat, & ubi substistendum, nec ignominia est confiteri fideliter sese nescire incomprehensibilia Dei, ut potius laus sit hæc confessio, & sapientia; stultitia autem & contradictio, quidni ipsa absurditas velle sua finita atque arcte limitata ratione comprehendere per se incomprehensibilia.

§. 830.

Quivis horum trium possidet substantiam individui.

Quoniam Deus est substantia per eminentiam (§. 512.), Eo ipso distinguitur ab omnibus omnino substantiis dictis (*Ontol.* §. 845. 768.), sive simplicibus, sive compositis (*Ontol.* §. 794.), seu ab omnibus substantiis entium finitorum. Si porro determinatur modus, quo quivis horum trium, qui simul verus Deus sunt, hanc substantiam possidet; Hæc substantia omnimode determinata est; quoniam ulterius progredi nequit determinatio substantiæ, quam ad id, quod substantiale est, & modum id habendi. Quare cum ens individuum, sive singulare, vulgo dicatur, quod omnimode determinatum est (*Ontol.* §. 227.). Substantia individui, seu singularis est, cujus & substantiale, & modus habendi id, quod substantiale est determinatum est.

Cui ex Philosophia notum est, quid ens individuum, sive

sive singulare sit, is distincte percipit, quod substantia Patris omnimode determinata sit: Quoniam id, quod substantiale in hac substantia est omnimode determinatum per id, quod sit substantia per eminentiam, nec non modus habendi id, quod substantiale in Patre est, si additur a se. E. substantia per eminentiam a se, est substantia Patris Singularis, tanquam individuum. E. substantia per eminentiam a solo Patre communicata, est ea Filii tanquam individuum. Et substantia per eminentiam & a Patre & a Filio simul communicata, est ea Sp S. tanquam individuum.

§. 831.

Hi tres tria suppositа

Numerus I. Revelatio docet Patrem esse per eminentiam substantiam (§. 825. *Num.* I.), & quidem singularem, seu individui (§. 830.), qui vivit, seu cui actuositas essentialis est (§. 652. 117.). Quamobrem cum substantiam singularem vivam vulgo suppositum salutemus (*Psychol. ration.* §. 741. *in notis.*) Pater ad mentem scripturæ suppositum per eminentiam dici potest, seu substantia singularis viva.

Numerus II. Sic Filius substantia per eminentiam est (§. 825. *Num.* II.), singularis, sive individui (§. 830.), & quidem viva (§. 711.) Filius igitur est suppositum (*Psychol. ration.* §. 741. *in notis.*) per eminentiam.

Numerus III. Denique Spiritus Sanctus est substantia per eminentiam (§. 825. *Num.* III.), & quidem singularis seu individui (§. 830.) viva (§. 798. 117.) Est itaque sup-

ſuppoſitum ad mentem ſacri codicis per eminentiam.

Juxta Scripturam Pater eſt ſuppoſitum per eminentiam *per demon. Num.* I. Filius *per demon. Num.* II, nec non Sp. S. *per demon. Num.* III. Verum enim vero Pater, Filius & Sp. S. tres ſunt; Conſequenter tria ſunt ſuppoſita per eminentiam, & quia Pater in modo habendi eſſentiam (§. 807.) & ſubſtantiam a Filio & Sp. S. realiter differt (§. 830.), & Filius eodem modo a Patre & Sp. S., nec non Sp. S. ab his duobus; Hinc tria hæc ſunt diverſa.

Scholaſtici dudum dixerunt, ſuppoſitum eſſe ſubſtantiam ſingularem vivam, & Theologi affirmarunt unam ſubſtantiam divinam abſolvi tribus diverſis ſuppoſitis. Ut itaque ſcire valeamus, quid his terminis indicare voluerunt, eosdem ad diſtinctas notiones referre placuit. Cavendum autem ſollicite eſt formare conſequentias, quoniam Deus ens infinitum ac incomprehenſibile per ſe eſt, nos vero entia finita, qui naturam entium finitorum omnium ne quidem comprehendimus, multo minus id, quod in Deo eſt; quique hinc de Deo loquentes, terminis uti debemus ab entibus finitis deſumtis, ſed ita ut Deum decet, hoc eſt, ut nullus admittatur in Deo defectus. Cavetur autem defectus, quando nihil dicimus, quod notioni Dei, ſeu entis infiniti ullo modo contrariatur, & id, quod ſacer codex diſerte affirmat ſolummodo ad notiones diſtinctas referimus, nec pergimus ultra revelationem, quod ultro agnoſcit, qui probe obſervat, quid ſit per eminentiam eſſe. Sicque luculenter patet Deum ratione ac revelatione Doctoribus eſſe ens unum ſimpliciſſimum; adeoque quod non niſi eandem numero eſſentiam atque

ſubſtantiam habere poteſt, hoc eſt, omne id, quod in Deo ſubſtantiale eſt non niſi idem numero poteſt eſſe, ſeu bis, pluriesve exiſtere per ſe repugnat. E contrario quod quis eſſentiam qualis, qualis ea tandem ſit vel a ſe, vel ab uno, vel a pluribus aliis ſimul habeat, nihil in ipſa eſſentia mutat. Unde ſequitur eandem numero eſſentiam diverſimode poſſe a diverſis poſſideri. Sic modus habendi id, quod ſubſtantiale, ſeu ſubſtantialiter idem eſt, nihil mutat in eo, quod ſubſtantialiter eſt idem; Conſtat itaque ſubſtantiam numero eandem, ſeu quod idem eſt numero ſubſtantiale a diverſis diverſimode poſſideri poſſe. Verum enim vero hoc docet revelatio: nimirum unum verum Deum eandem numero eſſentiam, nec non id, quod idem numero ſubſtantiale eſt, diverſimode poſſidere, ita ut Pater hoc habeat a ſe, Filius autem non a ſe, ſed a Patre & quidem ſolum, Spiritus Sanctus denique nec a ſe, nec a ſolo Patre, ſed a Patre & Filio ſimul. In quo tota diſtincta Trinitatis notio conſiſtit, & ulterius in hoc myſterio progredi non licet. Errant itaque, qui realem differentiam horum trium qui ſimul unus verus Deus ſunt, agnoſcere recuſant, in revelationem; qui vero tres vel eſſentias, ſubſtantiasque admittunt, ex uno tres faciendo Deos, & in revelationem, & in rationem.

Hæc notaſſe minime pœnitet, quoniam Doctrina de S. S. Trinitate materia ſatis ardua eſt, quæ non ſatis caute ac circumſpecte tractari poteſt, quod ipſa experientia evicte oſtendit, qua ſole meridiano clarius eſt, quot errores, immo abſurdæ ſententiæ ſunt circa hanc ſalutarem atque Divinam doctrinam.

§. 832.

& tres perſonæ. *Numerus* I. Revelatio nos docet Patrem eſſe ſuppoſitum per eminentiam (§. 831.), eidemque, quia verus eſt

est Deus (§. 652.), tribuit perfectissimum intellectum (§. 198.). Quare cum scholastici personam definiant per suppositum intelligens (*Psychol. ration.* §. 741. *in notis.*). Pater persona per eminentiam est.

Numerus II. Sic Filius per eminentiam suppositum est (§. 831.), possidens infinitum & perfectissimum intellectum (§. 713.). Est igitur Filius persona per eminentiam (*Psychol. ration.* §. 714. *in notis.*).

Numerus III. Sic Spiritus Sanctus est substantia per eminentiam (§. 831.), gaudens intellectu perfectissimo & infinito (§. 761.). Est igitur persona per eminentiam (*Psychol. ration.* §. 714. *in notis.*).

Scriptura magistra Pater est persona per eminentiam *per demon. Num.* I., uti & Filius *per demon. Num.* II., nec non Spiritus Sanctus *per demon. Num.* III. Verum enim vero Pater, Filius, Sanctusque Spiritus tria sunt suppositа diversa (§. 831.); Consequenter etiam tres diversæ personæ.

Quod etiam sic demonstrari potest. Pater verus est Deus (§. 652.) in modo habendi suam essentiam (§. 807.) & substantiam realiter diversus a Filio & Sp. S., quippe quam a se, nec ab ullo alio habet (§. 829.), cum e contrario Filius eam non a se, sed a Patre, atque Sp. S. non a se, sed a Patre & Filio simul habeat (§. *citatis*.). Eique competit intellectus perfectissimus (§. 652.), quo sibi omnia possibilia distincte repræsentat, nihil obscure (§. 198.). Extra omnem dubitationis aleam itaque positum est, Patrem sibi distinctissime repræsentare, se habuisse, habere & habiturum suam essentiam & substantiam non ab alio,

sed a se, seu sui memoriam conservare. Quamobrem cum persona sit ens, quod memoriam sui conservat, hoc est, meminit, se esse idem illud ens, quod ante in hoc vel isto fuit statu (*Psychol. ration.* §. 741.). Pater igitur persona sit, necesse est. Porro Filius essentiam (§. 743.) & substantiam habet Divinam (§. 825.), non tamen eodem, sed diverso modo a Patre, quia eam non a se, nec a Sp. S., sed eam a solo habet Patre (§. 807. 829.). Cumque eidem tribuendus sit intellectus perfectissimus (§. 714.). Dubitari nequit illum sibi prorsus distincte repræsentare, se suam essentiam, substantiamque non a se, sed a solo Patre habere, seu sui conservare memoriam. Est itaque Filius persona (*Psychol. ration.* §. 741.). Spiritus denique Sanctus suam essentiam (§. 786.) & substantiam Divinam (§. 825.) non eodem, sed prorsus diverso habet modo a Patre, quippe eam non a se, sic a Filio, quia eam non a Patre solum, sed a Patre & Filio simul habet (§. 807. 829.). Quare cum possideat intellectum perfectissimum (§. 761.); Sequitur eundem sibi prorsus distincte repræsentare, se habere suam essentiam non a se, sed a Patre, Filioque simul, seu sui conservare memoriam. Spiritus Sanctus itaque docente scriptura, persona est (*Psychol. ration.* §. 741.).

§. 833.

Quæ hic notanda.

Scholastici personam definiunt per suppositum intelligens: suppositum vero per substantiam singularem vivam. Atque adeo ex mente Scholasticorum ad notionem personæ requiritur, ut sit substantia, ut sit individuum, ut vita fruatur, ut sit prædita intellectu. Quodsi hæc distincte explices, ut quilibet intelligat, quid tibi velis, & se mutuo

tuo determinantia in definitione non cumules, quemadmodum volunt methodi leges, Scholasticorum definitio in concordiam redit cum ea, si definis *personam per ens, quod memoriam sui conservat.* Ens enim, quod sui memoriam habet, judicat se esse idem illud, quod ante in hoc vel isto statu fuit: Ens itaque singulare est. Idemque præditum intellectu (*Psychol. ration.* §. 281.). Sed ens intellectu præditum vi cognoscitiva gaudet (*Psychol. empir.* §. 275.), atque adeo substantia est (*Ontol.* §. 725. 768.), eaque viva, cum vivum ens dicatur, quatenus habet operationum principium intrinsecum. Vi igitur hujus definitionis, persona est ens sui conservans memoriam, persona est substantia singularis viva, adeoque suppositum. Est vero etiam intelligens, adeoque persona. Ut itaque pateat, quid Scholastici, nec non Theologi his sequentes velint, simulque ut observemus methodi leges non cumulando, quæ in definitione se mutuo determinant; Hinc utramque confecimus demonstrationem. Non enim piget labor, si pluribus simul utilis fieri potest. Qui sibi metuunt, ne vi hujus definitionis personæ, in Christo admittendæ sint duæ personæ, unionis naturarum in Salvatore, vi cujus Deus & homo una fiunt persona, seu natura humana a Divina assumitur in unitatem personæ, vel nullam, vel non satis distinctam habent notionem, quæ sufficit, ut quid sibi velint, communibus verbis etiam tyrones explicare valeant, de quo suo loco ex instituto agendum erit. Ne quis vero circa vocabula hæc, quibus cum reliquis Theologis utimur, & ex Philosophia desumta sunt, difficultates nectat: tenendum est ea in Philosophia definiri omnia, prouti creaturis conveniunt, de quibus ea communiter usurpantur, eaque autem ad Deum referimus, ne nova vocabula excogitare debeamus,

quod ubi fit, sæpissime concluditur aliquid monstri alere. Quare usu recepta retinere debuimus, sed Patrem, Filium, Spiritumque Sanctum merito vocamus substantiam, supposita & personas per eminentiam ob analogiam, quæ intercedit inter ens finitum & infinitum, ita tamen ut differentia inter hæc entia salva ac integra maneat, & quæ a finitudine pendent, infinitudini minime tribuantur, quemadmodum jam sæpius monuimus.

§. 834.

His tribus una est οὐσία, Scriptura magistra constat & Patrem, & Filium & Sp. S. eundem numero esse Deum, quia eandem numero essentiam, attributa essentialia & opera Divina possident (§. 813.). Quamobrem cum Concilii Constantinopolitani patribus *essentia* Divina vocetur οὐσία (§. 657.). Extra omnem dubitationis aleam positum est Deum Patrem, Filium, nec non Sp. S. ad mentem revelationis eandem possidere οὐσίαν, & quidem eandem numero.

Quod hic terminus Ecclesiasticus ἄγραφον Divinam denotet essentiam, ex his probavimus patribus (§. 657. 658.). Probata itaque Divinæ essentiæ identitate (§. 813.); Per se evidens est, identitatem οὐσίας probatam esse; Adeoque absurdum esse tres in Deo fingere velle οὐσίας, quia involvit contradictionem (*Ontol.* §. 30.); Errant igitur, qui tres somniant in ente infinito essentias, locaque S. S., quæ ad suam sententiam stabiliendam allegant, detorquent, quia prodit ex eorum interpretatione propositio contraria ejus, quæ a posteriori certa & demonstrata, nec non per alia scripturæ loca manifesta (*Logic.* §. 976.).

§. 835.

ὁμοούσια, Revelatio docet Filium cum Patre (§. 752.) & Sp. S.

S. cum Patre atque Filio non ſolum eandem ſpecie, ſed & eandem numero habere eſſentiam Divinam (§. 799.). Hanc identitatem utramque Synodi Nicænæ patres expreſſerunt vocabulo ὁμοουσίας. Recte igitur affirmamus cum patribus Patrem, Filium, Spiritumque Sanctum ὁμοούσιους, ſeu ejusdem & ſpecie & numero Divinæ eſſentiæ eſſe.

Vocabulum ὁμοούσια compoſitum eſt ex vocibus οὐσία & ὁμοῦ *eſſentia & ſimul.* Ratione ſuæ compoſitionis itaque inuit eſſentiam ſimultaneam, hoc eſt, qui eandem eſſentiam ſimul habent. Atat! quoniam vocabulum οὐσία anſam dedit vehementiſſimo litigio (§. 658.); Non minus vocabulum ὁμοουσία eidem fuit obnoxium. Patres enim Concilii Antiocheni, Filium Dei Patri ſuo ὁμοούσιον negarunt eſſe, videlicet eo ſenſu, quo *Samoſatenus* Filium Patri ὁμοούσιον dixerat eſſe, nimirum ſpecie tantum, non autem ſimul numero. E contrario Nicænæ Synodi patres Filium dixere Patri ὁμοούσιον & ſpecie, & numero. Quamobrem cum hi tres & ſpecie & numero ſimul ejusdem ſint eſſentiæ *per demonſtrata.* A veritate ſummopere aberrant, qui hoc negant. Cum porro vocabulum οὐσία in Concilio Conſtantinopolitano fixum nactum eſt ſignificatum, ut eſſentiam revera Divinam denotet (§. *citato.*). Aſſerimus merito hos tres ὁμοούσιους, hoc eſt, ejusdem & ſpecie & numero eſſe eſſentiæ Divinæ.

§. 836.

Quoniam ſcriptura magiſtra Pater, Filius, nec non Sp. S. ejusdem ſunt eſſentiæ & ſpecie & numero (§. 752. 799.); duæ pluresve eſſentiæ Divinæ exiſtere repugnat (*Ontol.* §. 29.). Verum enim vero ὁμοίωσις ſimilitudo eſt identitas eorum, per quæ entia a ſe invicem diſcerni de-

Non ſolum de ὁμοιωσις.

be-

bebant (*Ontol.* §. 195.); similitudo igitur supponit duo vel plura entia. Revelatione docente ὁμοίωσις similitudo non cadit in hos tres, qui verus sunt Deus, quia & specie & numero ejusdem sunt essentiæ Divinæ.

Qui identitatem numericam essentiæ Divinæ Patris, Filii, nec non Sp. S. negant, in ipsam rationem & revelationem injurii errant (§. 834.). Quare cum similitudo præsupponat pluralitatem entium; Qui ὁμοίωσιν *similitudinem* in his tribus dari statuunt, a veritatis meta procul aberrant ratione ac revelatione simul testibus.

§. 837.

An Deus ex parte sit suppositum.

Teste scriptura Pater essentiam suam cum Filio (§. 660.) hic & Filius eam cum Sp. S. communicaverunt (§. 801.); Essentia igitur Divina, hoc est, Deitas, seu Deus est communicabilis. E contrario suppositum salutamus substantiam singularem vivam (§. 831.), seu substantiam individui, quæ omnimode determinata est (*Ontol.* §. 227.); Omne itaque suppositum prorsus incommunicabile est. Consequenter Deus, seu Deitas, hoc est, essentia Divina, revelatione magistra, suppositum esse nequit (*Logic.* §. 277.).

Absonum prorsus est atque ridiculum *Caietani* assertum, qui finxit *Deum ex parte suppositum esse, & ex parte personam*, quatenus est substantia singularis viva; Adeoque quædam suppositi & personæ requisita habet. Quod perinde est, ac si dicas: hominem ex parte brutum & ex parte angelum esse, quoniam homo habet quædam requisita, quæ in brutis, nimirum corpus organicum, & quædam, quæ in angelis deprehenduntur, videlicet spiritum ra-

rationalem. Sed inconvenientissimi & absurdi sunt hi loquendi modi. Cui enim definitum competit, ei definitio competit, & cui definitio competit, ei definitum competit (*Logic.* §. 277. *in notis.*); Unde cui nec definitum competit, eidem nec difinitio competere potest, & contra. Quare cum necessarium suppositi atque personæ requisitum, nimirum incommunicabilitas in Deum, seu essentiam Divinam minime cadat; Sane non nisi absone personalitas & suppositum de Deo, sive essentia Divina prædicari potest; Adeoque per se patet, inepte dici Deum ex parte suppositum, & ex parte personam esse.

§. 838.

Græci patres, quorum nomem orthodoxia commendat, tres in uno Deo affirmarunt ὑποστάσεις. Verum enim vero in Deo vel consideratur ipsa essentia, vel modus eam habendi: Essentia Divina, & specie & numero omnibus tribus eadem est, bis, pluriesve existere repugnat (§. 813.). Hanc essentiam Concilii Constantinopolitani patres οὐσίαν vocarunt (§. 657.). Huic autem essentiæ contradistinxerunt iidem patres τὴν ὑπόστασιν, asseruerunt que tres hypostases in uno vero Deo; Adeoque oculos intenderunt utendo hoc termino in modum habendi essentiam eandem Divinam, qui modus variat, quoniam Pater suam essentiam a semetipso, nec ab ullo alio, Filius non a se, ast a Patre, & quidem solo, ac per generationem, Sp. S. denique eandem nec a solo Patre, nec per generationem, sed per spirationem a Patre & Filio simul habet (§. 675.), & quia Pater, Filius, nec non Sp. S. propterea tria diversa inter se sunt suppositа per eminentiam (§. 831.); Hæc tria diversa *suppositа* nuncuparunt tres ὑποστάσεις, quem significatum hujus vocis fixum reddidit Concilium Constantinopolitanum (§. 657.). Cum

τρεῖς ὑποστάσεις tres asserimus,

patribus Græcis itaque merito in uno vero Deo tres asserimus esse ὑποστάσεις suppositа per eminentiam, quatenus hi tres, qui simul unus ille verus Deus sunt, triplici diverso modo essentiam Divinam possident.

§. 839.

Quod confirmatur Hebr. I. 3.

Apostolus ad *Hebr.* I. 3. de Christo hæc prædicat: *Qui cum sit splendor gloriæ*, ὢν ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ (Πατρὸς), φέρων τε τὰ πάντα τῷ ῥήματι τῆς δυνάμεως αὐτοῦ, δι' ἑαυτοῦ καθαρισμὸν ποιησάμενος τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ τῆς μεγαλωσύνης ἐν ὑψηλοῖς, & *character suppositi ejus* (Patris), *portansque omnia verbo potentiæ, per se purgationem peccatorum vestrorum faciens, sedet ad dextram majestatis in excelsis.* Ex contextu luculenter patet, hic Apostolum loqui de Jesu Christo Dei Filio, eumque vocare characterem suppositi Patris, quatenus nos redemit a nostris peccatis, omniaque sua potentia portat, & hoc facto sedet in cœlis ad dextram majestatis Patris sui. Vocabulum ὑπόστασις in aliis S. S. locis quidem invenitur, veluti II. *Corinth.* IX. 4. XI. 17., ἐν ταύτῃ τῇ ὑποστάσει τῆς καυχήσεως, *in hac substantia gloriationis*, & alibi; Attamen ex ipsis his verbis patet significatum hujus vocis ex his locis non posse scrutari, quia rebus tribuitur inanimatis; Adeoque eruendus est ex contextu ac analogia fidei. Ex contextu docemur Filium Dei Jesum Christum vocari ὑπόστασιν *suppositum* Patris, eidemque hoc ipso contra distingui. Verum enim vero Filius sua essentia Divina cum Patre unus est, eandemque numero essentiam possidens (§. 752.); Adeoque sua essentia Patri suo contradistingui nequit, sicque ὑπόστασις essentiam vel substantiam ejus, qua iterum cum Patre idem numero est (§. 827.), de-

denotare nequit. Atat! Filius diversum a Patre suo est suppositum per eminentiam (§. 831.), quo Patri contradistingui valet. Unde facillime colligitur, quod Apostolus Jesum Christum Dei Filium Patri suo contradistinguens, quod sit character τῆς ὑποστάσεως Patris, nos doceat eundem diversum a Patre esse suppositum, seu ὑπόστασις denotat suppositum.

Quoniam in sacris paginis non legimus diserte Sp. S. suppositum nuncupari, qui tamen non minus ac hi duo diversum ab iis est suppositum; hinc præcedentem præmissimus propositionem, ut veritas, quæ quidem loco classico in scriptura non reperitur, in ea tamen continetur, ex iis, quæ diserte affirmat, legitima consequentia eluceat. Ceterum ex hac ipsa propositione evidens est, quando vocabulum aliquod ex aliis locis sacri codicis definiri possit: nimirum toties, quoties in aliis locis prædicatur de rebus iisdem, vel similibus, quando vero non; Scilicet toties, quoties prædicatur de rebus dissimilibus; simulque patet in posteriori casu semper ad contextum, analogiamque fidei recurrendum esse. Atat! de his regulis hermeneuticis ex instituto in ipsa hermeneutica agendum erit, cujus hic solummodo viam pandimus.

§. 840.

Ex vocabulo ὑπόστασις in Ecclesia magna nata est digladiatio cum circa originem, tum circa significatum ejus. Circa originem, alii id ex schola Platonica ortum & in ecclesia introductum esse volunt, alii vero contendunt originem traxisse ex codice sacro, inprimis ex loco *ad Hebr.* I. 3., ubi Dei Filius dicitur χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως τοῦ Πατρὸς *character substantiæ Patris.* Quoniam Epistola ad Hebræos lingua Græca conscripta est, dubitari neutiquam po-

Quæ circa vocem ὑπόστασις notanda.

potest scriptorem sacrum adhibuisse, immo uti debuisse vocibus ac vocabulis Græcis notis: Adeoque mirari nequit idem vocabulum legi & in codice sacro & apud autores profanos. An vero hic, illeve ecclesiæ pater hoc vocabulo utendo oculos intendit animi ad Platonis philosophiam, an ad scriptorem sacrum? nec affirmari, nec negari potest in specie, sed ex cujusvis patris scriptis eruendum est, quod curiosis relinquimus, quoniam hoc rem ipsam minime mutat, sicque veritati obicem nullatenus ponit. Dissensus enim in re, non autem circa originem vocis alicujus hæresin parit. Atat! quia hæc vox loco citato in sacris deprehenditur, censemus patres hanc doctrinam de S. S. Trinitate ex sola revelatione agnoscentes (est enim rationi prorsus impervia (§. 649.), seu ignota) etiam hanc vocem ex ipsis sacris paginis hausisse tanquam ex nativa sua scaturigine. Majoris autem momenti est disquisitio sensus genuini hujus vocis. Perversa enim interpretatio, seu erroneus rerum conceptus omnino errorem gignit. Dolendum est, variam hujus vocis explicationem maximas in ecclesia contentiones, immo errores excitasse. Ne dicam, vocabulum ὑποστάσεως jam pro *insidiis*, jam pro eo quod inferius in vase subsidet ex. gr. pro fece vini, jam pro *insistentia* ac *consistentia* accipi, non insolitum quondam fuit id de ipsa Trinitate prædicari, ubi quidam per id intellexerunt ipsam Divinam *essentiam*, alii vero *suppositum*. Unde ortum est, ut mox unam in Deo ὑποστάσιν esse, statueretur. *Paulini* sectatores, unam in Deo profitebantur ὑπόστασιν, videlicet hanc vocem accipientes pro οὐσία *essentia* Divina ipsa, & hinc eos, qui cum *Mileto* militabant, & tres in Deo ὑποστάσεις affirmabant, Arianismi accusabant, quasi cum *Ario*; qui Filii essentiam ab ea Patris diversam defendit, Patris, Filii

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823346366/phys_0268
DFG

lii & Spiritus Sancti tres distinctas atque a se invicem separatas essentias docerent. E contrario patres, qui tres in Deo ὑποστάσεις admittebant, hypostasi accepta pro suppositо, vel subsistentia, eos, qui unam tantum in Deo hypostasin docebant, accusabant Sabellianismi, quasi cum *Sabellio* unum solummodo in Deo suppositum, quod diversos tantummodo habitus induerit, credant; ut adeo, miro exemplo, & asserentes & negantes tres in Deo ὑποστάσεις, pro heterodoxis haberentur. Et licet in Synodo Alexandrina, postquam utraque pars mentem suam explicaverat ita, uti veritati conveniens est, constitueretur utramque partem suo licite uti loquendi modo, & vel tres in uno Deo hypostases doceret, vel unam, prouti vocabulum hoc in hoc vel isto acciperetur sensu, non tamen motus illi omnino compositi fuerunt, donec tandem mos invalesceret, ut οὐσία & ὑπόστασις distinguerentur, & tres in Deo hypostases unanimiter ab orthodoxis docerentur. Et sane si dicendum, quemadmodum res ipsa postulat, stylo revelati verbi convenientius est, ut tres in uno Deo ὑποστάσεις asseverentur. *Hebr.* I. 3. enim Filius Dei dicitur χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως τοῦ Πατρὸς. Hinc per ὑπόστασιν Patris aut ejus essentia, aut ejus suppositum, substantiave intelligenda venit. Atat! prius intelligi nequit. Etenim dum essentia Divina omnibus tribus Divinitatis personis communis est ita, ut essentia Patris sit non minus eadem numero cum ipsius Filii essentia (§. 753.), sequitur, quod, si Filius est character essentiæ Patris, debeat quoque esse character suæ ipsius essentiæ Divinæ, seu quod sit sui ipsius character; id quod sensum minus planum fundit. E contrario si ὑπόστασις pro suppositо vel substantia accipitur, sensus manifestus est, & quidem hic, quod, uti Filius est ἀπαύγασμα τῆς δόξης τοῦ Πατρὸς *effulgen-*

tia gloriæ Patris, hoc est, uti totus complexus attributorum Divinorum Patris fulget in Filio, ut adeo qui Filium videt, ipsum videat Patrem *Joh.* XIV. 9.; ita non minus Filius sit character suppositi Patris, hoc est, ex quo cognosci potest, quod Pater habeat essentiam Divinam. Etenim Filius tanquam diversum a Patre suppositum eandem numero cum eodem habet essentiam veri Dei. Unde merito colligimus ad normam styli sacri codicis tres in uno Deo affirmandas esse hypostases, nec non hypostasin denotare suppositum, non autem essentiam. Cui plura de hac voce placent, evolvat *Naziazeni* orationes orat. 32. p. 520. & 39. p. 630. Ceterum evidens est, nullum terminum ecclesiasticum accipi debere, nec posse eo in sensu, qui notioni veri Dei contrariatur, ne in eandem simus injurii; Unde sua sponte error a veritate discernitur, qui hinc suapte corruit. E contrario certi esse possumus, nos veritatem Deo dignam & ab eo revelatam defendere.

§. 841.

Tres sunt προσώποι.

Revelatio nos docet in uno vero Deo tres esse personas per eminentiam (§. 832.). Verum enim vero quod Latinis *persona*, hoc Græcis πρόσωπον est, immo in ipsis sacris literis hæc vox in eodem venit sensu, veluti II. *Corinth.* I. 11. Συνυπεργούντων καὶ ὑμῶν ὑπὲρ ἡμῶν τῇ δεήσει, ἵνα ἐκ πολλῶν προσώπων τὸ εἰς ἡμᾶς χάρισμα διὰ πολλῶν εὐχαριστηθῇ ὑπὲρ ἡμῶν. *Una conferentibus subsidiarum operam & vobis per deprecationem pro nobis, ut ex multis personis donum in nos per multos celebretur gratiarum actione pro nobis.* Unde facillime colligitur ad mentem codicis sacri in uno vero Deo tres esse statuendas πρόσωπα personas per eminentiam.

Pa-

Patrem meminisse se suam essentiam a se, non ab alio, Filium autem suam non a se, sed a solo Patre, nec non Sp. S. suam non a se, ast a Patre, Filioque simul habere, extra omnem dubitationis aleam positum est; Dubitari itaque nequit tres in uno vero Deo esse προσώπους personas.

§. 842.

Tres personæ Divinæ non sunt nudæ relationes ad creaturas.

Revelatio nos docet Deum Patrem propterea nuncupari Patrem, quod Filium suum genuerit (§. 653.), & quidem generatione propria (§. 661.), eumque spiravisse Sp. S. (§. 675.). Porro Filium ideo dicendum esse Filium, quoniam proprie a Patre genitus est (§. 693.), nec non eundem spirasse Sp. S. (§. 675.). Denique Spiritum Sanctum ea propter spiritum Patris ac Filii ejus Jesus Christi dici, quod dependenter ab utroque essentiam suam Divinam nactus sit (§. 758.); Adeoque ratio denominationis harum trium personarum reperitur in ipsa relatione, quam hæ tres habent inter se, seu in modo habendi essentiam suam Divinam. Unde per se constat, in sacris literis has tres personas Divinas distingui inter se a relatione, quam habent inter se, seu a modo habendi essentiam Divinam; Et per consequens non esse nudas relationes ad creaturas.

Ex dictis luculenter patet a veritatis tramite *procul aberrare eos, qui personas in Divinitate habent tantum pro diversis ad creaturas relationibus.* Nec eos juvat, quod angeli, vel fideles in sacris quoque filii dicantur Dei. Etenim nec angeli, nec fideles proprie a Deo geniti sunt, quemadmodum Jesus Christus unigenitus Dei Filius, ne dicam eos vocari filios Dei, quo indigitantur hæ tres Divinæ personæ simul, non autem solus Pater. Multo minus concludi ab homini rationali potest has tres esse nudas

das relationes ad creaturas eo, quod Jesus Christus dicatur filius hominis aut Mariæ, per quam non nisi humanam suam naturam adeptus, quod minime attinet ad Divinam suam naturam, de qua sola loquitur, quando de tribus personis Divinis sermo instituitur. E contrario diserte scriptura docet has tres personas Divinas realiter distinctas esse in relatione inter se, quia modus habendi essentiam Divinam nullatenus dependere potest a re quadam creata, sed solummodo ab ipso Deo, qui solus suam essentiam aliis personis communicare valet.

§. 843.

Personæ Divinæ quomodo concipiendæ,

Quoniam scriptura magistra præter unam eandemque numero essentiam Divinam omnibus tribus, qui simul verus Deus sunt (§. 753. 799.) communem, cognoscimus hos tres essentiam hanc, quæ a se est, non eodem habere modo, sed potius diverso ita, ut Pater eam a se, nec ab alio (§. 655.), Filius autem eam ipsam non a se, sed a solo Patre (§. 754.), nec non Spiritus Sanctus eandem non a se, nec a solo Patre, sed a Patre ac Filio simul possideat (§. 802.), atque unumquemque horum trium habere intellectum perfectissimum (§. 652. 198. 714. 761.); Adeoque possidere actum sibi omnes omnino res distincte repræsentandi (*Psychol. empir.* §. 275.); Quin memoriam sui, seu quomodo quivis eorum essentiam suam nactus sit, habeat, dubio caret (*Psychol. empir.* §. 175.). Quare cum persona sit ens quod memoriam sui conservat (§. 832.). Ex sacro codice acquirimus distinctam Divinarum personarum notionem, quando cognoscimus unamquamque earum distincte sibi repræsentare, quomodo suam essentiam acquisivit.

Jam jam nobis ideam possumus formare distinctam, quid

quid sibi velit, quando ad mentem scripturæ cum Theologis de tribus in uno Deo loquimur personis: nimirum unum esse verum Deum, qui eandem numero essentiam suam Divinam tribus inter se realiter distinctis modis possidet, & harum quambibet distincta gaudere memoria, quomodo hanc ipsam essentiam adepta. Et qui in qualibet persona hæc tria consideranda veniunt, videlicet 1) essentia Divina, quæ omnibus tribus simul sumtis eadem est numero, 2) modus habendi hanc essentiam realiter diversus, & denique 3) memoria, quam quævis earum possidet, de hoc diverso modo; Hinc quælibet harum personarum composita dicitur ex essentia & modo eam habendi, quam vulgo relationem denominant Theologi, cui adjuncta est memoria ejusdem, non per compositionem physicam, utpote quæ propter simplicitatem Divinam in Deum cadere nequit, sed analogice ita dictam, quippe quæ cum vera compositione aliquam habet similitudinem. Hanc propositionem exornavimus, ut notio de personis Divinis evadat distincta, ita ut non solum ab erroris præcipitiis tuti incedamus, sed & distincte proponere valeamus, quæ cogitamus, quando dicimus Deum sese revelasse trinum in personis, ne videamur a hæreticis sonos sine mente proferre.

§. 844.

Codex sacer nos docet Deum Patrem propterea verum esse Deum, quod omnia omnino attributa soli Deo propria possideat (§. 652.): Hic porro probat Filium Dei ea propter nuncupari Deum, quod omnibus his determinationibus, seu attributis Divinis gaudeat (§. 744.): simulque affirmat Spiritum Sanctum ab iisdem attributis essentialibus veri Dei vocari Deum (§. 786.). Verum enim vero attributa, quæ per omnia essentialia simul determi-

nec distinguuntur proprietatibus essentialibus, sed relativis,

nantur dicuntur proprietates essentiales, sive attributa propria (*Logic.* §. 66.). Pater itaque, Filius, nec non Spiritus Sanctus, seu tres Divinæ personæ habent easdem proprietates essentiales; Adeoque proprietates essentiales Patris proprietatibus essentialibus Filii, aut Sp. S. salvo omni prædicato, quod huic absolute convenit, substitui possunt, & viciſſim, seu hæ proprietates sunt diversæ (*Ontol.* §. 183.); Unde per se patet has tres Divinas personas distingui minime posse, quatenus possident proprietates essentiales, seu attributa propria. A modo autem habendi has proprietates essentiales, seu essentiam Divinam dicuntur personæ (§. 843.), seu personæ hæ præter attributa propria gaudent proprietatibus ex modo habendi essentiam Divinam cognoscendis, hoc est, quæ his personis simul absolute non conveniunt, sed tum demum intelliguntur, quando ad reliquas referuntur: nimirum generare & gigni, spirare & procedere. Quamobrem cum id dicatur Relatio, quod rei absolute non convenit, sed tum demum intelligitur, quando ad alterum refertur (*Ontol.* §. 856.); Personæ hæ habent proprietates relativas. Atat! generare & gigni, sic spirare ac procedere sibi mutuo salvo omni prædicato sibi invicem substitui minime possunt; sunt igitur hæ proprietates relativæ toto cœlo inter se diversæ (*Ontol.* §. 183.); Ex scriptura itaque constat has tres Deitatis personas toto, ut dicitur, cœlo diversas esse, seu distingui posse proprietatibus suis relativis.

Hæc propositio illustrabitur exemplo, ut eo melius intelligi possit. Ex. gr. In triangulo rectilineo ratio æquali-

litatis trium angulorum ad duos rectos determinatur per numerum laterum ac speciem linearum; Adeoque per omnia essentialia trianguli rectelinei (*Logic.* §. 64.). Est igitur æqualitas trium angulorum cum duobus rectis proprietas trianguli rectilinei. Sed numerus ternarius angulorum per solum numerum laterum determinatur, non attenta specie linearum, atque ita attributum commune est, quod omni triangulo competit, sive id rectilineum fuerit, sive curvilineum, sive mixtilineum, non tamen aliæ figuræ præter triangulum. Eodem modo sese res habet cum quantitate anguli unius in sexagono regulari & numero senario angulorum ejusdem saxagoni. De numero autem ternario in se considerato non intelligitur, quod sit pars senarii, seu eodem minor; nec de senario in se spectato, quod sit ternario major: sed illud patet, dum ternarius ad senarium refertur; hoc autem liquet, dum senarius refertur ad ternarium. Esse adeo partem senarii, seu esse minorem senario, relatio quædam est: & esse majorem ternario itidem relatio quædam est. Sic de *Adamo* in se considerato non intelligitur, quod sit pater; nec de *Caino* in se spectato, quod sit filius; sed illud demum patet, ubi *Adamus* ad *Cainum* refertur; hoc autem constat, ubi *Cainus* refertur ad *Adamum*. Esse igitur patrem, quod unico nomine paternitatem dicimus, est relatio: esse filium, quod uno vocabulo filiationem salutamus, itidem relatio est. Hæc, si ad tres personas refers, constabit attributa essentialia veri Dei omnibus tribus simul sumtis esse propria; Adeoque nullam harum trium discerni posse per proprietates essentiales, quæ numero eædem sunt, seu personas in se consideratas, quatenus essentiam possident Divinam, non posse intelligi, quis harum Pater, quis Filius, aut quis sit Spiritus Sanctus. Atat! illud demum patet, si Pater ad Filium & Sp. S., si Fi-

lius ad Patrem & Sp. S., nec non quando Sp. S. ad reliquas duas refertur. Paternitas igitur, filiatio, ſpiratio ac proceſſio ſunt proprietates relativæ perſonarum Divinarum. Hic vero probe animadvertendum eſt, hoc exemplo ſolummodo notionem Triados illuſtrari, non autem hoc exemplum in omnibus idem eſſe cum ipſa S. S. Trinitatis idea. Exemplum enim omne, extra comparationis tertium applicatum, claudicat. Sic in notione Triados tres, qui ſunt verus Deus non ſolum ſola ſpecie, uti triangula, vel *Adamus* ac *Cainus*, ſed & ſpecie & numero easdem habent proprietates eſſentiales. Comparatio igitur ſolum quærenda eſt in modo conſiderandi tres perſonas, vel in ſe, ſeu quoad attributa earum propria, quæ omnibus ſimul eadem, & quidem tanquam verus Deus, numero ſunt, vel in relatione ad hanc, illamve perſonam, ubi Pater ſua paternitate, & per ſpirationem a Filio & Sp. S. diverſus, quemadmodum Filius per filiationem ſuam ac ſpirationem a reliquis, aut Sp. S. per proceſſionem ab his duobus. Hæc notaſſe non piget, ne perverſum quis, aut erroneum Triados conceptum ſibi formet.

§. 845.

per quæ in eſſe ſuo conſtituuntur. Quoniam docente ſcriptura hæ tres Divinæ perſonæ attributis propriis minime diſtinguuntur, ſed hæc eadem numero ſunt; aſt per proprietates relativas diſcernendæ veniunt (§. 844.). Perſona una a reliquis duabus determinatur per ſolas proprietates relativas; Proprietates igitur relativæ has tres Divinas perſonas in eſſe ſuo conſtituunt, ſeu proprietates relativæ perſonarum eſſentiam conſtiuunt. Plura vide in *Becani* Theolog. Schol. p. 261.

§. 846.

§. 846.

Stultum est *Medici Itali*, *Francisci Josephi Borrhii*, ut ita dicam, somnium, dum Mariam quartam Divinitatis personam esse, arbitratus est. Quid enim magis est inconvenientius, quid Deo indignius, quam præter revelationem Divinitus factam augere velle personarum Divinarum numerum. Quid dicam hominem, hoc est, creaturam pro ipso Deo velle haberi; Adeoque solo auditu hujus absurditatis ipsa refellitur, nec opus est argumentis, ubi rerum testimonia adsunt. *Maria quarta Deitatis persona esse nequit.*

§. 847.

Postquam a Salvatore nostro omnia erant consumata, quæ exigebantur, ut ab eodem patrarentur in his terris, isque in procinctu fuerat deserendi nostram tellurem, ita ad discipulos suos locutus fuit *Matth.* XXVIII. 19. Πορευθέντες ἐν μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς, καὶ τοῦ Υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος. *Profecti igitur docete omnes gentes, baptizantes eos in nomen Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Et sequente versu 20. pergit: *Docentes eos servare omnia, quæ mandavi vobis.* Ex his verbis disertis constat summam totius religionis, quæ a Jesu Christo instituta absolvi eo, quod servet omnis gens, quæ hic Apostolis suis mandavit, & ut baptizarentur in nomen Patris, Filii ac Sp. S., seu tota religio Christiana consistit in observantia totius legis euangelicæ, nec non in cultu Divino horum trium, Patris nimirum, & Filii, Spiritusque Sancti, qui cum sint illæ tres Divinæ personæ (§. 832.); in cultu Divino horum trium Deitatis personarum. Quamobrem cum cultus Divini præstatio ulli præter solum verum Deum enti blasphemia, seu summa injuria in ipsum Deum sit, Christo itidem magistro (§. 749.); *Trinitas personarum ex* Matth. XXVIII. 19. *confirmatur*

Patet cultum Divinum horum trium Deitatis personarum tanquam summam religionis Christianæ ab ipso Dei Filio juberi, quoniam hæ ipsæ tres sunt solus ille verus, uniceque colendus Deus, seu hæ tres personæ sunt verus ille Deus.

§. 848.

Exceptionibus occurritur.

Ipsi Adversarii coacti fuere agnoscere his Salvatoris verbis institui summam Christianæ religionis, seu veri Dei cultum; Adeoque per Patrem, Filium ac Sp. S. designari quodpiam, quod ipsi Deo inest. Nolentes vero Filium, Sanctumque Spiritum haberi pro personis revera Divinis, somniarunt potius his nominibus indicari quædam veri Dei attributa, pro quorum varietate Deus sese varie hominibus cognoscendum præbet. Concedimus quidem, immo constanter asseveramus vero Deo omnia simul inesse attributa, quibus ens perfectissimum ab omnibus entibus præter illum existentibus distinguitur, inque iis sese nobis agnoscendum dare. Atat! non jubemur a Dei Filio solummodo agnoscere hunc verum Deum, ast potius in nomen ejus baptizari; Atque sic eundem colere. Unde per se evidens est, per Filium ac Sp. S. non posse intelligi quædam Dei attributa, at potius quasdam inter se distinctas personas. Etenim si cum ipsis fingamus Filium, Spiritumque Sanctum esse aliquod Dei attributum vr. gr. omnisapientiam & omnipotentiam. Anne ἀνλλογία, immo redicula esset locutio, si juberemur baptizari in nomen Patris, hoc est, ipsius Dei, & in nomen omnisapientiæ ac omnipotentiæ hujus Dei? An non Patre, qui ipsis Deus est; Adeoque Deo nominato, ipsa ejus omnisapientia & omnipotentia nominata est? aut an potest verus Deus existere sine summa sapientia atque omnipotentia? Quis, obse-

secro, ut bene annotavit *Cantzius* de civitate Dei p. 63. hanc locutionem etiam inter homines ferret, si facere quid jubemur in nomine Cæsaris Augusti & in nomine sapientiæ Cæsareæ? Non potest igitur non concedi, Filium & Sp. S. pariter Divinas esse personas, ac Patrem. Plura legi possunt in *Fausti* dissert. de adorando Trinitatis mysterio.

§. 849.

Tres in Deo dantur personalitates.

Quot in essentia Divina sunt personæ, tot etiam in eadem debent esse personalitates. Etenim posito concreto, necessario etiam ponitur abstractum, siquidem in concreto continetur ratio sufficiens abstracti (*Ontol.* §. 56.). In abstracto enim solum considerabamus rerum modos, attributa & relationes, in concreto vero præterea simul subjectum cui modi, attributa ac relationes insunt (*Logic.* §. 110. *in notis.*). Hinc dum tres in essentia Divina personæ sint, seu tria subjecta, quorum quodvis suam possidet proprietatem relativam (§. 844.); Tres quoque personalitates in eadem numero essentia Divina sint, necesse est. Et quia paternitas Patri, Filio filiatio, ac processio Spiritui Sancto inest (§. *citato in notis.*); Hæ personalitates sunt paternitas, filiatio, nec non processio. Ut notio, quam revelatio de S. S. Trinitatis mysterio porigit, quantum comprehensibile est, distincta evadat, simulque ut & Scholastici Theologi intelligi queant, placuit has conficere propositiones, ita ut unicuique utiles simus.

§. 850.

Unus in Deo intellectus est.

Licet tres sint in Divinitate personæ, quarum quævis gaudet intellectu Divino (§. 652. 128. 713. 714. 761.), hoc tamen non obstat unicum tantum in Deo, seu in essen-

sentia Divina dari intellectum. Etenim personæ hæ solummodo differunt proprietatibus relativis, minime autem proprietatibus essentialibus, seu attributis propriis (§. 844.). Intellectus vero Divinus est attributum proprium, seu essentiale Dei (§. 128.); Qui itaque ad ipsam essentiam Divinam pertinet. Quare cum omnes tres Divinitatis personæ eandem numero possideant essentiam (§. 813.); omnibus tribus Deitatis personis simul sumtis idem numero intellectus Divinus est.

§. 851.

Errores refutantur.

Numerus I. At vero ex dictis hic formari posse dubium videtur. Cum intellectus ejus, qui alium generat ac spirat, alias habet repræsentationes, quam ejus, qui genitus, aut qui procedit ab alio: nimirum hic, quod generavit & spiravit, ille, quod genitus & spiravit, iste, quod ab his processit, & intellectus sit facultas sibi res distincte repræsentandi (§ 128. *& Psychol. empir.* (§. 275.); Hinc utique *videtur intellectum harum trium personarum differre*, quoniam intellectus generantis ac spirantis salvo omni prædicato, ei geniti & procedentis, & vicissim, substitui nequit. Ast, bona verba, quæso. Quemadmodum in ipso Deo triuno omnia attributa essentialia eadem sunt numero, & hæ tres personæ solummodo distinguuntur proprietatibus relativis (§. 844.), nec proprietatibus relativis tollitur identitas numerica essentialis: sic intellectus harum trium repræsentationes omnino omnes essentiales easdem numero esse, ex ipsa intellectus definitione evidens est (§. 128.), nec ejus identitas nnmerica tollitur repræsentatione proprietatum harum relativarum, quoniam proprietates relativæ essentialia attributa immutare nequeunt.

Nu-

Numerus II. Quemadmodum vana est exceptio: Aut Pater genuit Filium volens, aut nolens. Sin illud, E. libere, ut potuisset non generare. Sin hoc, E. Pater necessitatus (§. 665.). Eodem modo vana est argumentatio: *Pater generat ac spirat aut sciens, aut ignorans. Sed non ignorans, quia alias non esset omniscius; E. sciens.* Concedo totum argumentum Patrem hoc sciviſſe. Atat! non video inde concludi quid posse contra identitatem numericam intellectus divini harum trium personarum, quippe quæ minime dependet a repræsentationibus proprietatum relativarum, qualis hæc est, ast ab attributis propriis, quæ eadem sunt numero omnibus tribus *per demonstrata Num.* I. Si autem hanc conclusionem detorquere allaborant ex divina voluntate, patet ejus falsitas, quod divinæ voluntati subjicere conantur actum, qui eidem nullatenus subest (§. 664. 665.).

Numerus III. Denique patet *Guilielmi Scherlokii*, Angli, error, qui tres has personas vocavit tres Spiritus Sancti mentes infinitas, realiter a se distinctas, qui tres tamen mutua intima ac universali conscientia atque communione cogitandi sint unus idemque Deus, quemadmodum hoc ita observavit *Grapius* p. 178. Tres statuere mentes infinitas, idem est, ac affirmare tres Deos, quia ponens tria entia infinita, tres ponit Deos (§. 511. *in notis.*). Tres vero fingere Deos injuria in verum Deum est, & minis excandescentiæ summæ divinæ proscriptum (§. 647). Ne dicam unum intellectum tribus diversis mentibus inesse non posse.

§. 852.

Pater eandem numero possidet essentiam cum Filio (§. 75.), quia Filius omnia omnino attributa habet veri Dei (§. 743.); Adeoque ipsius Patris (§. 652.), sic Sp. S. cum his eandem nu-

Omnia attributa essentialia tribus his personis eadem sunt.

numero habet essentiam (§. 799.), propterea, quod iisdem gaudeat attributis divinis (§. 786.), & vicissim. Quamobrem cum Pater, Filius, nec non Sp, S. sint hæ tres personæ divinæ (§. 832.) Ex revelatione evidens est attributa essentialia trium divinarum personarum omnino omnia eadem esse numero.

Omniscientia igitur Patris est ipsa omniscientia Filii, aut Spirus Sancti, & vicissim. Omnipotentia Filii est eadem numero omnipotentia Patris, Spiritusve Sancti, & vicissim. Omnipræsentia Sp. S. est ipsa Patris, aut Filii, & vicissim. Sic omnia reliqua attributa essentialia veri Dei. Adeoque erroris sui redarguendi, qui uni personæ non idem numero tribuunt attributum essentiale divinum, quod de reliquis affirmant.

§. 853.

Actus personales quinam, Generationem salutamus actum (§. 654.), nec non spirationem vocamus actum (§. 675.). Verum enim vero Filius per generationem (§. 693.) & Sp. S. per spirationem essentiam suam divinam acquisivit (§. 801. 675.), & a modo habendi divinam essentiam hi dicuntur personæ (§. 832.); Consequenter modum, quo una persona divina cum altera suam essentiam communicavit, salutamus actum personalem Et per consequens generatio atque spiratio sunt actus personales.

Hic generationem ac spirationem activam intelligendam esse, per se patet.

§. 854.

& quot, Præter generationem ac spirationem non datur actus personalis. Etenim nullo alio modo persona divina essentiam suam cum reliquis communicavit (§. 660. 801.).

A-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823346366/phys_0282
DFG

Actus igitur personales duo sunt, nimirum generatio, nec non spiratio.

§. 855.

Quoniam revelatione magistra scimus Patrem (§. 652. 511.), Filium (§. 729.), nec non Sp. S. esse ens infinitum (§. 778.), & hos tres esse personas divinas (§. 832.), ac ab his personis dependere actus personales (§. 853.); Actus personales igitur sunt actiones entis infiniti. Verum enim vero actio enti infinito per eminentiam competit (*Ontol.* §. 848.); Scriptura itaque docet actus personales esse actus per eminentiam, seu actiones personis divinis per eminentiam competere. *bi sunt actus per eminentiam,*

Vel etiam sic. Pater (§. 652.), Filius (§. 743.), Spiritusque Sanctus sunt verus ille Deus (§. 786.), suntque tres personæ Deitatis (§. 832.), quibus tribuuntur actus personales (§. 853.); Actiones igitur personales sunt actiones veri Dei. Quamobrem cum actio Deo competat per eminentiam (§. 516.); Actus itaque personales sunt actiones per eminentiam.

Duplici hanc demonstrationem exornavimus modo, ut veritates divinitus revelatæ eo melius pateant. Quæ (§. 516.) notavimus, probe perpendant B. L., peto. Ut vero hæc propositio sine hæsitatione intelligatur, adde: Cum actio in ente finito sit mutatio status, cujus ratio in ipso subjecto continetur (*Ontol.* §. 713.), status autem mutatio in ente infinito, nimirum Deo locum minime habeat (*Ontol.* §. 839.); Ideo nec actio proprie loquendo eidem tribui potest. Quoniam tamen non repugnat, ut dentur in ente infinito analoga modorum, seu per eminentiam modificabile sit ens infinitum (*Ontol.* §. 846.), quibus status

in ente finito determinatur (*Ontol.* §. 710.), & eorum ratio est in ipso ente infinito; Eatenus datur in ente infinito, quod vicem actionis supplet, qualis est in finito. Actio igitur enti infinito non nisi per eminentiam competere potest. Cum itaque revelatio doceat has personas esse ens infinitum, quibus actus personales insint; Extra omnem dubitationis aleam positum sit, actus personales esse actiones per eminentiam, necesse est. Loquimur hic de ente infinito tanquam de finito, & ob analogiam, quæ inter ea, quæ utrique insunt, intercedit, quæ enti infinito insunt, eodem modo explicamus, quo eadem in ente finito explicari solent. Ipsa autem notio entis infiniti, vi cujus omnia simul inesse debent (*Ontol.* §. 838.), nec defectum ullum admittere potest, notiones rectificat, ne dictio quædam parum commoda errorem pariat. Neque enim entis infiniti notionem aliam habemus, nec habere possumus, nisi quatenus ea, quæ eidem conveniunt, analogiam quandam habent cum iis, quæ finito insunt. Plura in præsenti non addimus, cum notio entis infiniti ex sectione præcedenti clare fulgeat, quam legisse ac ruminasse supponimus, qui lectionem hujus sectionis aggreditur.

§. 856.

& quidem necessarii, essentiales ac æterni.

Scriptura magistra generatio divina est Deo essentialis, & absolute necessaria (§. 663.) nec non æterna, seu durationis interminabilis (§. 668.), sic spiratio Deo est essentialis ac absolute necessaria (§. 676.); adeoque & æterna. Quare cum non nisi hi duo sint actus personales, nimirum generatio & spiratio (§. 854.); Actiones igitur personales Deo absolute necessariæ, essentiales atque æternæ sunt.

Ex

Ex his evidens est actus personales divinos toto cœlo differe a cunctis actionibus divinis ad extra. Hæ enim sunt Deo essentiales, absolute necessariæ, æternæque; illæ vero, Ex. gr. creatio, conservatio, gubernatio &c. Deo non sunt ita essentiales, nec necessariæ absolute, aut æternæ. Versantur enim circa creaturas, seu res prorsus contingentes.

§. 857.

Convenientia horum actuum inter se,

Quoniam Pater verus est Deus (§. 652.), nec non Filius verus est Deus (§. 752.), & generatio est actus Patris (§. 654.) ac spiratio est actus cum Dei Patris, tum Filii Dei (§. 675.). Hi actus 1) conveniunt in eo, quod sint actus divini seu veri Dei. Porro hæ actiones personales Deo sunt essentiales, sunt absolute necessariæ atque æternæ (§. 856.). Conveniunt itaque 2) in eo, quod sint Deo essentiales, absolute necessariæ ac æternæ. Sic per generationem Filius a Patre essentiam suam divinam nactus est (§. 659.), & Sp. S. per Spirationem (§. 675. 801.) Generatio itaque ac spiratio 3) in eo convenenniunt, quod per utramque persona quædam divina essentiam suam divinam communicatam accipiat. Denique Pater, Filius, Spiritusque Sanctus sunt personæ divinæ (§. 832.), quæ distinguuntur per proprietates relativas (§. 844.), quæ essentiam harum personarum constituunt (§. 845.). Verum enim vero non nisi duæ dantur actiones personales, nimirum generatio & spiratio (§. 853.); Evidens igitur 4) has actiones convenire in eo, quod sint proprietates relativæ di-

vinarum personarum, per quas essentia earundem constituitur.

§. 858.

differentia eorundem.

Quoniam generatio est actus solius Patris generantis Filium suum (§. 654.), spiratio autem est actus & Patris & Filii simul (§. 675.). Generatio a spiratione differt 1) in eo, quod generatio sit actus solius Patris, spiratio autem & Patris & Filii simul. Ita per generationem Filius (§. 693.), per spirationem vero Sp. S. essentiam suam accepit divinam (§. 801.), qui hinc ingenitus dicitur (§. 803.). Hæc igitur ab ista 2) diversa est eo, quod per generationem Filius, ac per spirationem Sp. S. suam essentiam acquisiverit. Deinde Pater dicitur Pater ob generationem Filii (§. 653.), & ob eandem Filius appellatur Filius (§. 693.), ob spirationem autem Sp. S. a Patre & Filio diversus est (§. 807.), & Spiritus Patris, Filiique nuncupatur (§. 758.). Unde 3) generatio differt a spiratione, quod ab hac Filius, ab illa Sp. S. nomen suum adeptus sit. Denique licet generatio ac spiratio conveniant eo, quod sint proprietates relativæ essentiam personarum constituentes (§. 857.). Hoc tamen non obstante 4) in eo differunt, quod generatio constituat solam Filii & spiratio Sp. S. essentiam, nec non utraque essentiam Patris distinguendam præbeat, quippe qui nec genitus nec spiratus. Etenim genus, nimirum hic proprietas relativa non obstat, ut individua, qualia sunt paternitas, filiatio ac spiratio inter se differant. Cum potius,

tius, si individua distincte cognoscere desideras, distinctam formare notionem generis, necesse sit.

Exemplo hoc illustrari potest. Definitio rectilinei trianguli in eo convenit cum definitionibus trianguli curvilinei, aut mixtilinei, quod sit definitio trianguli, & quod hinc per eam triangulum a quavis alia discerni queat figura. Atat! in definitione hac diversitas reperitur, si eandem applicas aut triangulo rectilineo, aut curvilineo, aut mixtilineo. Etenim eadem solum quadrat applicata ad triangulum rectilineum; non autem ad mixti-aut curvi-lineum, ita ut potius eorum diversitatem a se invicem indigitet. Sic generatio atque spiratio consideratæ in se sunt proprietates relativæ, quibus personalitas ab essentia divina distinguitur. Conveniunt itaque in eo, quod sint proprietates relativæ essentiam personalem constituentes. Ast si easdem in concreto spectas, seu applicas vr. gr. generationem, patet eam non posse passive Patri, nec ullo modo Spiritui Sancto tribui; Adeoque ob generationem passivam Filium a reliquis discerni. Unde evidens est generationem hoc sensu consideratam a generatione activa ac spiratione prorsus diversam esse. Si autem quæris, in quo generatio, in quo spiratio consistat, respondeo, me hoc in relevatione nunquam legisse, & hanc quæstionem pertinere ad S. S. Triados mysterium, quod sola revelatio docet, ratio autem plane ignorat; Adeoque tacente verbo divinitus revelato confitendam esse doctam ignorantiam, quæ agnoscit hominem finitum capere nec posse, nec, si sapiens est, velle incomprehensibilia Dei. Hoc quidam ecclesiæ pater ita profert:

Digne loqui de personis, vim transcendit rationis,
Quid sit nasci, quid processus, me nescire sum professus.

§. 859.

§. 859.

Actus personales sunt actus ad intra.

Differentia actionum divinarum in genere hoc loco notari meretur. Deus enim vel consideratur tanquam actuosus circa entia præter eum existentia, quippe quæ existentiæ suæ rationem non in se (§. 8.), sed solum in Deo habent (§. 9.), ab eo, quod hæc entia extra Deum existant, Deus extra se actuosus dicitur. Actiones igitur divinæ circa entia extra Deum existentia, salutamus actus ad extra. Vel Deus spectari potest tanquam communicans suam essentiam reliquis divinitatis personis; Unde actus personales nomen acceperunt (§. 853.). Quoniam actus personales versantur circa ipsam Deitatis essentiam (§. *citato.*), seu id, quod Deo inest. Actus igitur personales vocamus actus ad intra, seu actus personales sunt actus ad intra. Denique per proprietates relativas distinguimus has personas divinas (§. 844.), Adeoque ab his proprietatibus dependet notio personarum divinarum. Quare cum actus personalis sit modus, quo una divina persona cum altera suam communicavit essentiam (§. 853.); actus personales quoque appellari queunt actus notionales.

§. 860.

Nota personarum quid,

Quoniam notas appellamus rebus intrinseca, unde agnoscuntur, & a se invicem discernuntur (*Logic.* §. 79.); Id, quod cuivis personæ intrinsecum est, unde agnoscitur, ac a reliquis discernitur, salutamus notam personæ.

Acutus dubitabit nunquam usque ad notas personarum Divinarum progrediendum esse iis, qui distinctas S. S. Trinitatis amant notiones, quia his a se vicem rite discernuntur.

§. 861.

§. 861.

Revelatio nos evicte docet proprietates relativas, *quales*, ex actibus personalibus resultantes (§. 853.), Deo esse essentiales (§. 856.); Adeoque Deo, seu personis Divinis intrinsecas esse, ex quibus hæ personæ distincte agnoscuntur (§. 843.), nec non rite a se invicem distinguuntur (§. 844.). Quamobrem cum id, quod cuivis personæ intrinsecum est, unde agnoscitur, ac a reliquis discernitur, nota personæ sit salutandum (§. 860.); proprietates relativæ personarum Divinarum notæ sunt.

Quanti habenda sit cognitio distincta proprietatum relativarum, nec non actuum personalium ex ipsa hac propositione luce meridiana clarius est. Etenim per eam ipsam ab una parte eo usque progredi valemus, quousque intellectus finitus revelatione duce progredi potest; ab altera vero parte ipsi non solum his notionibus distinctis ab erroris præcipitiis tuti incedere possumus, sed & errantibus simul rectam semitam, qua eundum, ostendere, eosque, nisi error in voluntate eorum lateat, ad ipsam veritatis agnitionem manuducere valemus, quod nobis unice cordi, curæque est, non disputantes, nec ostentationis gratia scribentes, sed veritatem indagantes, amice ducentes, quos in erroris abissu præcipitatos vidimus, ut nobiscum Numen colendum venerentur cultu ab ipso Deo nobis præscripto.

§. 862.

Quoniam eum solemus vocare patrem, a quo alius de- *& quænam.*
pendet per generationem (§. 653.), & generatio est actus personalis (§. 853.), qui hinc dicitur paternitas (§. 849.), seu proprietas relativa Patris, per quam Pater omnino differt a reliquis Deitatis personis, siquidem generatio activa est actus solius Patris, qui nec Filio, nec Sp.

S. ullo modo competit (§. 858.). Ab hoc actu personali, nimirum generatione activa Pater discernitur a reliquis Divinis personis, seu paternitas est proprietas relativa, quod perinde est, ac personalis Patris. Pariter quia filius nuncupatur, qui ab alio genitus est (§. 693.), & generatio passiva, quæ supponit generationem activam, quæ est actus personalis (§. 853.), & a generatione passiva oritur filiatio (§. 849.), seu proprietas relativa Filii, per quam Filius prorsus diversus est a Patre, siquidem ei generatio passiva competere nequit, quippe qui essentiam suam non ab alio, sed a se habet (§. 655.), & ingenitus est (§. 682.), nec non a Spiritu Sancto, quippe qui non per generationem, unde ingenitus dicitur (§. 803.), sed per spirationem essentiam suam communicatam accepit (§. 801.), omnimode differt (§. 858.). Ab hoc actu personale, nimirum generatione activa, a qua Filius passive suam essentiam nactus est, hic distinguitur a duabus reliquis personis, seu filiatio est proprietas relativa, quod perinde est ac personalis Filii. Denique quoniam Spiritus Sanctus Spiritus Patris & Filii ea propter appellatur, quod ab utroque suam essentiam acquisiverit (§. 758.), & quidem per spirationem (§. 674.), ac spiratio est actus personalis (§. 853.), & idem actus ad Sp. S. relatus processionis nomine insignitur (§. 675.), seu proprietas relativa Spiritus Sancti, per quam idem a Patre, Filioque prorsus diversus est, siquidem processio nec in Patrem nec in Filium cadit (§. 858.). Ab hoc actu personali, nimirum spiratione Sp. S. discernitur a Patre atque Filio, seu pro-

processio est proprietas relativa, quod perinde est ac personalis proprietas Spiritus Sancti.

Proprietates relativas quoque vocamus personales, quia apud Theologos utrumque vocabulum in eodem sensu reperitur. Ne itaque his errorem inesse, quis præcipitanter judicet, aut aliquid monstri alere eum, qui vel hoc, vel isto utitur vocabulo, dicimus eosdem utramque vocem adhibere eodem sensu, & sic quoque eos intelligendi copia data est. Ceterum notari meretur has proprietates relativas non tantum per intellectus operationem, ast potius realiter differre. Quis enim sanus genitum pro generante hujus & generantem pro genito generantis, hoc est filium pro patris sui patre, aut patrem pro filio filii sui habebit? vr. gr. quis eousque absurdus erit, ut affirmet *Adamum* esse patrem *Caini*, *Cainum* esse filium *Adami*, & hunc ipsum *Adamum* esse filium *Caini*, & *Cainum Adami* parentem? Aut quis affirmabit distinctionem inter *Adamum* patrem ac *Cainum* filium non esse realem, at mentis tantummodo operationem? Sic quis non tenetur, nisi scepticus sit, realem differentiam concedere inter spirantem, qui vel a se, vel a solo Patre est, & procedentem, qui nec a se, nec a solo Patre, ast a Patre, Filioque simul est. Adeoque etiam per has ipsas proprietates relativas hæ personæ realiter a se invicem distinguuntur. Tolle enim has proprietates relativas, tolles etiam discrimen reale harum personarum, & nihil supereſt, nisi ipsa essentia Divina, in qua omnes tres sunt unum (§. 813.). Et si hoc reale discrimen tollis, tollis id, quod Divinitus revelatum est. Ex sacris enim hanc doctrinam solum haurimus.

§. 863.

Quia rerum in mente repræsentatio notio, ab aliis idea *Notio personarum est distincta,*

idea appellatur (*Logic.* §. 34.); Repræsentatio itaque Divinarum personarum in mente salutanda notio personarum. Quamobrem cum proprietates relativæ personarum Divinarum notæ sint (§. 861.), quas definire possumus (§. 862.); Consequenter & distinguere. Et ea notio distincta sit, si notas, quas nobis sistit, distinguere valemus (*Logic.* §. 88.). Notio igitur personarum Divinarum distincta sit, necesse est.

Si id, quod Cl. *de Wolfius* summo cum acumine, maximaque cum industria de notionibus docuit, meditamur, evidenter patet, nostram notionem, aut, si mavis, ideam de S. S. Trinitatis personis distinctam esse, simulque constabit, quomodo ad eam pervenimus, sicque usus propositionum præcedentium per se evidens est. Non opus esse verbis, ad probandam necessitatem notionis distinctæ existimo, quia absque ea verus Deus tanquam verus Deus coli nequit. Taceo in parte altera hujus Theologiæ hanc doctrinam sese demonstraturam solam salutarem.

§. 864.

& vera, Revelatione teste proprietates relativæ sunt (§. 844.); Quin possibiles sint, dubio caret. Quare cum ea notio vera sit, quæ possibilis est (*Logic.* §. 547.), & proprietates hæ personarum notæ sint (§. 861.); Notio igitur personarum vera est, in qua conjunguntur, quæ his personis inesse possunt (*Logic.* §. 547.).

Sic non nisi stultus dicere potest, non dantur tres personæ.

§. 865.

quænam; Scriptura magistra scimus Patrem αὐτόθεον esse, quia

a

a se ipso Deus est non solum quoad essentiam divinam, sed & quoad modum habendi essentiam hanc (§. 655.), reliquas autem personas non esse a se, sed vel a Patre (§. 754.) vel a Patre & Filio simul (§. 802.); Adeoque hæc proprietas relativa nota personæ hujus, quæ Pater nuncupatur, est (§. 862. 861.). Verum enim vero hanc notam, quam nobis sistit, distinguere valemus a generatione passiva ac processione (§. 858.). Quare cum ea notio sit notio distincta (§. 863.); Notio igitur distincta patris est, quod essentiam divinam non ab alio, sed a se habeat, seu, quemadmodum quidam loquuntur Theologi, quod omni principio sui careat, sive ἄναρχον εἶναι.

Filius autem essentiam, quæ a se est, non a se, sed a solo Patre per generationem habet (§. 754. 693.); sicque a Patre, qui a se (§. 655.), & ingenitus (§. 682.), nec non a Spiritu Sancto, qui ingenitus est (§. 803.), nec a solo Patre, sed a Patre ac Filio simul per spirationem suam nactus est essentiam (§. 801.), realiter differt (§. 807.); Adeoque hæc proprietas relativa nota personæ, quæ Filii nomine insignitur, est (§. 862. 861.). Verum enim vero generationem passivam a modo habendi suam essentiam a se ipso ac a processione bene distinguere possumus (§. 858.). In qua distinctione, cum notio distincta consistat (§. 863.). Quin notio Filii distincta sit generatio passiva, seu essentiam divinam per generationem a solo habere Patre, extra omnem dubitationis aleam positum est.

Denique Spiritus Sanctus suam divinam essentiam a se non, aut a Patre atque Filio simul habet per spirationem (§. 801.), & hoc habendi suam essentiam modo a Patre, qui

a se est (§. 655.), nec non a Filio, quia a solo Patre, & quidem per generationem (§. 754. 693.), realiter diversus est (§. 807.); Adeoque hæc proprietas relativa nota Sp. S. est (§. 862. 861.). Enimvero processio ab aseitate in modo habendi essentiam ac a generatione distinguere valemus (§. 858.). Quin notio distincta Spiritus Sancti sit processio, seu essentiam habere divinam a Patre, Filioque Simul per spirationem, dubio caret.

Hoc loco sumitur τὸ ἄναρχον εἶναι, sive *omni sui principio carere*, non ratione temporis, quia hoc sensu non solum Pater, sed quoque & Filius & Sp. S. æterni sunt, principioque, seu initio temporis carent, sed pro definitione de principio (§. 679.) data, quod ideo monemus, ne quis existimet, se inveniisse in his verbis quid, quod pueri in faba.

§. 866.

& *quot*, Sunt igitur pro numero personarum trino (§. 832.), & earum notis, numero tribus (§. 862.) tres distinctæ notiones personales, nimirum omni sui principio carere, seu ἄναρχον εἶναι, generatio passiva & processio.

Sunt, qui duas solummodo notiones personales statuere volunt, videlicet ἀγεννησίαν & processionem, seu spirationem passivam. Litem iis nullatenus movebimus, modo a veritatis semita non aberretur. Potest quidem ἀγεννησία in latiori sensu denotare id, *quod nulla ratione, nec per generationem, nec per spirationem ab ullo est*, pro notione personali Patris haberi, siquidem ita sumta hac voce, idem est, quod vocavimus omni sui principio carere, seu

&

& essentiam & existentiam a semetipso habere: Si autem in significatu strictiori denotet tantummodo, *per generationem non esse ab alio*, admitti non potest, quia necesse est quamlibet personam a reliquis distingui posse (§. 863.), nec hoc sensu Patrem a Sp. S. distinguere valemus, utpote & hic ingenitus (§. 803.). Per spirationem activam non potest Filius a Patre distingui, quippe hæc utrique competit (§. 801.); Unde minus commode ex notionibus solummodo duabus notio distincta trium personarum acquiritur, quæ tamen manifesta est positis notionibus nostris tribus.

§. 867.

Ex dictis, revelatione magistra, itaque evidens est primam Deitatis personam, nimirum Patrem esse eam, quæ suam essentiam a se habet, eamque cum Filio per generationem, nec non per spirationem cum Spiritu Sancto communicavit. *Dei Patris definitio.*

§. 868.

Eodem modo ex sacro codice luculenter patet secundam divinitatis personam, scilicet Filium eam esse, quæ suam essentiam revera divinam a se non, sed a Patre, & quidem eo solo communicatam accepit. *Dei Filii.*

Ex hac definitione non solum liquido constat differentia, quæ Deum Patrem inter & Filium, sed & ea, quæ Filium inter atque Sp. S. intercedit. Ceterum quoniam inconveniens est duas tantummodo statuere notiones personales, rei vero conveniat tres affirmare (§. 866.); Hinc nec superabundat spiritionis Sp. S. a Filio in hac definitione mentionem injicere. Etenim nec ex ἀγεννησία Sp. S. patet, eundem quoque in sua existentia dependere

a Filio, nec ex generatione hujus, ipsum una cum Patre communicasse essentiam Divinam Spiritui Sancto; Adeoque facta tantum generationis Filii mentione tota differentia personarum non liquido constaret, sicque definitio defectum pateretur.

§. 869.

& Sp. S. definitio. Et ita ex verbo Divinitus revelato docemur tertiam Triados personam, videlicet Spiritum Sanctum esse eam, quæ suam Divinam essentiam nec a Patre solo, sed & a Patre, & a Filio communicatam accepit per spirationem. Cum nobis jam notione personarum Divinarum distincta facta via parata sit progrediendi ad ipsam S. S. Trinitatis notionem, & hæc notio vera sit (§. 864.), dubitari non potest ipsam Triados notionem veram futuram, modo ea legitima consequentia ex demonstratis ad ductum sacrarum literarum deducetur.

§. 870.

Pater est colendus cultu Divino, Pater, teste Scriptura, est verus ille Deus, cui essentia, attributa, operaque Divina, quæ soli Deo competunt; tribuenda veniunt (§. 652.), quique realiter a reliquis personis differt (§. 807.). Quamobrem cum Dei cultus non consistat nisi in actionibus per attributa Divina tanquam motiva determinatis (*Jur. natur. part.* I. §. 1229.); Deum Patrem cultu Divino venerandum esse, luculenter patet. Quæ hic notanda statim adduntur.

§. 871.

Filius, Sic Filius in sacris ab attributis Divinis verus vocatur Deus (§. 743.), seu is possidet omnia attributa essentialia veri Dei. Consequenter Dei Filius cultu veri Dei co-

colendus, teste definitione cultus Dei (*Jur. natur. part.* I. §. 1229.).

Hoc quoque demonstrari posset, cum ex honore divino, quo Filius honorandus (§. 747.), tum ex gloria Divina, qua gaudet, quæ complexus attributorum Divinorum est (§. 748.), tum ex adoratione, qua agnoscitur illum esse verum Deum (§. 749.), tum ex institutione baptismatis. In nomine Filii Dei ipsius jussu baptizandi (§. 750.). Quare cum Filius realiter diversus sit a Patre (§. 807. *Num.* II.); tanquam realiter diversus diversimode etiam colendus.

Diversitas cultus hujus Patrem inter, qui judicis munere, & Filium, qui salvatoris munere fungitur, & Sp. S., qui salutem per Christum impetratam applicat, suo loco luculentius patebit, quando de salute in scriptura revelata acturi erimus.

§. 872.

Spiritus Sanctus in sacris vocatur Deus, quia omnia attributa essentialia, quibus verus Deus cognoscitur, & ab omnibus omnino rebus, quæ verus Deus non sunt, distinguitur, possidet (§. 786.), & hic realiter a reliquis Divinis personis differt (§. 807. *Num.* III.). Quare cum cultus Dei non consistat nisi in actionibus per attributa Divina tanquam motiva determinatis (*Jur. natur. part.* I. §. 1229.); Spiritus Sanctus igitur cultu soli Deo proprio colendus est. *& Spiritus Sanctus.*

Realis trium personarum differentia influit etiam in modum colendi Deum. Etenim quia cultus Dei non consistit nisi in actionibus per attributa Divina tanquam motiva determinatis (§. *citato.*); Cui igitur attributa Divina insunt, is necessario cultu Divino venerandus est; Verum enim vero hæ tres personæ realiter differunt inter se (§. 807.),

ita tamen, ut cuivis earum omnia attributa Divina insint; Adeoque quævis earum prosequenda cultu Divino, qui respondet reali huic diversitati earum. Hæc diversitas colendi has inter se distinctas personas sole meridiano clarius constabit, quando parte altera hujus Theologiæ ex sacris docebitur, Patrem judicis, Filium Salvatoris ac Sp. S. paracleti munere fungi. Unde facile colligitur, quod, quia judex, Salvator atque paracletus prorsus inter se diversis funguntur muneribus, eosdem etiam diversimode venerandos esse, seu cuilibet harum personarum seorsim cultum Divinum exhibendum esse. Enimvero hæ tres personæ eadem numero habent attributa Divina (§. 852.), quæ essentiam eandem numero constituunt omnibus tribus (§. 813.); Adeoque si mentis oculos intendis ad essentiam harum trium, quarum quævis seorsim cultu veri Dei proprio honoranda, omnes tres simul eodem modo, seu quævis non cum exclusione reliquarum coli potest, nec debet, hoc est, idem cultus Divinus competit omnibus simul, nec differt, nisi quoad consideras proprietates relativas personales, & modum salvandi salvandos.

§. 873.

Verus Deus est triunus.

Revelatione magistra Patrem, Filium, Sanctumque Spiritum agnoscimus unum solum verum, seu eundem numero Deum, quatenus illi simul eandem numero essentiam, attributa ac opera Divina possident, quæ bis, pluriesve existere repugnat (§. 813.). Hoc tamen non obstante, hi tres sunt tres realiter a se invicem distinctæ personæ (§. 832.). Quamobrem cum id, quod eandem habet essentiam, tribus vero inter se diversis modis hanc essentiam possidet, triunum vocemus. **Deum verum esse Deum triunum, quatenus eandem numero** es-

essentiam Divinam tribus a se invicem prorsus diversis modis possidet, extra omnem dubitationis aleam positum est.

Vel etiam sic. Diserte hoc affirmat sacer codex. Sic enim *Johannes* I. *Epistol.* V. 7. ait: Τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῷ οὐρανῷ, ὁ Πατὴρ, ὁ Λόγος, καὶ τὸ ἅγιον Πνεῦμα, καὶ οὗτοι οἱ τρεῖς ἕν εἰσι. *Tres sunt testificantes in cœlo, Pater, Sermo & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt.* Originem Divinam horum verborum Johannis vindicavimus (§. 799.), & ostendimus eadem probare unitatem numericam horum trium, qui verus in sacris appellantur Deus, quod idem est, ac si dicas in uno Deo tres dari realiter diversas personas. Ut adeo evidenter pateat his verbis Johanneis Deum vocari triunum.

Et disertis scripturæ verbis, & legitima consequentia ex dictis sacri codicis apparet Deum esse triunum, quod nec is, qui locum Johanneum admittere recusat, negare potest nisi in ipsam revelationem sese incredulum esse, probare velit. Ceterum, qui meditatur ea, quæ diximus, quando unitatem Dei, nec non unitatem numericam essentiæ Divinæ horum trium, qui simul unus verus Deus sunt, ac trinitatem personarum Divinarum probaverimus, evidenter intuetur Deum triunum dici eo sensu, quo vulgo numerus unitatis & ternarii sumitur, & hoc termino simul respici ad essentiam Divinam, quæ bis, pluriesve existere repugnat, & ad proprietates relativas, quæ numero tres sunt (§. 849. 844.). Ut adeo idem sit, sive dicas Deus triunus, sive una essentia Divina consistit in tribus proprietatibus relativis. Quare cum & ex revelatione unitatem numericam Divinæ essentiæ distincte ac veram agnoscamus, & notio trium Divinarum personarum distin-

cta (§. 866.) atque vera sit (§. 864.); Dubitari nequit, quin notio triunius Dei distincta, veraque sit.

§. 874.

Trinitas quid?

Qui Deum agnoscit triunum, de eo dicimus, quod Trinitatem credat. Trinitatem igitur, credit, qui credit in Deum triunum. Verum enim vero notio Dei triunius distincta ac vera est (§. 873.); Consequenter Trinitas distincte agnosci potest, eaque vera est.

Quia Trinitas distincte potest agnosci, eaque vera est, per se patet omnes illos a veritate procul aberrare, qui hanc salutarem doctrinam vel negant, vel distincte agnocere recusant, simulque omnia eorum argumenta sua sponte in fumum abire coram iis, qui hujus doctrinæ distinctam acquisiverunt notionem.

§. 875.

Antitrinitarius & quid? Antitrinitarismus

Quoniam sunt, qui negant tres in uno vero Deo esse realiter distinctas personas, qui ita sentiunt, uno vacubulo appellantur antitrinitarii, seu antitrinitarius, est, qui non admittit tres realiter distinstas in uno vero Deo personas. Doctrinam nuncupamus antitrinitariismum, sive antitrinitariismus est doctrina negantium trinitatem unius veri Dei.

Unde facilime infertur Antitrinitariismi reos, seu Antitrinitarios esse, cum, qui realem trium Divinarum personarum differentiam totidem verbis negant, tum, qui has tres personas per solam mentis operationem distinctas esse affirmant, tum denique, qui eas tantummodo pro tribus diversis Deitatis attributis venditant. Etenim hi disertis verbis enunciant, quod illi sub pluribus vocabulis fin-

fingunt. Qui enim has tres personas per solam mentis operationem distinctas esse statuunt, earum realem differentiam non admittunt, quoniam tunc differentia earum non consisteret in nostro concipiendi Deum modo, sed ipsi Deo, seu modo habendi Divinam essentiam inesse deberet, quod negant. Qui autem has tres personas fingunt esse diversa veri Dei attributa, illi, quoniam nolunt ex his attributis tres diversos formare Deos, quod, si faciunt, tritheismi rei essent, de quo statim, sibi solum unum Deum sub tribus diversis attributis fingere debent; Adeoque non sub triplici modo realiter diverso habendi essentiam Divinam; Consequenter differentiam realem trium personarum negantes, Antitrinitariismi rei sunt. Huc referri possunt, immo debent, qui somniant has tres personas nudas esse ad creaturas relationes (§. 842.).

§. 876.

Antitrinitarius antiscripturarius quinam, quis non?

Cum antiscripturarius sit, qui negat revelationem Divinitus factam contineri in codice, quem vocamus scripturam sacram (*Theol. natur. part.* II. §. 523.), & Antitrinitarius sit, qui non admittit realem differentiam trium Deitatis personarum (§. 875.), & hæc realis differentia vel negetur ab iis, qui scripturam pro verbo Divinitus revelato habent, vel qui eam pro eodem haberi recusant: Antitrinitarius est vel scripturarius, qui negat differentiam trium personarum realem in sacris revelari, vel antiscripturarius, qui negat ipsam scripturam; itaque hanc differentiam non admittit, quoniam non admittit scripturam, in qua ea revelata est.

Scripturarius ab Antiscripturario discernitur eo, quod hic scripturam pro verbo Divinitus revelato habeat, quod alter negat. Antiscripturarius adeo non est, qui non no-

vit, utrum scriptura sacra datur, nec ne. Ita Sinæ, antequam Missionari in Chinam intrarent, ignorarunt dari libros, quos S. S, nomine insignimus, in quibus revelationem Divinam contineri asseveramus. Quamobrem nec negare potuerunt, in istis revelationem Divinam contineri; Consequenter nec eos Antiscripturariorum numero adscribere licet. Hoc monemus, ne quis quempiam fingat Antiscripturarium, qui talis esse nequit, neque censeat, nos extra necessitatem Antitrinitarios dividere in scripturarios ac Antiscripturarios, quasi Antiscripturarius sit dicendus, omnis qui S. S. pro verbo revelato non habet, sive sciat hunc librum dari, sive nesciat.

§. 877.

Quot sint Antitrinitarii Antiscripturarii.

Doctrinam de S. S. Trinitate sola revelatio docet, & ratio eam plane ignorat (§. 649.), quod statim luculentius patebit, quando demonstraturi, independenter ab hac propositione, hanc doctrinam esse mysterium. Quamobrem cum omnes Antiscripturarii negent scripturam Divinitus esse revelatam (§. 876.).; omnes omnino Antiscripturarii Antitrinitarii sint, necesse est, seu quot sunt Antiscripturarii, tot sunt Antitrinitarii.

Qui jam scire cupidus est, quot sint Antitrinitarii Antiscripturarii, is evolvito Cl. *Baronis de Wolfii* Theologiæ naturalis partem II. Quo L. B. mittimus, ne ultra necessitatem prolixum scribendi campum ingrediamur, simulque ab hoc Philosophorum Principe refutati sunt Antiscripturari; Consequenter supervacaneus labor est velle adhuc Antitrinitarios Antiscripturarios refutare.

§. 878.

Trinitas ab Antitrinitariismo abhorret.

Cum Trinitatem, seu Triadem credat, qui credit in Deum triunum (§. 874.), seu fides sit, qua credimus

Deum

Deum verum eandem numero essentiam Divinam tribus a se invicem prorsus diversis modis possidere in tribus personis (§. 873.), & Antitrinitariismus sit doctrina negantium trinitatem unius veri Dei (§. 875.). Trinitas ab Antitrinitariismo prorsus abhorret. Quod enim hic S. S. duce affirmat, ille negat.

§. 879.

Antitrinitarii refutantur,

Quoniam Trinitas distincte agnosci potest, eaque vera est (§. 874.), & hæc veritas distincta omnino negatur ab Antitrinitariis (§. 878.) Sententia Antitrinitariorum falsa sit, necesse est. Etenim nihil simul potest esse verum, & simul falsum.

Ex hac propositione in genere luculenter patet falsitas sententiæ omnium omnino Antitrinitariorum. Quoniam vero Antitrinitarii scriptura denuo inter se distinxit, quorundam eorum specialem mentionem facere, nobis necesse esse videtur.

§. 880.

& in specie Cerinthus,

Quoniam ex sacris literis agnoscimus Jesum Christum unigenitum Dei Filium ab attributis suis essentialibus Divinis (§. 743.), ab operibus soli Deo propriis (§. 745.), in specie quoque ab operibus gratiæ, seu redemtionis (§. 746.), a honore (§. 747.), gloriaque Divina (§. 748.), ab adoratione Divina (§ 749.), nec non a nominibus soli Deo competentibus verum esse Deum (§. 751.), qui hinc cum Patre eandem numero essentiam possidet Divinam (§. 753.), & *Cerinthus* admittit has esse verbum Divinitus revelatum; Per se patet Cerinthum a veritatis tramite procul aberrare contendendo Christum merum esse hominem. Qui ab ipso *Johanne Apostolo* in Euangelio suo confutatus, teste *Hieronymo* in catal. scriptor Eccles.

§. 881.

§. 881.

Carpocrates &c., Eodem modo patet ex ſacro codice Jeſum Dei Filium ab ipſo Deo Patre (§. 653.), & quidem ex ipſa ejus Divina eſſentia (§. 663.), hanc eſſentiam Filio communicando genitum eſſe (§. 660.) Quare cum Carpocrates, Theodotus Byzantinus & Artemus hunc codicem pro verbo Divino habeant: erroris ſui ſunt redarguendi, quod Chriſtum pro nudo carnali modo genito homine habeant, quibus ſeſe oppoſuerunt *Irenæus* & *Tertulianus.*

§. 882.

Samoſatenus, Ita ſcriptura teſte ſcimus Jeſum Chriſtum omnia omnino poſſidere attributa Divina, per quæ ipſe Deus concipitur (§. 743.); Adeoque ea nos docet a veritate aberraſſe Paulum Samoſatenum, cujus ſententiam ex patrum monumentis egregie eruit Vir Doctiſſimus *Joh. Georg. Walchius* in diſſert. de Samoſateanis Neotericis, docens λόγον inexiſtere in ipſo Deo, nec aliud quid eſſe, quam illius intellectum, aut cognitionem & ſapientiam, Chriſtum autem hominem, licet ſapientia Divina ornatum. Hic error in ipſa Synodo Antiochena damnatus eſt.

§. 883.

Ariani, Sic Revelatio nos docet Filium æternum eſſe (§. 699.), & Divinam eſſentiam a Patre communicatam accepiſſe (§. 660.) generatione æterna ((. 668.), & eſſentiali (§. 663.); Adeoque peſtis Eccleſiæ nocentiſſima, Arius, qui Filium Dei non ex eſſentia Dei genitum, ſed ἐκ τῶν οὐκ ὄντων ex nihilo ante ſecula creatum eſſe

esse docuit, & in Concilio Nicæno, *Athanasio* inprimis veritatem, jure damnatus est, attamen nihilominus deinde virus suum tam late spargere, non destitit, ut totus terrarum orbis sub eo ingemerit, Arianum se esse miratus sit, teste *Hieronymo* in dial. adversus Lucif. cap. 7.

§. 884.

His adde Semi arianos, qui quidem Filium ex Patris essentia productum consentiunt, minorem tamen eo fingunt, quod e diametro oppositum eo, quod sacræ paginæ docent: nimirum in Divinitate subordinationem non dari (§. 824.), nec unam trium personarum reliquis vel majorem, vel minorem esse. *Semi ariani,*

§. 885.

Spiritum Sanctum verum & eundem numero cum Patre, Filioque Deum esse (*Cap.* IV.) uberius ex sacris demonstravimus, cui Pater ac Filius eandem numero essentiam communicarunt (§. 801. 799.) spiratione Deo essentiali (§. 676.) & naturali (§. 677.); Errant itaque Pneumatomachi, cum eorum antesignano, Macedonio Episcopo Constantinopolitano negantibus Spiritum Sanctum una cum Patre ac Filio essentiam revera Divinam eandem numero habere, qui in Concilio Constantinopolitano, eoque œcumenico secundo merito damnati. *Pneumatomachi,*

§. 886.

Adde Photinianos Christum, seu Dei Filium merum hominem esse, ac in Maria demum initium cœpisse, nec Spiritum Sanctum Divinam *Photiniani,*

esse personam, aut Dei virtutem, vel spirationem, somniantes, quorum haeresis ex dictis refutatus est, & in variis Synodis rejectus.

§. 887.

Sociniani, Lælius & Faustus Socini atque cum iis militantes docent audacter in Deo tantum unam esse personam, nimirum Patrem, Christum autem non nisi hominem esse ex Maria natum, nec ante eam existentem, licet Divina autoritate, donisque polleat, & Sp. S. non nisi virtutem Divinam esse, quorum error ex demonstratis luculenter patet.

Ne dicam de *Michale Serveto*, *Valentino Gentili* aut recentioribus haereticis. Nobis hic, systema errorum non scribentibus, aut fundamenta errorum solummodo subvertentibus sufficit errorum fundamenta indicavisse, eaque enervasse, reliquendo iis, qui olim systema errorum exornabunt reliqua, contenti ostendisse, qua via iis sit eundem.

§. 888.

Sabelliani & Noëtiani. Non nisi stultus dicere potest, non dantur tres personæ (§. 864.); In hunc censum veniunt Praxeas, Noëtiani & Sabelliani.

§. 889.

Tritheista & Tritheismus quid? Qui ex tribus realiter inter se diversis Deitatis personis tres diversos Deos faciunt, vocantur Tritheistæ, seu Tritheista est, qui tres affirmat esse Deos. Unde eorum doctrina Tritheismus appellatur, seu Tritheismus est figmentum tres dari Deos.

Qui sibi non format distinctas notiones de essentia Divina & modo habendi hanc essentiam, nec inquirit, qualis sit

hæc

hæc essentia, & qualis hic modus sit, ast potius hanc cum illa confundit, is, Si mentis intendit oculos ad Dei essentiam, quoniam ratione ac revelatione amice consentientibus, agnoscit non nisi unum verum Deum possibilem esse, facillime in Antitrinitariismum prolabitur: E contrario, si legit quis, quæ sacer codex de tribus Deitatis personis revelat, & intuetur eundem prædicare realem differentiam earum, sese propter confusas suas de Deo, personisque Divinis notiones ex labyrintho extricare nequit, nodum hunc gordium solvere ignorans, eundem secat ex tribus diversis personis fingendo tres Deos. Indicamus, unde errores circa salutarem Trinitatis doctrinam oriuntur, ut eo facilius, feliciusque evitari possit, simulque appareat, quomodo is refellendus. Ceterum non indiget acutis probare usum propositionum antecedaniarum, qui ex his per se evidens est, nec ostendere necessitatem progressus usque ad notionem distinctam in hac ardua doctrina, nec non quæ circumspectio, cautio, sollicitudo, curaque adhibenda in ea tradenda ac enodanda.

§. 890.

Trinitas a Tritheismo abhorret.

Cum Trinitatem credat, qui credit Deum triunum (§. 874.), seu fides sit, qua credimus eandem numero essentiam Divinam a tribus realiter diversis personis tribus inter se diversis possideri modis (§. 873.), & Tritheismus sit figmentum eorum, qui tres somniant esse Deos (§. 889.) Trinitas a Tritheismo prorsus abhorret.

Qui enim Trinitatem affirmat, asserit omnibus tribus Divinis personis eandem numero esse essentiam Divinam, seu unum solum verum Deum esse, quod, ut clarius pateat, sequentem subjiciemus paragraphum. E contrario Tritheista tres Deos; adeoque & tres essentias Divinas inter se diversas fingat, necesse est.

§. 891.

Trinitati toti eadem est essentia numerica.

Quoniam extra omnem dubitationis aleam positum est Deum Patrem, Filium, nec non Sp. S. ad mentem revelationis eandem numero possidere essentiam (§. 834.), & Trinitas sit fides in Deum triunum (§. 874.), seu in has tres Deitatis personas (§. 873. 832.), Per se patet Scripturam revelare toti trinitati eandem numero esse essentiam Divinam.

Vel etiam hoc modo demonstrari potest. Pater est verus Deus (§. 652.), Filius (§. 743.), nec non Sp. S. verus Deus est (§. 686.); Primum itaque quod de Deo Patre, Filio, Sanctoque Spiritu concipitur, & sine quo Pater Filius ac Sp. S. esse nequeunt, est, quod unusquisque eorum sit verus ille Deus. Quamobrem cum essentia sit id, quod primum de ente concipitur, & in quo ratio continetur sufficiens, cur cetera vel actu insint, vel inesse possint (*Ontol.* §. 168.); Essentia Patris, Filii, Spiritusque Sancti est; quod omnes sint verus Deus. Verum enim vero essentiam Divinam bis, pluriesve existere nequit in his tribus personis (§. 813.). His tribus personis itaque, seu Trinitati toti est eadem numero essentia Divina.

Hoc quoque probari possit eo, quod Filius eandem numero essentiam cum Patre (§. 753.) & Sp. S. una cum Patre & Filio habeat (§. 799.), & hi tres sint triunus ille Deus (§. 873.), quibus tota absolvatur Trinitas (§. 874.). Unde dubitari nequit toti Trinitati eandem numero essentiam esse.

§. 892.

Tritheismus refutatur,

Quoniam, sacra scriptura teste, Deus non solum unus est, sed is nec ferre potest, ut plures habeantur pro Deo, immo excandescentiam, seu iram suam maximam minatur

O-

omnibus, qui unitatem hanc negare audent (§. 647.). Tritheistæ autem tres fingant Deos (§. 889.). Error Tritheistarum ipsa excandescentia Divina minatur, seu ab ipso Deo sub pœna excandescentiæ damnatur.

§. 893.

Ratio docet, non nisi unum solum Deum possibilem esse, ita ut omnino impossibile sit, plures Deos, sive simul, sive successive existere posse, qui vel eandem, vel diversam habeant inter se essentiam (*Theol. natur. part.* I. §. 1106. 1107.); nec non ex revelatione agnoscimus Deum maximam suam minari iram omnibus, qui hanc unitatem negare audent (§. 647.). Manichæi igitur in rationem, pariterque in revelationem injurii sunt duplex fingendo principium independens, seu duos Deos; bonum scilicet unum, alterum malum, qui a defensore, licet non inventore erroris hujus *Manete* Manichæi dicti sunt, quorum numero merito addendi, qui hodienum duplex hoc principium statuere non erubescuntur. Atat! audaciæ suæ pœnas luent. *& in specie Manichæi,*

§. 894.

Peratæ, quorum *Theodoretus* lib. I. cap. 28. mentionem facit, Trinitatem, quam Christiani profitemur, tres mentes, tres rationes, tres Deos esse, contendentes, erroris sui redarguendi ex iis, quæ (§. 890. 892.) dicta sunt, argumenta eorum refutanda in systema errorum, nobis hic sufficit πρῶτον ψεῦδος indicasse, & subvertisse. *Peratæ,*

§. 895.

Eutychiani, Johannes Grammaticus, *Philoponus* dictus, qui, naturam & subsistentiam unum idemque esse, sibi falso persuadens, & hinc in Christo propter subsistentiæ diversitatem, diversitatem naturæ etiam Eutychianorum more, asserens, objicientibus aliis, quod ita in Trinitate etiam tres naturæ sint statuendæ propter Trinitatem hypostasium, defendere cœpit, in Trinitate etiam tres naturas esse admittendas, ita ut essentia Divina sit quasi una specie nec numero, quod iis, quæ ex revelatione agnoscimus (§. 753. 799.), e diametro oppositum est, unde per ea refutatur.

§. 896.

& Tetratheitæ. Tetratheitæ præter tres Divinas personas existere quartam quandam essentiam, quæ tribus communis est, & se tribus illis communicaret, propter quam communicationem Dii fuerint, autumarunt, erroris rei sunt, quoniam non solum in identitatem numericam Divinam (§. 753. 799.) injurii sunt, sed & reapse probant se obscuras modi habendi Divinam essentiam atque essentiæ Divinæ habere notiones.

§. 897.

Error Ecclesiæ græcæ. Denique non licet silentio præterire, quod Ecclesia græca docuerit Spiritum Sanctum a solo Patre, nec a Filio procedere. Lis de processione Sp. S. a Filio in Ecclesia agitari cœpit inde a Theodoreti temporibus, qui eam publice impugnavit, sententiæque suæ asseclas nactus, acerrimis inter Græcam & Latinam Ecclesiam con-

contentionibus occasionem dedit. At vero nunc sententiam suam ita declarare dicuntur Græci, quod Sp. S. a Patre procedat per Filium, quod si ita intelligunt, ut hic ab utroque procedat, nobiscum consentiunt, si vero hoc negarent, negarent, quod revelatio evidenter docet *Gal.* IV. 6., *Philipp.* I. 19., *ad Rom.* VIII. 9. (§. 674.).

§. 898.

Doctrinæ de Trinitate capita summa.

Doctrina de Trinitate, seu Trinitas est fides, qua credimus Deum triunum (§. 874.); Deum vero triunum credit, qui ex revelatione agnoscit tres dari personas Divinas nimirum Patrem, Filium atque Sp. S. (§. 832.), quæ eandem numero essentiam veri Dei tribus diversis inter, se modis habendi possident (§. 873.), ita ut Pater eam a se, nec ab alio (§. 655.), Filius autem eandem non a se, sed a Patre, & quidem solum (§. 754.), Sp. S. denique eam ipsam nec a se, nec a solo Patre, sed a Patre, Filioque simul habeat (§. 802.). Unde facile colligitur summa capitata salutaris doctrinæ de S. S. Trinitate esse 1) quod Pater, simul ac Filius, nec non S. S. sint verus Deus. 2) Quod hi tres sint realiter distincti eo, quod Pater suam essentiam a se, nec ab alio, Filius eandem non a se, at a solo Patre, Spiritusque Sanctus eam ipsam nec a se, nec a solo Patre, sed a Patre ac Filio simul habeat, ita tamen ut 3) hi tres non sint tres, sed unus solus Deus ejusdem numero essentiæ.

Hæc capita summa hujus doctrinæ indicavimus, ut eo facilius hæc ardua materia memoriæ mandari possit, simulque pateat, quo mentis vertendi oculi ei, qui cupit sibi ejusdem formare notionem distinctam.

§. 899.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823346366/phys_0311
DFG

§. 899.

Essentia Divina est incomprehensibilis, Ex ratione, pariterque ex revelatione scimus, per Deum intelligendum esse ens a se (§. 21. *Theol. natur. part.* I. §. 67.), cui competit intellectus incomprehensibilis (§. 172. *& Theol. natur. part.* I. §. 172.), atque voluntas incomprehensibilis (§. 291. *& Theol. natur. part.* I. §. 358.). Quamobrem cum idem sit spiritus (§. 136. *& Theol. natur. part.* I. §. 124.), atque adeo primum, quod de Deo concipi debet ac potest, sit intellectus & voluntas ipsius (§. 136. *& Psychol. ration.* §. 643.); Consequenter intellectus atque voluntas ad essentiam ipsius pertineat (*Ontol.* §. 144.). **Deus ens incomprehensibile est, seu tota Dei essentia est incomprehensibilis.**

Quod etiam hoc modo demonstrari potest. Intellectus Divinus est distincta prorsus ac simultanea repræsentatio omnium omnino possibilium (§. 130.), quidni omnium possibilium mundorum, isque prorsus incomprensibilis est (§. 172.). Quamobrem cum essentia Divina consistat in vi repræsentativa omnium mundorum possibilium distincta prorsus & simultana (*Theol. natur. part.* I. §. 1094.). **Quin essentia Divina incomprehensibilis sit, necesse est.**

Quoniam entia per essentiam a se invicem distinguuntur; per hanc ipsam vim repræsentativam mundorum omnium possibilium distinctam prorsus ac simultaneam Deus a substantiis ceteris omnibus distinguitur: neque enim præter ipsum datur substantia, cui eadem vis competat, quemadmodum hoc exactissime demonstravit Princeps ille Philosophorum Cl. *Baro de Wolfius* (*Theol. natur. part.* I. §. 1094.). Et utraque demonstratione (quænam ex his huic,

huic, illive magis arrideat, nobis perinde erit) evidenter patet, incomprehensibilitatem Deo essentialem esse. Tollens nimirum incomprehensibilitatem, & ipsum tollit Deum, qui sine incomprehensibilitate a rebus præter eum existentibus discerni nullatenus potest.

§. 900.

Ens finitum est ens, in quo omnia simul inesse nequeunt, quæ eidem actu inesse possunt (*Ontol.* §. 837.). Potest adeo ens infinitum definiri per ens, in quo sunt omnia simul, quæ eidem actu inesse possunt (*Ontol.* §. 838.). Quamobrem cum ens intelligens finitum, quale est anima nostra, non habeat ideam existentiæ, seu modi habendi essentiam, nisi quatenus sibi sui conscium est (*Psychol. ration.* §. 12.); Non aliam nisi successivarum rerum existentiæ ideam habere potest. Non igitur habet ideam existentiæ nisi, quæ per modum possibilitatis inest. Verum enim vero existentia Divina Deo est essentialis, ut non possit concipi possibilis, quin simul concipiatur ut existens (§. 76.). Ens igitur intelligens finitum non habet ideam existentiæ, qualis est in Deo; Consequenter id existentiam Divinam, seu modum habendi essentiam veri Dei sibi clare repræsentare nequit (*Psychol. empir.* §. 48.); Atque adeo entibus finitis, sicque hominibus existentia veri Dei, seu modus habendi essentiam Divinam incomprehensibilis est (*Theol. natur. part.* I. §. 170.). *Ut & modus habendi eam.*

Quod Dei Filius (§. 729), una cum Spiritu Sancto, æque ac Pater sint ens illud infinitum ex sacris (§. 778.) demonstravimus; Adeoque Filius, Spiritusque Sanctus eodem modo, ut Pater existunt tanquam ens illud infinitum, seu essentiam suam habent eodem modo, quo ens in-

finitum eam habere potest, hoc est, nulla harum personarum potest concipi possibilis, quin simul concipiatur ut existens. Unde liquido constat incomprehensibilitas hujus existentiæ, seu hujus modi hanc infinitam essentiam habendi. Et quis, quæso, sanus de se venditare potest sibi repræsentare potuisse modum, quo Deus essentiam suam nactus, quoniam finitum non capax esse potest infiniti, nec simile quid in entibus finitis datur.

§. 901.

Trinitas est supra rationem, Quod incomprehensibile est, est cognoscibile, cujus tamen modum, quo est, vel fieri potest, nobis minime repræsentare valemus (*Theol. natur. part.* I. §. 170.); Adeoque ex principiis rationis indemonstrabile (*Logic.* §. 498.). Quamobrem cum supra rationem esse dicitur, quod ex principiis rationis indemonstrabile (*Theol. natur. part.* I. . 454.), & cum essentia Divina (§. 899.), tum modus habendi eam incomprehensibilis sit (§. 900.); Trinitas autem sit fides in Deum triunum (§. 874.), seu unam numero essentiam Divinam tribus eam habendi modis (§. 898.). Quin Trinitas supra rationem sit, dubio caret.

Nos hic de ratione entium finitorum, non vero infiniti loqui, adeo manifestum est, ut ulterioris probationis minime indigeat. Ceterum, quæ sunt supra rationem non confundenda sunt cum iis, quæ contra eandem sunt: id quod vulgo faciunt, qui religionis mysteria vel in dubium vocant, vel prorsus rejiciunt. Quid sit contra rationem evidenter docuit Ex. *Baro de Wolfius* (*Psychol. empir.* §. 485.), de quo statim uberius.

§. 902.

nec in mundo rationali continetur, Quod supra rationem est, ex principiis rationis est indemonstrabile (§. 901. *&* *Theol. natur. part.* I. §. 454.); consequenter vi principiorum rationis non colligitur ex no-

notione ſubjecti, ipſi convenire prædicatum (*Logic.* §. 549.); Adeoque per ea intelligi nequit propoſitionem eſſe veram (*Logic.* §. 568. 564.). Quoniam itaque in principiis rationis non continetur ratio, cur propoſitio iſta vera ſit (*Ontol.* §. 56.), ea quoque cum principiis rationis minime connectitur (*Cosmol.* §. 10.). Quamobrem cum mundus rationalis ſit ſeries entium univerſalium inter ſe connexorum (*Theol. natur. part.* I. §. 258.), atque omnes veritates univerſales quomodo inter ſe connectantur (*Pſychol. empir.* §. 482. & *Theol. natur. part.* I. 271.) exhibet (*Theol. natur. part.* I. §. 263.); Quod ſupra rationem eſt, in mundo rationali non continetur. Quamobrem cum Doctrina de S. S. Trinitate ſit ſupra rationem (§. 901.); Ea in mundo rationali non continetur.

Quod ſupra rationem eſt, id veluti miraculum in mundo rationali eſt, ut adeo ea, quæ ſummus Philoſophus *Excel. Baro de Wolfius* de miraculis in Cosmologia demonſtravit, mirifice notionem ejus, quod ſupra rationem eſt, illuſtrent, cujus ſummam hinc, ut L. B. hoc libro carentibus ſubſidio ſimus, tradimus. Conſtat miraculum non poſſe explicari per ea, quæ inſunt cauſis naturalibus tunc quidem temporis, quando contigit, exiſtentibus (*Cosmol.* §. 518.): Eodem modo, quod ſupra rationem eſt, non poteſt ſufficienter explicari per ea, quæ notionibus univerſalibus, generum ac ſpecierum inſunt. Patratur adeo quaſi miraculum in mundo rationali, quando quid, quod ſupra rationem eſt, in mundum rationalem invehitur; & quemadmodum patrato miraculo in mundo ſenſibili, ſeu quod perinde eſt, intelligibili in eodem poſtea conſequuntur naturaliter, quæ absque iſto miraculo conſecuta minime fuiſſent (*Cosmol.* §. 531. 532. 574.), ita in mundum

rationalem illato, quod supra rationem est, vi notionum entium universalium ad eundem pertinentium, consequuntur aliæ veritates universales, & cum naturalibus connectuuntur, ut sequens mundi rationalis pars alia evadat, quam quæ alias futura fuisset. Unde facile colligitur Trinitate in mundum rationalem illata, consequi alias veritates universales, easque cum naturalibus connecti, ut hic mundus rationalis prorsus alius sit, quam qui fuisset, si Deus triunus non esset. Quare cum ex Trinitate sequatur possibilitas ac realitas operis gratiæ, seu œconomia salutis (parte altera hujus Theologiæ independenter ab hac propositione tradenda), ea non consecuta esset, nisi Deus triunus sit. Merentur hæc, quæ dico, ut ea profundius rimemur, cum non alio modo notionem ejus, quod supra rationem est, clariorem efficere liceat, ut lucis suæ radiis mentis aciem perstringat. Cui nullum negotium facessunt miracula in mundo sensibili vel intelligibili, eidem nec negotium facessere potuerunt, quæ sunt supra rationem in mundo rationali. Quod genus sciolorum probe perpendere petimus, quæ (§. 286. *& alibi*) de miraculis diximus. Et qui hæc probe meditatur, is quoque intimius perspicit, quid sibi velit ratio illuminata, quippe quæ ea, quæ sunt supra rationem, cum iis, quæ eidem conformia sunt, connectit, & inde viritates deducit soli rationi impervias, aut, si mavis, eam mundi rationalis partem intuetur, quæ per hoc, quod rationem superat, variatur: tum etiam quid sit rationis ac fidei connubium, quod connubio rationis atque experientiæ illustrari potest. Et ex his plenius intelliguntur, quæ de usu principiorum rationis in Theologia inculcantur a Theologis doctrina celebribus. Inprimis jam intelligitur, quid sibi velit vulgaris illa locutio sphæram rationis transcendere. Nimirum

ra-

rationis sphæra est mundus rationalis, intra cujus ambitum ratio continetur. Quamobrem cum ea, quæ sunt supra rationem, in mundo rationali non contineantur, extra hanc sphæram posita intelliguntur, atque adeo eandem transcendunt. Unde per se evidens est salutarem S. S. Trinitatis doctrinam rationis sphæram transcendere, sicque luculenter patet qualis sit stultitia *Kekermanni*, *Durandi*, *Smiteri*, *Poireti*, omniumque eorum, qui ha. . doctrinam ex ratione domonstrare conati, nec non eos confusas suas notiones profiteri, qui autumant hanc doctrinam methodo scientifica vel tradi non posse, vel eos ex ratione demonstrare debere ea, quæ sunt supra ejus sphæram. Cum e contrario jam sua luce radiet necessitas hac methodo hanc doctrinam exornandi, quippe qua non solum progredimur ad certitudinem veritatum, sed & (ut omnia dicam uno verbo) ratio nostra illuminatur, ubi reliquorum ratio in tenebris palpitat.

§. 903.

Quoniam id, quod de Trinitate docuimus, cum principiis rationis connectimus, nec hoc iis repugnat, seu contradicit: Id autem contra rationem esse dicendum est, quod principiis rationis repugnat, seu contradicit (*Theol. natur. part.* I. §. 454.). Salutarem doctrinam de S. S. Trinitate contra rationem minime esse, luculenter patet. *nec contra rationem est,*

Ex dictis evidens est ei, qui fingere vult hanc doctrinam contra rationem esse, demonstrandum esse, quod, & ubi cum principiis ratione notis pugnet, nec hic sufficit ostendisse, quod in eadem talia dentur, quæ rationis sphæram transcendunt, quod ipsi demonstravimus. Quare cum prius fieri nequeat, quoniam connubium rationis

& hujus doctrinæ ubivis indicavimus, ratum manet, eandem non esse contra rationem. Taceo hoc præstare, aut adversariis os claudere non posse, qui non utuntur nostra methodo.

§. 904.

nec impossibilis, Quæ supra rationem sunt, sint, si fieri potest, impossibilia, hoc supposito, quod dentur, quemadmodum hoc revelatione magistra suponi debet. Cum impossibile contradictionem involvat (*Ontol.* §. 79.), quæ supra rationem sunt, contradictionem involvent. Quamobrem cum vi demonstrationis apogogicæ detegatur, num, quod sumitur, contradictionem involvat (*Ontol.* §. 46.); Vi ejusdem ostendi poterit, ea, quæ sunt supra rationem, contradictionem involvere. Verum enim vero vi demonstrationis apogogicæ ex assumto colligitur, quod vel eidem, adeoque principio contradictionis (*Ontol.* §. 28.), vel propositioni alicui veræ contradicit (*Logic.* §. 553.). Quæ igitur sunt supra rationem, ea principiis rationis, in quorum quoque numero contradictionis principium est, contradicere debent. Erunt adeo, quæ sunt supra rationem, contra eandem (§. 903. & *Theol. natur. part.* I. §. 454.). Enimvero quæ sunt supra rationem, non debent esse contra eandem (*Theol. natur. part.* I. §. 454.), ac Doctrina de S. S. Trinitate non est contra rationem (§. 903.), licet sit supra eam (§. 901.): Impossibilis igitur esse nequit.

Philosophia, an dentur veritates, quæ sunt supra rationem, in dubio relinquit; Adeoque nec doctrina de S. S. Trinitate ex principiis Philosophicis demonstrari potest, quippe quæ rationis sphæram transcendit (§. 901.), etsi Philosophia explicet, quales esse debeant veritates, si sumanu-

mantur, ne quæ ſunt ſupra rationem, confundantur cum iis, quæ contra eandem ſunt. Atque adeo, quæ in ſyſtemate Philoſophico traduntur, principia ad religionem Deo dignam defendendam exhibere debent, qualis eſt ſola ea Chriſtianorum, quod ſuo loco independenter ab hac propoſitione liquido conſtabit, quæ jure ſuo pro eo, quod ſupra rationem eſt, etiam contra Antiſcripturarium tamdiu amplectitur, donec is demonſtret, quod hæ veritates, quibus Trinitas merito annumeratur, ſint contra rationem; Conſequenter donec contradictionem, quam involvere debet, evidentiſſime probet, ſeu demonſtret, quod, cum fieri nequeat (§. 903.), Chriſtiani jure profitentur Deum triunum, & S. S., ex qua hæc doctrina hauritur autoritatis Divinæ, ſeu verbum Divinitus revelatum eſt, quemadmodum ſuo loco, ubi circulus ac vitium ſubreptionis evitari poſſunt, evidenter demonſtrabitur.

§. 905.

Quoniam, quæ ſunt ſupra rationem, impoſſibilia eſſe *ſed poſſibilis*, nequeunt (*Theol. natur. part.* I. §. 457.), nec doctrina de S. S. Trinitate impoſſibilis eſt (§. 904.), quæ vero impoſſibilia non ſunt, poſſibilia eſſe debent (*Ontol.* 85.); Quæ ſupra rationem ſunt, ea poſſibilia, eſſe debent, & per conſequens quod doctrina de S. S. Trinitate, ſeu ea, quæ de Deo triuno docuimus, poſſibilis ſit, neceſſe eſt.

Ex hac propoſitione itaque liquet, quod, ſi quis talia in medium afferat, quæ impoſſibilia eſſe demonſtrari poteſt, eaque pro talibus venditat, quæ ſunt ſupra rationem; erroris ſui hinc jure redarguitur, quemadmodum Quakeri, Fanatici, Entyſiaſtæ, & id furfuris alii. Atque adeo lapidem habemus Lydium, quo myſteria genuina

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823346366/phys_0319
DFG

na a ſpuriis diſtinguuntur ac ſeparantur, neque opus eſt, ut quis vereatur, ne, ſi ea, quæ ſunt ſupra rationem, admittat, neſcio quas aniles fabulas, ſub myſteriorum titulo ſibi obtrudere cogatur, quas quidam vel in, vel extra ſcripturam inveniſſe venditant, quique ſtultitiæ, quidni ignorantiæ, ne quid gravius dicam, pœnas merito luunt, potius commiſerationis proprium ſunt objectum, quam refutationis. Etenim uti demonſtrare potueris, quod pro myſterio habetur contradictionem involvere, id in illorum numerum, quæ ſunt ſupra rationem, minus recte referri conſtat. Cavendum vero ne contradictionem apparentem cum vera, detorſionem verborum ſcripturæ cum ejus genuino ſenſu & probationem qualemcunque cum demonſtratione confundas, quem in finem probe tenenda ſunt, quæ *Excel. Baro de Wolfius* de contradictione in Philoſophia prima (*Ontol.* §. 30. *ſqq.*), & de demonſtratione in Philoſophia rationali (*Logic.* §. 551. *ſqq.*) docuit. Peccant ex utroque capite, qui veritatem religionis Chriſtianæ, & in ſpecie hoc myſterium Triados impugnant: Etenim pro contradictoriis habent, quæ non ſunt, & probatiunculas quascunque demonſtrationum loco habent, quid dicam de iis, qui ſomnia ſua, anilesque fabulas pro verbo divinitus revelato venditare contendunt, eo ipſo oſtendentes ſe veritatem neſcire, vel ſaltem non amare, e contrario indolem veræ demonſtrationis ignorantes, ac multo minus demonſtrationem veri nominis contexere valentes. Unde per ſe patet quanti habendum ſit ſyſtema Theologiæ dogmaticæ methodo ſcientifica exornatum, quod nullus, niſi apertus veritatis oſor negabit.

§. 906.

eſt myſterium, Doctrina de S. S. Trinitate eſt ſupra rationem (§. 901.). Verum enim vero quod ſupra rationem eſt, id uno

uno nomine mysterium dici solet (*Theol. natur. part.* I. §. 458.). Hæc doctrina itaque mysterium dici debet.

Mysteria adeo in mundo rationali idem sunt, quod miracula in mundo sensibili, seu intelligibili. Unde non mirum, quod, qui miracula negant, mysteria quoque negare audent. Hi autem & in Philosophia & a nobis stultitiæ suæ convicti, adeoque supervacaneum est eos iterum refutare.

§. 907.

Doctrina de S. S. Trinitate mysterium est (§. 906.), quatenus est supra rationem (§. 901.). Quamobrem cum ex principiis rationis demonstrari non possit, quod supra rationem est (§. 901. *& Theol. natur. part.* I. §. 454.). Hoc mysterium ex principiis rationis demonstrari nequit, seu indemonstrabile est. *indemonstrabile*,

Hanc propositionem ideo subjecimus, ut pateat absurditas eorum, qui mysteria, nec non hanc salutarem Triados doctrinam non alia de causa rejiciunt, quam quod ea ex principiis rationis demonstrari nequeat. Unde merito reprehenduntur, qui eadem rationis decempeda metiri volunt. Cavendum interim, ne quis concludat hanc doctrinam prorsus indemonstrabilem esse, quoniam ea ex ratione demonstrari nequit. Etenim hoc æque absonum est, ac si quis colligeret triangulum prorsus indemonstrabile esse, quia id ex principiis Arithmeticis demonstrari non potest. E contrario si triangulum ad Geometriæ principia refertur, omnino demonstrabile est, ita & mysterium Triados relatum ad revelationem Divinitus factam non caret sua demonstratione; Adeoque sua certitudine, & sic patet non

confundendas esse scientias, aut potius accurate distinguendas, & quamcunque ex suis propriis principiis hauriendam esse.

§. 908.

possibile, Mysterium de S. S. Trinitate supra rationem est (§. 906. 901.) Verum enim vero quidquid supra rationem est, id ideo non impossibile (*Theol. natur. part.* I. §. 456.), sed in possibilium numero continetur (*Theol. natur. part.* I. §. 457.). Quamobrem nec mysterium de S. S. Trinitate impossibile est, aut potius possibile. Porro quod impossibile est, contradictionem involvit (*Ontol.* §. 79.) Quoniam, quod contradictionem involvit, principiis rationis repugnat, quemadmodum paulo ante (§. 904.) uberius exposuimus; Patet, quod impossibile est, illud esse contra rationem; Adeoque non tantummodo supra rationem (§. 903. 901. *&* *Theol. natur. part.* I. §. 454.). Quamobrem cum mysterium non sit, quod non est supra rationem (§. 906.); Quod impossibile est, mysterium esse nequit. Doctrina de S. S. Trinitate, si impossibilis esset, mysterium esse non posset.

Hinc eo facilius, feliciusque mysteria spuria detegere, & a genuinis separare licet, demonstrata illorum impossibilitate, hoc est, ostensa contradictione, quam involvunt (*Ontol.* §. 79.) Requiritur autem veri nominis demonstratio, qualis in Logica (§. 551. *sqq.*) evicte docetur. Præcipitant adeo judicium, qui allegando ratiunculas quascunque mysteriis contrarias, eorundem impossibilitatem sibi demonstrasse videntur. Unde per se patet, quo jure dicimus Trinitatis mysterium esse verum, nec possibile esse, ut demonstretur contrarium, quoniam id, quod Adversarii ob-

objiciunt, non nisi inanes sunt ratiunculæ, quæ a Logicis primo intuitu deteguntur ac refelluntur.

§. 909.

nec rationi contradicens.

Quod est supra rationem, illud ex principiis rationis demonstrari nequit (§. 901. & *Theol. natur. part.* I. §. 454.) Enimvero etsi quid ex principiis rationis demonstrari non possit, non tamen hinc sequitur, quod principiis rationis repugnet, seu iisdem contradicat: Alias enim demonstrari posset, quod contradictionem involvat (*Logic.* §. 553.); Consequenter quod impossibile sit (*Ontol.* §. 79.), quod fieri omnino in doctrina de S. S. Trinitate nequit (§. 904.). Patet igitur quod salutaris Triados doctrina supra rationem sit, nec contra eandem. Quamobrem cum principiis rationis repugnet, sive contradicat, quod contra eandem est (§. 903. *Theol. natur. part.* I. §. 454.); Adeoque non contradicat, quod contra eandem non est; mysterium Triados principiis rationis non repugnat, seu non contradicit.

Idem quoque sic demonstratur. Mysterium S. S. Trinitatis non est impossibile, sed potius possibile (§. 908.); Adeoque cum possibile contradictionem non involvat (*Ontol.* §. 85.), nec hoc contradictionem involvit. Quamobrem cum contradictionem involvat, quod principiis rationis contradicit (*Ontol.* §. 46.); Mysterium Triados principiis rationis contradicere nequit.

Confundunt hæc duo, esse supra rationem & esse contra eandem, qui mysteria rejiciunt, propterea quod sibi persuadeant, rationis principiis contrariari, quod ex iisdem demonstrari non posse, intelligunt. Has autem pro-

positiones, qui probe perpendit, intuetur veritatem mysterii S. S. Trinitatis sua propria luce radiare.

§. 910.

Trinitatis mysterium scitu est necessarium,

In parte altera hujus Theologiæ liquido constabit, independenter ab hac propositione, medium salvandi salvandos dependere a Deo triuno: nimirum Patrem esse judicem, Filium Salvatorem, Spiritumque Sanctum paracletum, nec in foro justitia celebri possibile esse judicem simul esse & judicem, & mediatorem, & paracletum; Consequenter in foro Divino, quod justissimum sit, ex ipsa Dei notione necessario sequitur, quod tres inter se diversæ personæ esse debeant. Unde per se patet, si datur œconomia salutis, datur Deus triunus, seu Trinitas (§. 874. 873.) Verum enim vero œconomiam salutis dari quoque independenter a dictis demonstrabitur, eamque scitu necessariam esse, sanus negare nequit. Quin Triados mysterium scitu necessarium sit, dubitari nequit.

Idem quoque ex demonstratis luculenter patet. Deus Pater (§. 870.), Filius (§. 871.), nec non Sp. S. cultu soli Deo proprio venerandus est (§. 872.). Verum enim vero Pater, Filius ac Sp. S. realiter inter se differunt (§. 807.), ita tamen ut sint idem numero, seu solus Deus (§. 813.) in tribus personis (§. 832.), seu Deus triunus (§. 873.), in quo Trinitatis doctrina consistit (§. 874.). Tota Trinitas, seu omnes tres Deitatis personæ cultu soli Deo proprio colendi sunt. Quamobrem cum cultus Divinus non consistat nisi in actionibus, quas ideo edit homo, quia pro certo habet dari Deum (*Theol. natur. part.* II. §. 511.), & hic non solum lege naturali præceptus (*Jur. natur. part.* I. §. 1213.), sed & omnino necessarius (*Jur. natur. part.* I. §. 1162.). Constat cultum triunius Dei omnino necessarium esse

esse, seu hominem debere pro certo haberi dari Deum triunum; Adeoque Trinitatis mysterium omnino scitu est necessarium.

Ne quis dubitare possit hoc mysterium cognitu omnino esse necessarium, utramque exornavimus demonstrationem, ita ut is ipse, qui nescit, quomodo hæc necessitas ex œconomia salutis sequatur, eam ex antea demonstratis colligere possit.

§. 911.

Deus nec superflua, nihilque frustra facere potest (§. 409.). Suppone igitur revelatione Divina, si fieri posset, quæ jactatur, talia non contineri, quæ homini scitu necessaria sunt, aut, si talia sint, eadem aliunde cognosci posse, veluti beneficio rationis. In priori casu frustra esset revelatio, cum homo eadem tuto carere possit; in altero autem supervacanea, cum absque ea homo ad eorum notitiam pervenire possit, quæ revelata supponuntur. Quoniam adeo utrumque Deum minime decet (§. 272.), Deus autem vult, quod ipsum decet (§. *citato.*); Nulla omnino ratio suadet Deum ea revelare, quæ vel hominibus scitu necessaria non sunt, vel absque revelatione alio modo cognoscere poterat. Affirmandum itaque revelationem Divinam continere debere, quæ homini scitu necessaria, alio autem modo cognitu impossibilia sunt; Consequenter nec via demonstrationis. Jam vero dogmata quæ via demonstrationis cognosci nequeunt ex principiis rationis prorsus indemonstrabilia sunt. Revelatio itaque Divina continere debet, quæ ex principiis rationis indemonstrabilia sunt; Consequenter cum supra rationem sit, quod ex principiis rationis indemonstrabile (§. 901. & *Theol. natur. part.* I. §. 454.), quæ supra rationem sunt. Quamobrem

adeoque revelandum,

cum mysterium sit, quod supra rationem est (§. 906. & *Theol. natur. part.* I. §. 458.); Revelatio Divina mysteria continere debet, seu in revelatione mysteriis locus est. Quare cum doctrina de S. S. Trinitate sit mysterium (§. 906.) indemonstrabile (§. 907.), & scitu omnino necessarium (§. 910.). Hoc mysterium necessario revelari debuit.

Hac propositione luculenter patet Trinitatis doctrinam mysterium esse, quod non nisi revelatione Divinitus facta scire potuimus, & quia cognitu necessarium scripturam, in qua idem manifestatur, verbum Divinitus revelatum esse. Id, quod eo evidentius patet, quoniam hæc propositio eo modo exornata est, ut per se pateat nobis hic sermonem esse de tota revelatione, non de singulis ejus partibus. Etenim scripturæ quædam insunt, quæ vel ratione, vel experientia cognosci poterant, quatenus ea cum Trinitatis mysterio, aliisque mysteriis cohærent, quæ eodem modo cognosci minime poterant. Quamobrem & diserte diximus in revelatione Divina contineri, quæ homini scitu necessaria, alio autem modo cognitu impossibilia sunt: non vero defendimus, in ea præterea nihil contineri, quæ aliunde cognosci possunt. Notari præterea meretur, quædam in se spectata natura homini esse nota, ut demum ea revelari non sit opus; Ast nota non sunt eo respectu, quo in revelatione continentur. Ex. gr. natura notum est Deum fecisse cœlum & terram, esse omniscium Numen, esse omnipotentem &c. ut ea demum revelari non sit opus. Cum vero in revelatione Divina contineantur promissiones, de quarum veritate citra eandem constare minime poterat, & in ea affirmetur, Deum promittentem hæc esse omniscium, omnipotentem, qui fecit cœlum

&

& terram; dici ſane non poteſt, Deum hæc ſua attributa & opus ſuum revelare nobis voluiſſe, cum ea non niſi in ſacris adducantur tanquam nobis ſatis explorata, ut fidem habeamus promiſſioni, quæ ſola revelatione nobis conſtat, inprimis cum ex circumſtantiis appareat ad ea tanquam nota, vel aliunde cognoſcenda provocari in ipſo ſacro codice ita, ut eorundem jam meminiſſe debeamus, non vero eum in finem in eodem reperiri, quaſi ex eo eadem demum diſcere debeamus, aſt explicatis notionibus, ſine quibus verba alicujus autoris intelligi nequeunt (*Logic.* §. 903.), præſupponi. Poteramus equidem hic criteria applicare ad ſcripturam ſacram, quæ Chriſtiani revelationi Divinæ ineſſe confitemur. Atat! cum id hic paucis fieri non poſſit, nec præſentis inſtituti ratio ſit veritatem religionis Chriſtianæ tueri, de doctrina Triados ajentes, ab ea abſtinere malumus, quam ea tradere, quæ hic adhuc vel exceptionibus obnoxia eſſe poterant, vel in præſente capite demonſtratu aliena ſunt. Sufficit ubivis locorum, ubi methodo convenit, tradere principia, quæ defenſoribus noſtræ ſolum ſalutaris religionis neceſſaria, ne qua in re induſtriam noſtram deſiderari patiamur, nobisque viam planam faciamus ad demonſtrandum ſuo loco ſacram ſcripturam revera verbum Divinitus revelatum eſſe ea certitudine, ut non niſi a dementibus in dubium vocari poſſit. Unde quoque facillime colligitur, cur hanc demonſtrationem ad finem usque hujus ſyſtematis rejicere debuimus, non niſi certitudinis in hac ardua materia amore a vulgari methodo recedentes, alias eandem ubivis ſervantes. Ceterum non minus probe notari meretur, quod inter characteres revelationis Divinæ contineantur myſteria, ut adeo abſonum ſit, ob eadem illam in dubium vocare, vel prorſus impugnare velle, quemadmodum faciunt Antiſcri-

scripturarii, religionis Christianæ ac omnis revelatæ hostes, quos hinc tanquam in ipsa Philosophia veri nominis refutatos ulterioris refutationis non dignos mittimus. Obiter denique notandum est, nec a veritate abhorrere, nullamque vim vocabulo inferri, siquidem futura, quæ prædicantur, in numerum mysteriorum in sacris revelatorum referri velis tamdiu, quamdiu non adimpleta est prædictio. Etenim *indemonstrabilis* significatus tantisper extendendus, ut non modo ea, quæ in se ex principiis rationis indemonstrabilia sunt, verum etiam, quæ a nullo hominum, quantocunque quoque acuminis gradu polleat, demonstrari, aut via demonstrationis erui possunt, sub se comprehendat. Etenim hoc relative æque hominibus indemonstrabile est, quam illud, seu mysterium in se indemonstrabile est ex ratione. Præstat tamen retinere significatum restrictiorem, ut non nisi in se indemonstrabilia pro mysteriis habeantur, atque adeo quod rationi in se spectatæ impervestigibile, reliqua autem mysteriis confinea, nimirum promissiones ac prophetiæ, quippe quæ relative indemonstrabiles sunt. Hæc notasse minime pœnitet, cum ut pateat, quanta sit religio Christiana, quantus sacer codex, tum ne scioli in dictis quid reperiisse sese persuadeant, quod pueri in faba, formentque, vel potius vomitent objectiunculas non refutationis, nec responsionis, sed commiserationis erga eorum fabros dignas.

§. 912.

nec negandum.

Doctrina de S. S. Triade est mysterium (§. 906.), quatenus est supra rationem, (§. 901.) & indemonstrabile (§. 907.), quod tamen scitu necessarium (§. 910.); Consequenter revelandum (§. 911.). Quare cum absonum sit scripturam propterea in dubium velle vocare, quod in ea revelentur mysteria (§. 911. *in notis.*), non nisi cum summa

ma absurditate negari potest ea propter mysteria. Mysterium Triados igitur non nisi ab iis, qui absurdis dilectantur, negare potest, seu hoc prorsus negari nequit.

Anne idem reperitur in rebus naturalibus? Ex gr. in historicis, quis contra objectiunculas scioli cujusdam Critico. Historici affirmabit historiam Alexandri, Cæsaris, aliorumque ita demonstrari posse, ut hic nihil habeat, quod objicere posset? Quis vero sanus inde concludit has historias propterea esse negandas? Ea propter multo minus negari potest mysterium Deo digne & decenter revelatum, quod inanes objectiunctæ contra id formari possunt. E contrario propterea est mysterium, quia est indemonstrabile ex rationis principiis. Unde demonstrata ejus possibilitate (§. 904.), quod rationi non contradicat (§. 909.), & quod revelatum sit (§. 911.), ipsum hoc mysterium pro revera demonstratum haberi; adeoque affirmari debet eo usque, quousque non demonstratur contrarium. Quod, quia impossibile est; Ratum manet hoc mysterium in dubium vocari, multo minus negari posse. Dicta, velim, ut Adversarii probe rimentur. Ita hanc in rem *Illust. Leibnitius* in Discurs. prælim. ad Theod. §. 56. *Il en est*, inquit, *de même des mysteres, où l'esprits moderes trouveront toujours une explication suffisante pour croire, & jamais autant qu'il en faut pour comprendre. Il nous suffit un certain ce que c'est* (τὸ ὅτι), *mais le comment* (πῶς) *nous passe, & ne nous est point necessaire.* Hoc est, pariter se res habet in mysteriis, ubi ingenia moderata semper inveniunt explicationem ad credendum sufficientem, sed nunquam tantum, quantum indigemus ad comprehendendum. Sufficit nobis illud ipsum, quid sit, sed id quomodo, nos

excedit, nec nobis est necessarium. Et l. c. §. 61. *Ce qui en nous est contraire aux mysteres, n'est pas la raison, ni la lumière naturelle, ni l'enchainement des verites, c'est corruption, c'est erreur, ou prejugé, ce sont tenebres.* Hoc est, id quod in nobis adversatur mysteris, non est ratio, nec lumen naturæ, nec nexus veritatum, sed corruptio, error, præjudicium, tenebræ.

§. 913.

Trinitas non est extra revelationem cognoscibilis.

Trinitas est mysterium (§. 906.) indemonstrabile, quia ex principiis rationis demonstrari nequit (§. 907.), seu est supra rationem (§. 901.), aut, si mavis, Sphæram rationis transcendit ita, ut ne quidem in mundo rationali contineatur (§. 902.). Adeoque in sola revelatione contineri potest, alio modo cognitu impossibile (§. 911.). Unde per se patet Trinitatis Mysterium ita sola revelatione contineri, ut alio modo prorsus impossibile sit cognitu, seu id extra revelationem cognosci nequit.

Non dicimus hanc arduam doctrinam in se, nec cum respectu ad hominem incognoscibilem esse, ita ut homo nullam ejus sibi formare possit notionem. Etenim possumus nobis ejus formare notionem distinctam (§. 863. 874.) Quamobrem cum Cognitio sit actio animæ, qua notionem, seu ideam rei sibi acquirit (*Psychol. empir.* 52.); Hanc doctrinam & in se cognoscibilem esse, & ab hominibus cognosci posse, evidenter constat. Atat! quando affirmamus eandem extra revelationem cognosci non posse, jure statuimus, nec rationem, nec mundum rationalem principia largiri posse, unde eam cognoscamus, aut hanc ex sola revelatione, quam vocamus sacram scripturam,

ram, cognitu possibilem esse. Unde liquet quanta sit habenda scriptura, & his probe rimatis, deinde certo certius constabit sacrum codicem esse verbum divinitus revelatum, seu autoritatis Divinæ.

§. 914.

Errant, qui eam ex ratione demonstrare conantur.

Ex demonstratis facillime infertur omnes eos erroris sui redarguendos esse, futiliaque omnino esse argumenta eorum, qui hanc doctrinam vel ex ratione demonstrare, vel ex mundo sensibili probare conantur. Aquam quoniam cribro haurire allaborant non indignationis, sed commiserationis proprium sese monstrantes objectum, nisi forsan error in voluntate eorum lateat. Hos itaque mittimus, inprimis quia systema errorum exornare rationi præsentis instituti contrariatur. E contrario simul ex dictis scripturæ sacræ, seu revelationis necessitas magis, magisque elucet.

§. 915.

Trinitatis doctrina ex Platonicorum Schola oriri non potuit.

Ex dictis porro evidens est, stultissimum esse Socini & asseclarum ejus commentum, dum illi ex Schola Platonica arduum de Triade dogma ortum trahere & qui illud defendunt, loco Euangelii Christi Platonis figmenta defendere, non erubescunt asserere. Hoc somnium tam absurdum est, ut majus cogitari impossibile videatur. Hæc enim salutaris doctrina extra revelationem prorsus incognoscibilis est (§. 913.), adeo ut aliunde cognosci nequeat (§. *citato*), & ipsa ratio amice cum revelatione consentiens evicte docet eandem ex principiis rationis omnino indemonstrabilem esse (§. 907.). Unde igitur Platonici eam haurire potuerunt? Non ex ra-

tione, aut aliunde, quam ex revelatione, ipsa ratione teste. Ex quo per se patet Platonem vel prorsus nihil de hoc mysterio scire potuisse, aut sciviſſe, vel si ejus quandam habuisset notionem, illum eandem vel immediate ex verbo Divinitus revelato, quod in populi Israëlitici manibus erat, vel mediate ab aliis, qui hanc doctrinam in eodem invenerunt, hausisse, & sic origo hujus salutaris mysterii minime tribui potest Platoni, ast sacro codici. Ne dicam, incertissimum esse, num Plato locis illis, qui a defensoribus hujus commenti adducuntur, Trinitatem, & probatu difficile esse, num is hanc nostro sensu, indicare voluerit: attamen, , si fieri posset, ut hoc vel maxime extra dubitationis aleam poni posset, potius dicendum esset, Platonem hos loquendi modos, qui Trinitatem sapere videntur, a Judæis, aut ex ipso sacro codice didiciſſe, quam quod Christiani, qui puriſſimos ipsius sacræ scripturæ fontes habebant, ex corrupta, ne dicam fabulas sapiente, schola Platonica hauserint. Hoc adversariorum commentum exemplo esse potest, quo pateat, quam insignis sit differentia inter veritatem dogmatum Christianorum ex revelatione haustorum, atque figmenta errantium. Hi posteriores supponere debent talia, quæ nunquam demonstrare valent (non enim quodvis ratiocinium veri nominis demonstratio est), cujus e contrario oppositum, seu veritas demonstratione veri nominis ostendi potest. Adeoque si quid ponitur, cujus contrarium demonstrari revera potest, id falsum est, & licet quædam in revelatione reperiantur veritates, quæ ex ratione demonstrari nequeunt, quia ejus sphæram transcendunt, nec eædem rationi contradicere debent. Unde id, cujus contrarium demonstrari nequit, simulque revelatum est, suo jure veritatibus adnumeratur. Quis hinc non agnoscere cogitur neceſſi-

ceſſitatem ſyſtematis veritatum revelatarum veri nominis?

§. 916.

Trinitatis doctrina diſtincta & vera eſt.

Numerus I. Quoniam neceſſe eſt, ut notio trium Divinarum perſonarum ſit diſtincta (§. 863.), nec negare poteſt, ratione, revelationeque teſtibus, notionem Dei eſſe diſtinctam; Deus autem trinus perſonis eſt Deus triunus (§. 873.), & doctrina de triuno Deo vocatur Trinitas (§. 874.) Quin Trinitatis doctrina diſtincta ſit, dubio caret.

Numerus II. Quoniam notio trium Deitatis perſonarum vera eſt (§. 864.), nec ſanus unquam veritatem notionis Dei in dubium vocabit, & ex his notionibus Trias conſiſtit (§. 874. 873.). Trinitatis itaque doctrina vera eſt.

Conſtat jam, qua certitudine, nec non qua fiducia Chriſtiani myſterium S. S. Trinitatis credimus, quia ſcimus diſtincte id neceſſario verum eſſe, & qua triſtitia vidimus errantes circa hanc ſalutarem veritatem in ipſa luce meridiana calligare.

§. 917.

nec non credenda.

Quoniam diſtincte cognoſcimus S. S. Trinitatis doctrinam eſſe veram (§. 916.), quam Deus nos revelavit (§. 911.); & Fides dicitur aſſenſus, quem præbemus propoſitioni propter autoritatem dicentis (*Logic.* §. 611.); Quin S. S. Trinitatis doctrina omnino ſit credenda, dubitari nequit. Quare cum Trinitatis doctrina, ſit doctrina triunius Dei (§. 874.); Deum itaque verum credimus eſſe Deum triunum, ſeu non credit in verum Deum, qui non credit in Deum triunum.

Posterius quoque sic demonstratur. Deus verus est Deus triunus (§. 873.); Unde qui non credit in Deum triunum, non credit in verum Deum.

Ex his colophonis loco luculenter quoque patet, quod, qui non colit Deum triunum, non colat verum Deum, quia cultus Divinus non nisi in actionibus est, quas ideo edit homo, quoniam pro certo habet dari Deum (*Theol. natun. part.* II. §. 511.).

CAPUT VI.

De decretis Divinis.

§. 918.

Cur hic agendum de decretis Divinis.

Decretum Divinum ratione (*Theolog. natur. part.* I. §. 505. 497.) ac revelatione unanimo consensu asseverantibus, est Divinæ voluntatis determinatio ad aliquid agendum, vel non agendum, seu est actus voluntatis Divinæ, quo quid a Deo agendum sit, quid omittendum determinat (§. 318.). Quare cum in hac prima parte hujus Theologiæ nobis animus sit indagare, ut sciamus, quid S. S. de Deo nobis indicare velit (§. 1.); Per se patet doctrinam de decretis Divinis in hac Theologiæ parte enodandam esse. Immo cum, quicquid Deus decrevit, id certo suo tempore evenire debeat, seu rerum futuritio a Divino decreto dependeat (§. 339.), qui cognoscit decreta Divina, cognoscit ea, quæ propterea futura sunt, & qui res bene per-

perſpectas habet, in ipſum Dei decretum circa has res intuetur. Vr. gr. Deus nihil decernere poteſt, niſi quod ipſum decet (§. 341.); Unde certo cognoſcimus, quod Deum dedeceat, nimirum quatenus ad totum ſpectatur (§. 343.), vel quod Deus decernit, optimum eſſe debet tam in ſe, quam in relatione ad ipſummet Deum (§. 338.); Adeoque evidens eſt omnes res a Deo factas ſimul ſumtas optimas eſſe tam in ſe, quam in relatione ad ipſum Deum, ſic qui ſemetipſum probe cognoſcit, intuetur decretum Dei de ſeipſo eousque, quousque ſe cognoſcit, aut qui agnoſcit ea, quæ Deus de ſalute noſtra revelavit, agnoſcit decretum Divinum de ſalute noſtra eousque, quousque hæc certo cognoſcit. Ex dictis itaque luculenter patet quam neceſſaria ſit cognitio decretorum Divinorum, & quomodo ea cognoſci debeant atque poſſint.

§. 919.

Gentium Doctor *Epheſ.* I. 11. evicte docet, *quod ſimus prædeſtinati* κατὰ προθεσιν τοῦ τὰ πάντα ἐνεργοῦντος κατὰ τὴν βουλὴν τοῦ θελήματος αὐτοῦ *ſecundum præſtitutum (propoſitum) ejus, qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*, ſeu quod ſimus prædeſtinati ſecundum propoſitum conſilii voluntatis Dei. Ex hoc aſſerto demonſtravimus juxta revelationem Deo eſſe tribuendum decretum (§. 318.), & conſilium, ſed conſilium per eminentiam (§. 316.). Quoniam vero conſultando disquirimus, quid ſit agendum, quid non agendum (§. *citato & Theol. natur. part.* I. §. 498.); decernendo autem ſtatuimus, quod hoc agere, vel non agere velimus (§. 318. *& Theol. natur. part.* I. §. 497.); Conſultatio decretum præcedit, decretum conſilium ſequitur. Quare cum conſilium ſolummodo per eminentiam tribui poſſit, quatenus inuit actum intellectus Divini, quo, quid agendorum optimum ſit, certo judicio de-

Conſultatio quomodo decretum præcedat.

definit, aut, si magis arridet, summa certitudine intuetur (§. 316.); Consilium per eminentiam Deo tributum ejus decretum præcedit, decretum sequitur consultationem hanc, hoc est, actus ille intellectus Divini, quo certo judicio definit, aut, si mavis, quo summa certitudine intuetur, quid agendorum optimum sit, præcedit determinationi voluntatis Divinæ ad agendum, vel non agendum, & hæc voluntatis determinatio sequitur hunc intellectus Divini actum, seu Deus summa certitudine intuetur, quid sit agendorum optimum, & secundum hoc certissimum judicium suam voluntatem determinat ad agendum, quod est optimum.

Quia consilium Deo non nisi per eminentiam tribui potest, probe consideranda sunt, quæ (§. 317.) diximus, & sic omnis defectus, qui in Deum cadere nequit, non solummodo tollitur; sed &, quomodo nobis verum decreti Divini conceptum formare liceat. via paratur. Ex his enim non solum evidens est, quantum nos a Deo differamus, qui consultatione sensu proprio indigemus, immo sæpe per præcipitantiam primo impetu in decreta ruimus, cum Deo non nisi per eminentiam tribui possit consilium, ejusque, quid agendorum optimum sit, judicium certissimum sit, sed & certi evadimus nostrum conceptum de decretis Divinis esse certum, quia scimus hoc modo id, quod Deo simul inest & per eminentiam ei tribuitur secundum rationem; Adeoque Deo decenter inesse. Etenim si consilium præmitis decreto, & decretum consultationem se-

ſequitur, agis ſecundum rationem (*Theol. natur. part.* I. §. 499. *in notis.*). Unde uſus hujus propoſitionis per ſe evidens eſt, & in ſequentibus patebit.

§. 920.

Cur decreta Dei in ſe intelligibilia.

Scriptura nos docet decreta Divina caſus puros non eſſe (§. 329.). Quamobrem cum caſus purus ſit actus, qui ratione ſufficiente deſtituitur (§. *citato & Cosmol.* §. 94.); Revelatione magiſtra itaque decretum Dei rationem ſufficientem habeat, neceſſe eſt; Conſequenter quoque per ea, quæ Deo & rei decretæ inſunt, intelligi poteſt, cur Deus eam potius decreverit, quam non decreverit.

Ratio enim ſufficiens nobis eſt id, unde intelligitur, cur aliquid ſit (*Ontol.* §. 56.).

Evincitur hic decreta Dei eſſe in ſe intelligibilia, ita ut ea ab eo, qui cognoſcit omnia, quæ Deo & rebus decretis inſunt, intelligibili modo explicari poſſint. Quia autem homines & entia rationalia finita nec cuncta, quæ Deo inſunt, eo quo, Deo inſunt, modo, nec omnia, quæ rebus decretis inſunt, diſtincte intelligunt; hinc nec nos, nec ullum ens rationale finitum eadem intelligibili modo explicare poteſt. Unde facillime colligitur imperſcrutabilitatem (§. 325.), ac incomprehenſibilitatem decretorum Divinorum minime obſtare, cur eadem in ſe intelligibilia ſint. Non enim imperſcrutabilitas & incomprehenſibilitas horum decretorum ipſis Dei decretis ineſt, quia tunc nullum ens eadem intelligere poſſet; Adeoque nec ipſe Deus, quod & rationi (*Theol. natur. part.* I. §. 511.), & revelationi contradicit (§. 334.); Aſt ea dependet a noſtra finitudine, qua non perſcrutari aut comprehendere poſſumus rationem ſufficientem horum decretorum.

Quia autem quædam de Deo & decretis Divinis ex ratione, quædam ex utraque cognoscimus, patet, nec omnem, quem nos adhibemus, conatum ad explicanda decreta Divina esse fruſtraneum, ast potius necessitas omnes intendendi vires per se palam est. Probe animadvertendum eos omnes decretum Divinum in casum purum convertere, quotquot rationem sufficientem ab eodem removent temerario metu, ne libertati Divinæ derogetur, quasi libertati inimicum sit, ut ens summa ratione præditum, nimirum Deus (§. 216.), agat cum summa ratione, suæ temerariæ stultitiæ pœnas luentes, quos hinc & (§. 329) atro carbone notare debuimus.

§. 921.

Deus decernere nequit quod attributis ipsius repugnat.

Secundum ipsum Dei testimonium *Genes.* I. 31. Deus vult, quod judicat optimum in relatione ad seipsum; consequenter idem referendo ad omnia sua attributa (§. 251. 252. 249.) Fieri adeo nequit, ut quid velit, quod attributis, seu perfectionibus ipsius repugnat. Quare cum decretum divinum sit determinatio voluntatis ejusdem ad aliquid agendum, vel non agendum (§. 318.); Deus quoque, seipso teste, nihil potest decernere, quod attributis suis repugnat, seu omne id, quod Deus decernit, attributis ipsius exacte convenire debet.

Nimirum si id faceret, non decerneret, quod ipsum deceret (*Theol. natur. part.* I. §. 332.): Id quod de Deo dici repugnat (§. 341.). Caute tamen procedendum est, ne temere de decretis Divinis judicemus. Ceterum quid convenire dicatur attributis Divinis, satis patere arbitror ex antecedentibus. Etenim in relatione ad Deum nil quicquam dici potest bonum, nisi quatenus summæ Dei perfe-

fectionis, hoc est, attributorum Divinorum, seu veri Dei, signum est. (§. 621. 295.). Quamobrem id convenire dicendum est attributis Divinis, quod est signum eorundem; adeoque si ex eo, quod Deus ponatur hoc velle aut decernere, sequitur ipsum habere hæc attributa. Unde attributis Divinis e contrario repugnat, si ex eo, quod Deum velle aut decernere ponimus, sequitur, eum ista attributa habere minime posse, quæ eidem tamen convenire constat. Terminum convenientiæ ex ipsa Logica jam satis notum esse censemus. Quamvis convenientia cum perfectione rerum & attributis Divinis non multum habere videtur usum in cognoscenda voluntate Divina, ac in cognoscendo decreto ejusdem, præsertim ubi certam desideraveris cognitionem; usus tamen ipsius non contemnendus in iis præcipue casibus elucet, ubi aliunde constat, Deum quid velle ac decernere, ac ratio sufficiens cur hoc velit, decernatque, consequenter & objectiva, & subjectiva (§. 255. *Theol. natur. part.* I. §. 339.) reddenda. Quemadmodum enim in Physicis ratio admittitur tanquam genuina, ubi constat veritas phœnomeni, & tantummodo indagatur ratio, non vero ex assumta ratione intelligendum quid fieri debeat; ita quoque hic agnoscimus rationem & voluntatis, & decreti Divini esse genuinam, ubi jam aliunde novimus, quod Deus hoc velit ac decernat. Et hoc inprimis nobis hic usui est in decreto Divino explicando, quatenus illud ex revelatione cognoscimus in S. S. nobis facta, cum ut idem clarius cognoscamus, tum ut contra objectiones Anti-scripturariorum ac scrupulos, qui suboriuntur attente meditantibus veritates revelatas, sufficienter defendamus. Præterea ipsa hæc convenientia usui quoque est in discernendis iis, quæ probabilius Deum voluisse constat.

Exemplo res erit manifesta. *Josuæ.* X. 12. 13. legitur, hunc coram Israële dixisse ad Jehovam ut faceret, שמש בגבעון דום וירח בעמק אילון: וידם השמש וירח עמד *ut sol quiesceret in Gibeone & luna in convalle Ajalonis, & quievit sol, lunaque stetit (permansit).* Jam in vulgus notum est, duo celebrari in Astronomia systemata mundi, alterum Tychonicum, seu terræ quiescentis; alterum Copernicanum, seu terræ motæ. Quodsi ex natura voluntatis, nec non decreti divini definire volueris, utrum horum sit probabilius; convenientia cum rerum perfectione & attributis Divinis usui esse potest. Etenim cum Copernicanum simplicitate sua sese commendans non minus perfectioni mundi, quam attributis Divinis faveat, quoniam naturam via brevissima agere atque ambages semper vitare constat, & Deum sapientissimum eligere media via brevissima ad scopum ducentia certum est; Hinc Copernicanum Tychonico probabilius esse colligitur, nec hanc sententiam verbis Josuæ contrariari in Exegeticis docetur. Præterea, ne industriam nostram jure desiderari patiamur, circa applicationem principiorum præsentium quædam adhuc admonenda sunt. Ex ipso Dei de hoc mundo judicio demonstravimus, quod est optimum in se, id etiam esse optimum in relatione ad ipsum Deum (§. 249.); Consequenter cum Deus judicet, quid sit optimum in se, quatenus statuit de ejus perfectione (*Theol. natur. part.* I. §. 370.) in relatione ad totum mundum (*Theol. natur. part.* I. §. 393.), quid vero sit optimum in relatione ad seipsum, quatenus idem refert ad omnia sua attributa (*Theol. natur. part.* I. §. 395.); quod convenit cum perfectione universi, idem & cum attributis Divinis debet convenire. Quamobrem si quis per principia ipsi præsentia definire ve-

velit, quid velit ac decernat Deus, non opus est, ut convenientiam & cum attributis Divinis, & cum perfectione universi demonstret, sed sufficit, ut alterutram probet, probata enim una, altera simul probata censeri debet. In probabilibus tamen pondus accedit, ubi argumenta ex utroque fonte petuntur. Quoniam Philosophi est rationem reddere eorum, quæ sunt (*Discurs. prælim.* §. 46.); ipsius quoque est in rationes inquirere eorum, quæ Deus decernit, quando ea ipsum decrevisse constat: Unde hæc principia sese eidem commendant. Et quemadmodum nemo sanus reprehendit, si in probabilibus acquiescat, inprimis ubi ex genuinis principiis derivantur; ita quoque sufficit, probabiles rationes decretorum divinorum perspicere, ubi eas principiis generalibus, seu naturæ decretorum Divinorum congruas deprehendimus. Immo hæc proderunt in moralibus, ubi imperscrutabilitatis decretorum Divinorum memores (§. 325.), probabilibus rationibus idem obtinemus, quod certissimis obtineri poterat. Hoc cum sufficiat in moralibus, necesse est, ut eo magis in revelatis, circa quæ nos versamur, sufficiat, ubi revelantur talia Dei decreta, quæ imperscrutabilia, attamen cognitu atque creditu necessaria; sufficit ostendisse probabiles rationes, adeoque ea non contrariari ratione, & idem obtinemus, quod in naturalibus certissimis obtineri potest, & tunc cum ratione credimus, seu, ut cum Paulo loquar, cultus divinus noster est rationalis.

§. 922.

Quoniam ipso Deo teste per *Jesaiam* XIV. 27., quicquid Deus decrevit, illud suo tempore certo evenit (§. 339.), seu quoniam per Dei decretum res futura facta est; *Qui noscit decreta Dei, noscit futura.*

qui novit, quid sit a Deo decretum, is quoque novit, quid sit certo futurum.

Atque adeo perspicimus præscientiam futurorum dependere a decreto, cum res ante decretum tentummodo spectari possint ut præscibiles, quemadmodum supra abunde docuimus (§. 350. 355. *sqq.*). Hunc paragraphum confecimus, ut luculentius, quæ modo dicta sunt, pateant, & quem usum præstabit, ne præcipitanter de Divinis decretis revelatis judicemus, deinde patebit.

§. 923.

Deus facere potest, immo facit, quod decrevit.

Numerus I. Diserte Psalmista Ps. CXV. 3. affirmat, quod Deus facere possit, quodcunque vult (§. 274.). Quod vero decernit, illud facere vult. Etenim decretum est voluntatis determinatio vel ad agendum, vel ad non agendum (§. 318.). Ergo Psalmista evicte nos docet Deum facere posse, quicquid decrevit.

Numerus II. Verum enim vero teste Apostolo *Hebr.* VI. 17. decretum Dei est immutabile (§. 330.); Consequenter quod semel facere voluit, ut in posterum facere nolit, & quale quid semel facere voluit, ut in posterum tale facere nolit, fieri minime potest, ex immutabilitatis notione evidens est (§. 35. & *Ontol.* §. 291.). Quamobrem quod Deus ab æterno decrevit, id in tempore facit, quemadmodum decrevit.

Hæc propositio plurimum influit in œconomiam salutis, quemadmodum deinde patebit, inprimis vero influit in Ethicam Christianam, quod certissime constabit, si eam nostra methodo exornabis. Ceterum probe considerandæ, quæ de iis, quæ Deus facere vult (§. 275.), & quæ de immutabilitate decreti Divini (§. 330. & 331.) docuimus, ne præcipitanter de decretis Divinis, aut quæ fiunt, judicemus.

§. 924.

§. 924.

Numerus I. De se ipso asseverat Deus *Jes.* XLVI. 10., *se annunciare a principio ultima, & ab initio, quæ nec dum facta sunt.* Additque: *Consilium meum stabit, & omnem delectationem meam facturus sum.* Hæc vero cognitio sese extendit ad omnia omnino possibilia, quod Apostolus diserte docet *Actorum* XV. 18. *Deo* enim *omnia sua opera nota sunt ab æterno;* Adeoque Deo præscibiles sunt omnes effectus rerum materialium (§. 237. *Num.* I.), & omnia libera animæ decreta (§. *citato Num.* II.); Consequenter omnia, quæ in hac rerum serie actum consequuntur. Quoniam itaque in horum numero quoque est fortuna, hoc est, concursus causarum plurium ad effectum homini vel bonum, vel malum (§. 482. & *Theol. natur. part.* I. §. 540.); Fortuna quoque Deo præscibilis fuit. Est vero Deo quid præscibile, quatenus ab æterno novit illud exstiturum, siquidem hæc rerum series existat (§. 237. & *Theol. natur. part.* I. 231.). Quamobrem Deus novit fortunam exstituram, si quidem hæc rerum series existat. Quoniam itaque actualitas rerum a voluntate Dei dependet (*Theol. natur. part.* I. §. 433.) (quod ipse Deus diserte inuit, inquiens: *Consilium meum stabit, & omnem delectationem meam facturus sum*); Consequenter a decreto ipsius (§. 318. & *Theol. natur. part.* I. §. 497.); Hæc rerum series concipi nequit ut exstitura ante decretum. Patet itaque ex ipso Dei de semet ipso testimonio fortunam omnem eidem fuisse præscibilem ante decretum. *Fortuna quomodo se habeat a Decreto,*

Numerus II. Novit Deus, si hæc rerum series existat, in ea quoque exstituram hanc fortunam sive secundam, sive adversam *per demonstrata num.* I. Quamobrem cum per

per decretum Divinum hæc rerum ſeries facta ſit futura (§. 339.); Fortuna quoque omnis ſive proſpera, ſive adverſa per decretum futura facta eſt.

Idem etiam probari poteſt ex providentia Divina, quæ ſeſe extendit ad maxima minima (§. 482.); Conſequenter ad fortunam. Vel exemplis vr. gr. capillorum capitis, aut paſſerum humi cadentium, quorum duo aſſe veniunt *Matth.* X. 29. *ſeqq.*, quique fortuito decidunt: dubitari minime poteſt, hunc caſum fortuitum vi providentiæ Divinæ Deum permittere, & ad bonum quendam finem dirigere, quatenus vi ſapientiæ ac bonitatis ſuæ ſummæ ſaluti hominum, quorum capillum decedit, aut qui paſſerem capit, proſpicere ab æterno decrevit, ſeu fortunam eorum decrevit. Etſi hoc admodum paradoxum videatur; rationi tamen, pariterque revelationi convenientiſſimum vi demonſtrationum antecedentium. Utut, quæ per conſequentias ex ſcriptura docuimus, ex locis ejusdem, quoniam ea abundat exemplis, ſatis prolixe demonſtrare potuiſſemus, interim maluimus attentionem B. L. excitare, acuminique ipſius, hæc in ſacris legendo, relinquere, & quia deinde paſſim de exemplis his ajendi locus erit, iisdem aſſignare, quam unam eandemque rem repetendo Lectoribus nauſea eſſe. Immo hac demonſtratione uno obtutu temerariis Adverſariis os claudere valemus. Etenim qui decretum Divinum circa fortunam negare non erubeſcunt, illi in rationem, quid? quod in ipſum Dei de ſe ipſo teſtimonium injurii ſunt, adeo ut, niſi veritatem agnoſcant, error in voluntate eorum lateat, neceſſe ſit, ac, proch dolor, temeritatis ſuæ pœnas luere, Deo teſte, debent, qui ipſe eosdem de hac veritate convincere voluit.

§. 925.

Paulus diſerte affirmat *Deum nos elegiſſe* πρὸ καταβολῆς κόσμου *ante jacta mundi fundamenta Epheſ.* I. 4. πρὸ χρόνων αἰωνίων *ante tempora ſecularia* (*æterna*) II. *Timoth.* I. 9. Ex his patet Deum nihil eorum, quæ in mundo fiunt, in particulari decernere, quatenus abſolute, ſed quatenus ad totum ſpectatur (§. 343. 312. 262. 257.), ſeu Deus eorum nihil in particulari decernit, ſed in relatione ad totum. Quamobrem cum fortuna ſit concurſus plurium cauſarum ad effectum aliquem homini bonum vel malum, quem is minime prævidet (§. 482. & *Theol. natur. part.* I. §. 540.); Fortuna quoque particulare quid in hac rerum ſerie eſt. Ergo Deus, docente Apoſtolo, fortunam non decrevit abſolute ſpectatam, ſed in relatione ad totum. *& quomodo Deus eam decernat.*

Quæ in genere, jam evicta ſunt in anterioribus, non ſine ratione ad fortunam in ſpecie applicantur, & ſic cognitionem certam acquirimus, quomodo & ipſa fortuna a Deo pendeat, quæ cognitio neceſſaria nobis eſt, quoniam ea in Theologia Exegetica & Ethica Chriſtiana non exiguum momentum affert.

§. 926.

Numerus I. Expreſſis verbis Gentium Apoſtolus *Eph.* I. 11. nos docet, *Deum prædeſtinaſſe* κατὰ πρόθεσιν τοῦ τὰ πάντα ἐνεργοῦντος κατὰ τὴν βουλὴν τοῦ θελήματος αὐτοῦ *ſecundum propoſitum ejus, qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.* Unde evidens eſt, decretum Divinum in re decreta nihil mutare (§. 352.); Conſequenter nec limitationes determinationibus eſſentialibus ſuperaddit, quæ in ideis rerum decretarum, quatenus in intellectu Divino ſpectantur, ante decretum, iisdem nondum inhærent *Num malum metaphyſicum a decreto dependeat.*

(*Ontol.* §. 291.). Necesse igitur est, ut istæ limitationes jam insint ideis rerum, antequam concipiuntur decretæ. Quamobrem cum in his ipsis limitationibus malum metaphysicum consistat. Malum enim Metaphysicum dicitur, quod per essentiam & naturam suam rem imperfectiorem reddere censetur, quam foret, si ab esset, adeoque in limitatione determinationum essentialium consistit (§. 366. & *Theol. natur. part.* I. §. 372.); Teste scriptura, malum metaphysicum per se inesse rebus decretis ante decretum, hoc est antequam concipiuntur decretæ, omnino liquet.

Quod etiam ostenditur hoc modo. Cum essentiæ rerum sint immutabiles (*Ontol.* §. 300); Nec per decretum immutari possunt. Limitationes itaque essentialium non demum per decretum rebus decretis super adduntur (*Ontol.* §. 291.); Adeoque iisdem insunt ante decretum. Quamobrem cum malum metaphysicum in limitationibus essentialibus consistat *per modo demonstrata.* Malum metaphysicum rebus decretis per se inest ante decretum.

Numerus II. Cumque Deus ens finitum, seu limitatum nullum absque limitationibus essentiæ ac naturæ ipsius in ideis Divinis inhærentibus producere possit (*Theol. natur. part.* I. §. 379.), seu facere, possit, ut ens limitatum fiat illimitatum, ne per miraculum quidem, quod se ad impossibilia extendere nequit (*Cosmol.* §. 517); Malum metaphysicum, docente scriptura, a rebus decretis per decretum minime separari potest.

Primum numerum duplici modo demonstravimus, ut

nexus

nexus rationem inter ac revelationem eo luculentius pateat, seu, ut ostendetur id revelationem docere, quod ratio dictitat. Ceterum probe tenendum est, quod finitudo atque limitatio originaria nostri intellectus habeatur pro malo metaphysico, quia intellectus noster longe foret perfectior, si finitudine ac limitatione careret, quemadmodum superius vidimus intellectum Divinum esse perfectissimum, propterea quod infinitus & illimitatus (§. 183. 184.). Porro qui ideas rerum arbitrarias supra explosas (§. 203. *sqq.*) fingunt, limitationes determinationum essentialium per decreta ideis rerum inferunt, & sic in doctrina mali difficultatibus inextricabilibus implicantur. Qui vero essentias rerum æternas & essentiales, Philosophis, immo Theologis ad *Carteſii* usque tempora unanimi consensu probatas, agnoscunt; Limitationes determinationum essentialium ante decretum in ideis rerum, quatenus vi principii contradictionis; Adeoque per naturam intellectus (*Ontol.* §. 27.), insunt in intellectu Divino, considerantur, & hoc pacto circa originem ac permissionem mali & concursum Dei ad malum nihil difficultatis sentire possunt, quod non superari posset. Et eo fine propositionem præsentem tanquam probe notandam inculcamus. Nimirum malum metaphysicum rebus minime inest, quia decrevit Deus, ut insit (§. 366.), sed quia decrevit res, a quibus abesse nequit, seu res finitas atque limitatas, non autem decernere potuit producere res illimitatas ac infinitas, seu Deos (§. 511 *in notis.*). Homo habet facultatem cognoscendi admodum limitatam, quod nemo non novit, cum idem ex semetipso experiatur. Minime autem facultas ejus cognoscendi hoc pacto limitatur potius, quam alio, quia Deus decrevit has essentiæ ejus indere limitationes, quam alias; sed quia Deus hominem producere de-

crevit, cui in idea ejus hæ facultatis cognoscitivæ limitationes inhærebant, aut, quod perinde est, qui absque hac limitatione produci non poterat, si stylo *D. Thomæ*, *ab offensione infirmorum magis remoto*, uti volueris, quia homo hic absque hac limitatione facultatis cognoscitivæ non erat factibilis, seu factu possibilis. Videat enim pro acumine suo, qui quædam a Deo fieri non posse tuetur, hoc ipsum scandalum, etsi acceptum, evitari, ubi quædam non factibilia, aut, si vocabulum displiceat auribus latinis puris, talia pronuncies, ut ea fieri repugnet: in quorum numero sunt utique creaturæ a malo metaphysico liberatæ, hoc est, in Deos conversæ. Unde per se evidens est, cum certitudo nostræ definitionis mali metaphysici, tum labyrintus, in quem necessario ruunt, qui somniant dari in Deo posse ideas arbitrarias. E contrario inanis est metus, quod ex inde sequatur æternitas, necessitasque mundi, quod statim patebit.

§. 927.

Malum metaphysicum qualem perfectionem ab ente excludat.

Scriptura convenienter malum metaphysicum consistit in limitationibus essentalium determinationum (§. 926.). Quamobrem cum ens limitatum habere nequeat nisi determinationes essentiales limitatas, & per easdem in esse hujus entis constituatur (*Ontol.* §. 144.); Majoris quoque perfectionis capax non est, nec fieri potest, quam quæ vi illarum limitationum locum habet (*Ontol.* §. 168.). Quamobrem eo major, quæ concipitur, perfectio limitibus ampliatis, est alterius entis, cui limites sic ampliati conveniunt; Adeoque aliena. Jam cum quid in se malum sit, quatenus quædam imperfectio ipsi inhæret (*Theol. natur. part.* I. §. 371.); Adeoque perfectio quædam de eodem negatur; Limitationes essentiales tantummodo removent perfectionem alienam, non propriam; Consequenter malum me-

metaphysicum non est absentia perfectionis propropriæ, sed alienæ.

Hinc malum metaphysicum potius malum apparet, quam est, & minus quoddam bonum est, si relative ad majora bona spectetur. Neque vero utilitate caret hæc observasse: usum enim insignem præstat præpositio præsens in Ethica Christiana, quemadmodum eam tractanti constabit. Proderit quoque eandem notasse in hac Theologia, ne difficultates circa bonitatem Dei atque peccatum originale nectamus, eo quod malum metaphysicum male concipiamus.

§. 928.

Malum physicum & morale non repugnat mundo optimo.

Mundus hic adspectabilis secundum ipsum Dei judicium est omnium possibilium optimus, eundem referens cum ad totum universum, seu in se, tum ad reliquos omnes possibiles mundos (§. 249.), & quia bonum est, quod ad perfectionem aliquid confert (§. 504.); Hic mundus & in se, & in relatione ad omnes possibiles est perfectissimus. Verum enim vero & ratione, & revelatione testibus mala physica, nec non moralia in hoc mundo adspectabili locum habent. Mala igitur physica & moralia secundum ipsum Dei judicium de hoc mundo; Consequenter & in mundo omnium possibilium perfectissimo, optimoque locum habent.

Propositionis hujus veritas ex ipso Dei judicio de hoc mundo adspectabili manifesta est, & unicuique palam erit, modo rite perceperit, quæ de summa mundi hujus perfectione, qua ceteros vincit, superius evicimus, & quo sensu eum optimum, immo veri Dei signum naturale esse de-

demonstravimus. Cave autem, ne sensum nostrum ex sacris deductum pervertas cum sciolis consequentiariis, quasi a nobis affirmetur, mundum hunc ideo esse perfectissimum, optimumque, quod in eo detur malum physicum atque morale, & per hæc ipsa mala ceteris, qui iisdem carerent, fieri meliorem. Etenim dum demonstramus, mala physica, nec non moralia etiam in mundo omnium possibilium optimo, perfectissimoque habere locum; inde tantummodo sequitur, mala physica & moralia non obstare, quo minus idem sit omnium perfectimus ac optimus, non vero quod ex malo physico & morali oriatur ista perfectio & prærogativa. Nullum mundum carere posse malo metaphysico, facile demonstravimus, quia tunc mundus carere deberet limitibus determinationum essentialium; Consequenter in Deum contradictorie, immo blaspheme conferteretur (§. 926.). An vero mundus sit possibilis ex quo omne malum & physicum & morale exulet, an utrumque in quolibet mundo locum habeat, ego non definivero, quia mihi cum mundis fictis non, sed hoc adspectabili, quem incolimus, res est, immo nec qui sumunt, ut habeant, quod adversus perfectionem hujus mundi opponunt, demonstrare audent. Quæ vero precario sumuntur, opponi minime possunt iis, quæ ratione pariter ac revelatione firmantur. Quodli quis demonstrare possit, mundum aliquem esse revera possibilem ex quo omne malum physicum & morale exulet, & quod malum utrumque obstet, quo minus mundus, in quo eidem locus est, sit perfectior, meliorque altero, ex quo utrumque exulat, is demum argumentari possit: dantur in hoc mundo mala physica & moralia. Ergo mundus hic non est omnium possibilium perfectissimus, neque optimus. Quamdiu vero utrumque precario sumit; emendicatam conclusionem fru-

frustaneo conatu & summa cum absurditate opponit. Etenim, ne quid prætermittatur, quod argumento intricato lucem quandam addjicere possit, quæ e re esse videntur, a nobis superaddenda sunt. Taceo eosdem in ipsum Dei de hoc mundo judicium injurios esse (§. 249.).

§. 929.

Malum physicum cum sit, quod statum mundi quoad effectus naturales imperfectiorem reddere censetur, quam foret, si alii essent (*Theol. natur. part.* I. §. 373.); morale vero, quod actionibus hominum liberis inhæret (*Theol. natur. part.* I. §. 374.); Nemo non videt malum physicum & morale tantummodo arguere imperfectionem in subjecto, si in se spectetur; Consequenter in parte hujus universi. Verum enim vero si quid in re in se spectata imperfectionem arguit, id ideo in ea non arguit imperfectionem, quatenus ad aliam refertur (*Cosmol.* §. 542.); Consequenter imperfectio partis in relatione ad totum apparens esse potest (*Cosmol.* §. 543.); Adeoque in toto perfectionem minime tollit, sed potius cum majore perfectione totius cohæret (*Cosmol.* §. 547.). Quamobrem malum physicum ac morale non obstat, quo minus in mundo, qui existit, major sit perfectio, quam in ceteris possibilibus. *nec majori perfectioni mundi.*

D. Thomas dudum hoc defendit, nimirum imperfectionem partis posse facere ad perfectionem totius; Adeoque nec a mente ejus alienum est asserere, malum physicum, moraleque non obstare, quo minus in toto mundo major sit perfectio, quam in alio quocunque possibili. Ceterum per hanc propositionem liquet, falso assumi, quasi malum physicum ac morale repugnet majori perfectioni mundi.

Et-

Etsi autem præsens propositio per modum corollarii fluat ex anteriore; Adeoque ipso Dei de hoc mundo judicio admisso utique affirmandum sit, utrumque malum minime obstare, quo minus hic adspectabilis mundus sit cuncto possibili reliquo & perfectior, & melior; Consultum tamen visum fuit, eandem aliunde probare, ne, quibus contrarium videtur ex parte perperam judicare consueti de toto (*Cosmol.* §. 550.), id ex hypothesi ab ipsis in dubium vocata intulisse videamur, quemadmodum idem fecimus superius, cum, adstructa idearum necessitate (§. 203. 204.), arbitrarias everteremus (§. 205.). Denique hanc propositionem probe perpendi velim ab omnibus, qui veritatem maximi momenti de perfectione hujus mundi intimius perspicere gestiunt. Quem in finem ponderanda sunt, quæ (*Ontol.* §. 503. *Jeqq.*), & de perfectione mundi in specie (*Cosmol.* § 535. *Jeqq.*) evicte docuit *Ex. Baro de Wolfius*, in usum eorum, qui ex ipsa philosophia hoc Dei judicium de hoc mundo verum ac certum esse ostendere allaborant, sicque ostendere cupiunt vinculum rationem inter & revelationem esse arctissimum. Quodsi vero quis vires sibi tantas non esse experitur, ut rei tam arduæ distincte concipiendæ sufficiant, eum solummodo amice petimus, ut sibi a præcipitantia in judicando temperet, ne ea asserat, quæ in Majestatem atque judicium Dei injuria sunt, virgula sua temeraria censoria notans opus Divinum, quod ipsa sacra scriptura magistra artifice suo maximo, seu Deo sese probavit, cum infinito rationis lumine idem perlustraret (§. 249.). Recolendum hic est, quod supra inculcavimus mundum optimum esse signum naturale veri Dei (§. 295.), & hinc Deo maxime placere (§. 299.). Quod vero adversus perfectionem mundi maximam ab iis, quæ in mundo observamus, nulla peti possit objectio, ut magis adhuc in aprico collocetur, nec in minimis desi-

de-

derio B. L. desimus, sequentem subjicere lubet propositionem.

§. 930.

Quomodo Deus decernat.

Antequam Moses Dei judicium de hoc mundo describit, enumerat omnia, quæ Deus creavit, cum totum mundum ex nihilo una cum corporibus mundi totalibus, tum ejus corpora partialia *Genes.* I. 1.---30., & de his, seu de omnibus omnino creatis dicit versu 31. וירא אלהים את־ כל־אשר עשה והנה־טוב מאד, quod merito vertitur: *Et intuitus est Deus omne, quod fecerat, & ecce! optimum erat.* Quod (§. 249.), evidenter probavimus, ibidemque ex hoc loco classico ostendimus Deum propterea non præcipitanter judicasse, quod hic mundus revera sit optimus, quia non ex parte, nec de parte una sigilatim spectata tulit judicium, sed in relatione ad cetera omnia, quæ fecerat, hoc est ad totum universum, seu Deus, quid optimum sit in se, judicans, idem refert ad totum universum. Quamobrem cum Deus quoque decernat, quod in se optimum est, docente S. S. (§. 338.), id decernit, quod tale deprehenditur in relatione ad totum universum; Consequenter Moses nos docet ex ipso Dei de mundo judicio Deum non decernere quod est melius in parte, sed quod melius est in toto.

Eadem est sententia *D. Thomæ*, qui part. I. quæst. 48. art. 2. concl. 4. apud *Carbonem* in compendio totius summæ Doctoris Angelici pag. 98. diserte: *Deus*, inquit, *& natura faciunt, quod est melius in toto, non autem in parte. In toto autem melius est aliqua posse deficere.* Quæ vero Deus in tempore facit, ea ab æterno decrevit, & in tempore facit, quemadmodum ab æterno decrevit (§. 923.). Quamobrem ex mente *D. Thomæ* dicendum omnino est, Deum decrevisse, quod est melius in toto,

non quod in parte, quemadmodum habet propositio nostra. Unde, qui in ipsum Dei judicium, seu qui in Deum ipsum injurius esse non vult, admittere debet hunc mundum & in se, & in relatione ad omnes omnino possibiles esse optimum, nec malum morale ac physicum, multo minus metaphysicum obstare, quin horum omnium sit optimus.

§. 931.

Malum physicum & morale non nisi hypothetice necessarium est.

Ex ipso Dei judicio de hoc mundo evidens est malum physicum in eodem locum habere (§. 928.), & mala physica constituuntur per effectus naturales (*Theol. natur. part.* I. §. 373.). Verum enim vero quæ in hoc mundo contingunt, non nisi hypothetice necessaria sunt (*Cosmol.* §. 102.), actu eorum ab omni necessitate absoluta libero (*Cosmol.* §. 104. 105.). Malum igitur physicum non nisi hypothetice necessarium est.

Consimiliter Ex eodem Dei judicio patet malum morale in hoc mundo locum habere (§. 928.), malumque morale actionibus hominum liberis inhærere (*Theol. natur. part.* I. §. 374.); Consequenter a volitionibus & nolitionibus pendere (*Psychol. empir.* §. 936.). Enimvero volitiones ac nolitiones animæ in se contingentes sunt, ipsique etiam motus corporis a voluntate pendentes sunt contingentes (*Psychol. empir.* §. 935.); Consequenter a necessitate absoluta liberæ sunt (*Ontol.* §. 317.). Quoniam tamen anima se determinat ad volendum & nolendum motivis suis convenienter (*Psychol. empir.* §. 932.); Eædem rationem sufficientem habent (*Psychol. empir.* §. 887.), sed cum per essentiam animæ determitatæ non sint (*Psychol. empir.* §. 940.), in alio ab essentia diverso eandem agnoscunt. Quamobrem cum id non nisi hytothetice ne-

ces-

ceſſarium ſit, quod rationem in alio ab eſſentia diverſo agnoſcit (*Ontol.* §. 320.); Ipſæ quoque volitiones ac nolitiones animæ; Conſequenter & malum morale ab ipſis pendens non niſi hypotheticæ eſt neceſſitatis

Facile attendenti manifeſtum eſt, malum phyſicum & morale eſſe in hac rerum ſerie hypotheticæ neceſſarium, quatenus rerum nexus ſubſiſtere debet (quemadmodum id *ex parabola de Zizaniis inter triticum enatis Matth.* XIII. 24. *ſeqq.* (§. 373.) facillime colligitur), qui per miraculum diſſolvi poterat (§. 286.). Pendet nexus rerum a principio rationis ſufficientis (*Cosmol.* §. 10. *&* *Ontol.* §. 70.), atque hinc hypothetica neceſſitas a principio rationis ſufficientis manat (*Ontol.* §. 320.), quod in ſeriem rerum nullam neceſſitatem abſolutam invenit (*Cosmol.* §. 104.). Equidem difficultates circa exiſtentiam mali phyſici atque moralis in hac rerum ſerie ex hoc potiſſimum capite moventur, quod utriusque neceſſitas non ſit abſolute neceſſaria, ſed tantummodo hypothetica; Adeoque inutile videri poterat eam demum hic demonſtrari: Quid? quod forſan non deerunt, qui id reprehenſuri ſunt, ſibi perſuadentes, hoc pacto arma ſuppeditari hoſtibus. Verum enim vero non diſſimulandum, quod veritatis eſt, ubi eam cognoſcere curæ, cordique eſt, nec fortis eſt hoſtem adeo metuere, ut potius dolo vincere, quam eum debellare velit, aut ut in veritate adverſus eum præſidium ſeſe reperire poſſe deſperet. Etenim evicte demonſtravimus non dedecere Deum, ut producat mundum, cui malum phyſicum & morale implicatur (§. 375. 380.), nec dedecere eum, ut per miraculum abuſum libertatis impediat (§. 426.); Adeoque Deum permittendo lapſum, neutiquam peccati autorem, ſeu cauſam eſſe. Quid? quod e contrario per

sublationem particularem mali physici, nec non moralis esse solum œconomiæ salutis autorem talem, qualem sese in scriptura revelavit.

§. 932.

Malorum sublatio particularis.

Salvator admodum perspicue *Matth.* XIII. 24. *seqq. in parabola de Zizaniis inter triticum enatis* docet malum morale & physicum ita implicari toti huic rerum seriei, ut eadem salva ab eadem minime tolli possit (§. 373.); Consequenter cum in hac serie rerum omnia sint inter se connexa (*Cosmol.* §. 48.), cum bonis connectuntur mala, minime vero mala tantummodo connectuntur inter se, ut separatam quandam seriem constituant, cum bonis autem seriem alteram constituentibus non connectantur. Quamobrem si supponas, tolli malum physicum vel morale aliquod in uno quodam casu, non ideo tolluntur mala physica & moralia cuncta in omni casu; Adeoque in integra rerum serie. Non igitur repugnat, tolli malum physicum vel morale in casu aliquo dato, etsi non tollatur ex integra serie rerum. Jam constat malum tam physicum, quam morale tolli posse per miraculum (*Theol. natur. part.* I. §. 553.), & Deum miracula facere posse (§. 286.). Christo itaque doctore scimus, Deum tollere posse malum physicum & morale in dato aliquo casu, etsi idem non tollat ex integra serie rerum.

Malum physicum & morale si tollitur in dato aliquo casu, necesse est, ut Deus miraculum patret (*Theol. natur. part.* I. §. 553.). Verum enim vero si miraculum in mundo contingit, nec aliqua alterius mutatio accidit, hoc est, nisi per aliud miraculum restituantur effectus, qui naturaliter in iis rebus consecuti fuissent, quæ vi miraculi sunt immutatæ (*Cosmol.* §. 533.); Sequens mundi pars non am-

amplius erit eadem (*Cosmol.* §. 531.). Quamobrem cum nullum miraculum reſtitutionis hic fieri ſupponatur; ſublato malo Phyſico vel morali in aliquo dato caſu, ſequens pars ſeriei non erit amplius eadem, itidem Chriſto magiſtro.

Qualis vero futura ſit mutatio, intelligitur: Nimirum non alia diverſitas in futuram adhuc ſeriem rerum introducitur, quam quæ ſublato malo phyſico vel morali in caſu dato in cæteras deinceps per naturam & eſſentiam corporum vi ſtatus miraculoſi conſequi poſſunt. Qui nexum rerum in univerſo probe perſpectum, cognitumque habet, is & agnoſcit bona malis & mala bonis in eodem connexa unam conſtituere ſeriem, quod Chriſtus in parabola de zizanis & tritico evicte docet (§. 373. *ſeqq.*). Et perinde eſſe, ſive per miraculum malum aliquod ex ſerie rerum tollatur, ſive bonum aliquod; Conſequenter quemadmodum non omne bonum tollitur, quando per miraculum tollitur quidpiam boni in caſu quodam dato; ita nec omne malum tolli, ſi per miraculum in caſu uno tolli ponatur quidpiam mali. Sane quemadmodum ſublato bono quopiam tolluntur quoque mala cum eodem in ſerie rerum connexa; ita quoque cum malo tolli poſſunt bona cum eodem in hac rerum ſerie connexa. Quod evidens eſt ex data parabola Chriſti *Matth.* XIII. 24. *ſeqq.* perinde enim eſt ſive Zizanium unum, tollatur, ſive triticum unum eradicetur; Conſequenter quemadmodum non omne triticum totius agri eradicatur, eradicato uno, ita nec zizania cuncta ejusdem agri, ſublato uno. Sane quemadmodum eradicato tritico tolluntur quoque zizania, quorum radices cum hoc tritico implicantur; ita quoque cum zizanio eradicatur triticum, cujus radices cum zizanio implicantur. Hæc autem probe

notanda veniunt, ut constet, prægnantes omnino Deo esse rationes, si in dato quodam casu malum quoddam morale, vel physicum tollere debeat per miraculum: id quod magnam lucem affundet œconomiæ gratiæ, utileque est ad praxin officiorum erga Deum in Ethica Christiana.

§. 933.

Malo physico & morali sublato mundus non fuerit perfectior.

Christo Doctore paterfamilias diserte noluit, ut colligantur zizania, ne simul eradicetur triticum *Matth.* XIII. 24. *seqq.* Zizania mali, triticum boni Symbolum esse, dubitari nequit. Jam sublato malo physico ac morali præsens rerum series eadem manere nequit (§. 932.). Quamobrem cum hæc ipsa rerum series, seu, quod perinde est, hic mundus adspectabilis ex ipso Dei judicio sit omnium possibilium perfectissimus (§. 249.); Adeoque si mutetur, non possit mutari in melius, sed necessario mutetur in deterius; **Sublato malo physico, moralique ex tota hac rerum serie, ea permanere nequit omnium omnino possibilium perfectissima, seu mundus non possit esse omnium perfectimus.**

Probe perpendendum est, quomodo hæc propositio deducatur ex anterioribus, ne perversa interpretatione in errorem trahatur. Malum physicum ac morale ita implicatur huic rerum serei, quemadmodum Zizaniorum radices implicantur iis tritici, Salvatore docente, ut evelli non possit, nisi simul evellatur bonum, quod cum malo connectitur. Sublato igitur Zizanio, seu malo physico & morali, series hæc non fit deterior, propterea quod ipsum aufertur, sed quod simul eradicatur triticum, seu tollitur bonum, cui, malo absente, non amplius locus est naturaliter in hac rerum serie. Quemadmodum itaque supe-

perius ostendimus, huic rerum serei, seu mundo majorem esse perfectionem, quam ceteris, non propter malum physicum & morale, quod in eodem datur, sed quia hoc ipsum non obstat, quo minus tota rerum series sit ceteris possibilibus perfectior (§. 929.); ita quoque hic dicendum, rerum præsentem seriem non ideo fieri imperfectiorem, quod malo physico, moralique careat, sed quod eo sublato, carere debeat bono, quod eidem inexistit. Qui religionis Christianæ veritatem profitemur, exemplo augusto fidem facere possumus dubitanti. Hanc enim rerum seriem nihil magis nobilitat, quam judicium ipsius Dei de hoc mundo, & inprimis Christus, totaque œconomia salutis. Sublato malo morali ex hac rerum serie, negatur veritas judicii Divini de hoc mundo, tollitur quoque ex eadem Christus: tollitur œconomia salutis tota, id quod nemo sanus negare ausit. Ecquis vero non intelligit, si ad Deum rem omnem referat, eam rerum seriem decenter ab eo fuisse electam, in qua regnum gratiæ cum regno naturæ copulatur? Immo quis non intelligit, si eam in se consideret, copulato regno gratiæ, majorem in hac serie resultare perfectionem? Mundus enim perfectior est, in quo major est rerum consentientium varietas (*Cosmol.* §. 552.). Ceterum veritas hujus propositionis subsistit, etiamsi quis non admittit præsentem rerum seriem esse in se spectatam omnium possibilium perfectissimam; Sed cum *D. Thoma* defendere mavult, *hanc rerum seriem a Deo non potuisse condi meliorem.* Etenim si hæc rerum series a Deo non potuerat effici melior, suppositis videlicet hisce rebus; nec malo physico & morali sublato melior fieri potuit. Et sane laudatus *Thomas* bonum in hoc mundo ita connecti cum malo, ut malum per accidens influat in ipsum bonum, quatenus nimirum cum eodem connectitur:

do-

docuit enim, summ. Theol. part. I. quæst. 19. art. 9. concl. 5., *malum per accidens pertinere ad decorem universi.* Ut intelligatur, quomodo hoc fieri possit; Philosophi erit hoc ostendere a priori ex ipsis rerum notionibus, id quod *Excel. Baro de Wolfius* præstavit (*Theol. natur. part.* I. §. 557. *seqq.*), nobis sufficit judicium Dei & doctrina Christi, ex quibus hanc veritatem docuimus. Ususque ejus per se palam est.

§. 934.

Sapientia in decreto condendi mundi.

Deus, scriptura magistra, hunc mundum ex ceteris possibilibus eligit, quoniam fini, quem intendit, omnium maxime convenit (§. 382.); Consequenter Deus existentiam hujus adspectabilis mundi decrevit propter finem sibi maxime convenientem, & medium eligit, quo eundem certo consequitur (§. 391.), nec fines particulares constituit, nisi in relatione ad totius mundi finem (§. 393.), eosque sibi invicem ita subordinavit, ut remotiorum media sint propiores, ac omnes tandem simul medium ultimi (§. 379.). Quamobrem cum sapientia non requirat, nisi ut propter finem nobis convenientem agamus, & media eidem convenientia eligamus, finesque particulares subordinemus per modum medii ad finem (§. 401. *& Psychol. empir.* §. 678.); **Deum existentiam hujus mundi sapienter decrevisse ex revelatione constat.**

Quod quoque sic patet. Scriptura magistra scimus Deum decrevisse hunc producere mundum ad patefactionem sui ipsius, seu ut perfectionem suam absolute summam patefaceret (§. 377.), ac ideo eum producere decrevit, quia ipsius judicio (§. 249.) gloriam ejus omnium maxime manifestaret (§. 389.), & hinc manifestationi gloriæ suæ omnes fines particulares subordinat (§. 397.

Num.

Num. II.). Quoniam itaque sapienter decernitur, quod propter finem decernenti convenientem decernitur, decretis simul mediis ad eum obtinendum necessariis una cum legitima finium subordinatione (§. 401.). Quin Deus sapienter existentiam hujus universi decreverit, dubitandum non est.

Hæc propositio vi demonstrationis primæ subsit, etiamsi non supponas mundum a Deo creatum esse omnium possibilium optimum. In hypothesi autem mundi optimi non modo patet, quod sapienter ejus existentiam decreverit, verum etiam quod sapientissime decreverit, quemadmodum ex propositione subsequente constabit, cujus demonstratio in hypothesin mundi optimi resolvitur.

§. 935.

Revelatione docente finis, quem Deus per productionem mundi hujus adspectabilis intendit, est omnium optimus, qui per creationem alicujus universi intendi potest (384.). Media elegit, per quæ eundem certo (§. 391.), ex asse, atque via brevissima consequitur (§. 399.); finesque omnes ita sibi invicem subordinavit, ut remotiorum media sint propiores, omnesque tandem simul medium finis ultimi (§. 397. *Num.* V.). Verum enim vero major sapientia concipi nequit, quam qua fines optimi constituuntur, media certo & via brevissima ad eundem ex asse consequendum ducentia eliguntur, finesque particulares ita sibi invicem subordinantur, ut remotiorum media sint propiores, ac omnes tandem simul medium finis ultimi (§. 401.); Deus adeo existentiam hujus mundi adspectabilis sapientissime decrevit, ita ut *Summa est.*

majore ſapientia in decernendo uti minime potuerit.

Ex ſuperioribus patet, non poſſe probari finem a Deo conſtitutum eſſe omnium poſſibilium optimum, niſi ſupponatur Deum eligiſſe mundum omnium poſſibilium optimum. Atque ita demonſtratio præſens reſolvitur in hypotheſin mundi omnium poſſibilium optimi, nec niſi ſtante hac hypotheſi ſubſiſtit. Elucet adeo denuo hujus hypotheſeos prærogativa.

§. 936.

Quousque extendatur ſapientia in decreto Divino.

Teſte ſcriptura Deus omnia decrevit ab æterno (§. 321.) actu unico (§. 345.), nec quicquam eorum, quæ in mundo fiunt, in particulari decrevit abſolute ſpectatum, ſed in relatione ad totum (§. 343.). Decrevit autem exiſtentiam totius mundi ſapienter (§. 934.), immo ſapientiſſime (§. 935.). Decrevit ergo omnia in hoc univerſo ſapienter, immo ſapientiſſime.

Idem etiam ſic demonſtratur. Deus producere decrevit mundum, qui ſuo judicio omnium maxime manifeſtat gloriam ſuam (§. 389. *Num.* III.); Conſequenter attributa ſua hominibus revelat (§. 609. 379.). Quamobrem cum in horum numero quoque ſit ſapientia ſumma atque perfectiſſima (§. 401.); Mundum utique producere decrevit, qui ſuo judicio omnium maxime patefacit ſummam hanc atque perfectiſſimam ſapientiam. Patet per ſe, ſummam Dei ſapientiam per decretum mundi producendi non poſſe aliter innoteſcere, niſi quatenus ex rebus decretis intelligitur, eos hoc modo decerni non potuiſſe niſi ab eo, cui ſumma eſt atque perfectiſſima ſapientia, & qui hac ſapientia in decernendo utitur. Deus itaque mediis, quibus finem ſuum certo (§. 391.) & ex aſſe via breviſſima conſequi-

quitur (§. 399.), omnia in hoc mundo ſapientiſſime decrevit.

Me tacente apparet, demonſtrationem poſteriorem ſimul ſatisfacere propoſitioni anteriori. Mirifice autem præſens propoſitio in praxin influit, ut adeo in futuros uſus probe ſit notanda.

§. 937.

Moralis mali permiſſionem Deus ſapientiſſime decrevit,

Deus, conſentiente ſcriptura, malum morale permittere decrevit (§. 371.); Omnia vero in hoc univero ſapientiſſime decrevit (§. 936.); Mali quoque moralis permiſſionem ſapientiſſime decrevit.

Jam certo certiores eſſe poſſumus permiſſionem mali moralis minime repugnare bonitati Divinæ; Adeoque hæc propoſitio haud exigui uſus eſt.

§. 938.

& cur.

Sublato malo phyſico, moralique ex tota hac rerum ſerie, ipſa permanere nequit omnium poſſibilium perfectiſſima (§. 933.). Quamobrem cum perfectio mundi enaſcatur ex poſſibilitate ſubordinationis finium particularium & ultimi (*Theol. natur. part.* I. §. 671.); Conſequenter ſumma, quæ huic mundo ineſt perfectio (§. 249.), tum demum ſubſiſtere minime poſſit, ſi fines particulares & ultimus non amplius ſibi invicem ſubordinentur eo, quo nunc fit, modo; Mala phyſica, nec non moralia finibus a Deo in hac rerum ſerie intentis ita implicari debent, ut iisdem ablatis eorundem ac finis ultimi ſubordinatio non amplius eo, quo nunc, modo fieri poſſit. Verum enim vero cum ſubordinatio finium particularium & ultimi ſapientiæ ſit (§. 401.); Hoc modo potius, quam alio facta ad ſummam atque perfectiſſimam, qua Deus fulget (§. *citato.*), ſapientiam pertinet. Quamobrem mala phyſica

ac moralia finibus a Deo in hac serie rerum intentis ita implicantur, ut salva sapientia ejus summa atque perfectissima, tolli nequeant; Hæc ipsa mala, tam physica, quam moralia, minime obstant, quo minus hujus mundi existentiam, & omnia, quæ in eodem sunt, sapientissime decreverit (§. 936. 937.).

Qui adeo volunt mala physica & moralia ex hoc universo tolli, in sapientiam Divinam injurii sunt: Volunt enim fieri a Deo, quod salva summa atque perfectissima, quæ Numini colendo inest, sapientia fieri nequit. Simulque luculenter patet, quantum a vero aberrent, qui mundi a Deo dependentiam negant, vel Deum prorsus ejus autorem esse in dubium vocant, propterea quod mala physica & moralia cum sapientia ejusdem pugnare somniant. Sicque de rebus non sufficienter discussis judicium deproperant. Nos vero certi sumus Deum hæc summa cum sapientia permittere, nec mali esse autorem.

§. 939.

Potentia abutendi libertate quomodo spectetur in decreto Divino.

Gentium Apostolus nos docet *Eph.* I. 11. malum metaphysicum per se ante decretum rebus decretis inesse, nec ab iis per decretum separari posse (§. 366.). Verum enim vero potentia abutendi libertate est malum metaphysicum (*Theol. natur. part.* I. §. 710.). Quamobrem potentia libertate abutendi inhæsit ideæ hominis ante decretum, nec per hoc ab idea hac separari potuit, ob eam tamen Deus existentiam hominis non decrevit.

In hac parte de Deo non de homine agitur, de quo in sequente parte ajendum erit; hinc originem mali jam explicare non licet, at hoc suo loco reservandum est. Sufficit

cit hic scire Deum minime dedecere permittere malum, nec ejus causam esse, sed potius id sapienter decrevisse, in cujus gratiam has exornamus propositiones. Quodsi deinde originem mali explicaverimus, potentiam abutendi libertate ex limitationibus determinationum essentialium deducere licebit, in quibus malum metaphysicum consistere constat (§. 926. *in notis & Theol. natur. part.* I. §. 372.). Ceterum probe animadvertendum est, quale malum sit potentia illa libertate abutendi, fons omnis moralis ac per hoc omnis miseriæ, ne Deo tribuamus, quod est hominum, & ne bonitati, sapientiæque, seu justitiæ Divinæ contrariari temerarie judicemus, quæ cum eadem minime pugnant. Fingere ideas rerum pro arbitrio & ex iis judicium ferre de bonitate Numinis, aliisque ejus attributis ab ipsa vera philosophandi methodo alienum est, ac ab ipsa ratione, multoque magis a revelatione abhorret. Idea enim hominis, in quam potentia abutendi libertate minime cadit, est fictitia. Unde revera homo propter istam potentiam non potest dici imperfectus, nisi in relatione ad ideam hominis fictitiam. Neque enim fieri potest, ut homini, hoc est, huic enti, cui hominis nomen imponitur, istiusmodi conveniat perfectio essentialis, quæ abutendi libertate potentiam excludit. Jam propter hanc potentiam Theologi hominem labilem dicimus: Unde patet, hominem non factum esse labilem per decretum Divinum, sed Deum eundem spectasse ut labilem, antequam ejus existentiam decerneret, seu, si magis arridet, antecedenter ad decretum suum, neque ejus existentiam decrevisse, propterea, quod labilis erat. Aliæ igitur fuere ipsi rationes, cur decerneret existere debere hominem, & cur decretum non mutaret, etsi perpenderet eum posse labi, de quibus quædam modo dicta, alia adhuc dicenda sunt.

§. 940.

Dependentia entis a decreto Dei.

Ipse Deus asserit *Jes.* XIV. 17. & XLVI. 10., quod per decretum suum res quælibet facta sit futura (§. 339.), & quidem, cum Deus omnia ab æterno decreverit (§. 321.), ab æterno. Quoniam vero decretum Dei immutabile est (§. 330.); Ideo ab omni æternitate certum fuit, ens hoc in hoc mundo adspectabili extiturum (*Ontol.* §. 293.). Certitudo igitur futuritionis entis cujuscunque rationem habet in immutabilitate decreti Divini (*Ontol.* §. 56.); Consequenter ens unumquodque in hoc universo quoad certitudinem actus consequendi dependet ab immutabili Dei decreto (*Ontol.* §. 851.).

Constat jam, quomodo dependentia entis cujusque a Divino decreto pateat per notionem ejus in genere. Maximi vero usus est hæc propositio, ubi inter principia heuristica locum suum tueri potest, quando ascensus mentis in Deum, ut stylo *Bellarmini* utar, per rerum naturalium contemplationem explicandus. Atque sic demonstrativa ratione ex ipso Dei per Jesaiam asserto intelligitur, quomodo ens unumquodque, qualecunque tandem fuerit, hoc ipso, quod in numero entium sit, creatorem suum loquatur.

§. 941.

Mali moralis ortus.

Moses *Genes.* III. 1. *seqq.* lapsum protoplastarum his describit verbis: והנחש היה ערום מכול חית השדה אשר עשה יהוה אלהים ויאמר אל־האשה אף כי־אמר אלהים לא תאכלו מכל עץ הגן: ותאמר האשה אל הנחש מפרי עץ־הגן נאכל: ומפרי העץ אשר בתוך־הגן אמר אלהים לא תאכלו ממנו ולא תגעו בו פן־תמתון: ויאמר הנחש אל־האשה לא־מות תמתון: כי ידע אלהים כי ביום אכלכם ממנו ונפקחו עיניכם והייתם כאלהים ידעי טוב ורע: ותרא האשה כי טוב העץ למאכל וכי תאוה־

תאוה־הוא לעינים ונחמד העץ להשכיל ותקח מפריו ותאכל
ותתן גם־לאישה עמה ויאכל: *Serpens autem erat callidus præ omni beſtia agri, quam fecit Jehova Deus: & dixit mulieri, etiamne dixit Deus, ne comedatis ex ulla arbore horti? Et dixit mulier ad ſerpentem ex fructu arborum hujus horti comedemus. Aſt de fructu arboris, quæ in medio hujus horti, dixit Deus, ne comedatis ex iſto, neque attingatis eum, ne moriamini. Dixit vero ſerpens ille mulieri, non morte moriemini. Nam novit Deus, quod, quo die comederitis ex eo, & aperientur oculi veſtri. & eritis vos ſicut Deus ſcientes boni & mali. Et vidit mulier, quod bona arbor in cibum, & quod concupiſcentia oculis, & quod deſiderabilis hæc arbor ad intelligentiam acquirendam, quare accepit de fructu ejus, editque, ac dedit & viro ſuo ſecum, qui comedit.* Quod optime vernacule redditur: Die Schlange aber war liſtiger / dann alle thiere des feldes / die Gott der HERR gemacht hatte. Vnd ſprach zu dem weibe / ja wohl / ſolt Gott geſacht haben / ihr ſolt nicht eßen von allen baůmen des gartes? Da ſprach das weib (männine) zu der Schlangen / wir eßen von den früchten der baůmen dieſſes gartens. Aber / von den früchten des baums mitten im garten hatt Gott geſacht / eßet nicht davon / růhrets auch nicht an / daß ihr nicht ſterbet. Da ſprach die Schlange zum wibe: ihr werdet mit nichten ſterben. Dann Gott weiß / daß / welches tages ihr davon eßet / ſo werden eůere augen auffgethan / und werdet ſein wie Gott / wiſſende / was gut und bőſſe iſt. Vnd das weib ſchauete an / daß von dem baum gut zu eßen wåre / und liblich an zu ſehen / und daß er begirde mache / weil er Verſtåndich mache. Deswegen nahm ſie von ſeiner frucht / und aß / und gab ihrem manne auch davon / und er aß. Diſerte *Deus homini interdixit comedere de fructu hujus arboris Gen.* II. 16. 17., & quidem *ſub pœna mortis.* Quin eſus alicujus fructus ſit actus liber, dubitari nequit. Neceſſe autem eſt, ut homo

a-

actiones ſuas liberas determinet non ad ſui, ſed ad Dei arbitrium (§. 491.); Adeoque neceſſe erat homini non edere de hoc interdicto fructu. Quare cum malum morale nuncupetur, quod actionibus liberis hominum inhæret, ſeu ob quod eædem dicuntur vitioſæ (*Theol. natur. part.* I. §. 374.). Eſus interdicti fructus eſt malum morale; Conſequenter protoplaſtæ edentes de fructu hoc interdicto comiſerunt malum morale. Hiſtoricus ſacer reddit rationes, cur primi parentes hunc interdictum fructum comederent, nimirum deceptricem ſermonem callidi Serpentis, in ſpecie vero, *quod hæc arbor bona in cibum, & quod concupiſcentia oculis, quodque deſiderabilis ad intelligentiam acquirendam.* Arboris fructus in cibum bonus, quique excitat concupiſcentiam, quique omnino deſiderabilis, quia ejus eſu acquiritur major intellectus, hæc omnino bona ſunt. Adeoque protoplaſtæ hoc malum non appeterunt niſi ſub ratione boni, nec bonum (nimirum ſtatum integritatis, in quo erant) averſarunt niſi ſub ratione mali (videlicet putantes malum eſſe nolle intelligere malum, Deoque hac ſcientia æqualem fieri, ſeu nolle incrementum intellectus ſui); Sicque libertate ſua abuſi, quod malum pro bono, bonum e contrario pro malo reputarunt; Conſequenter eſum hunc bonum reputantes, malum hoc morale, quod actioni huic liberæ inhærebat. Lapſus itaque protoplaſtarum nos docet malum morale ex erroneo de bono atque malo judicio ortum ſuum trahere.

Nemo non confitetur hominem in judicando errare poſſe, propterea quod facultas cognoſcendi, qua gaudet, limitata eſt, ut adeo ex notionibus demum demonſtrari non ſit opus. Etenim ſi ea eſſet illimitata, quemadmodum

dum intellectus Divinus (§. 183.), omnia quoque nobis repræsentaremus distincte, quemadmodum ab intellectu Divino repræsentantur (§. 169.); Consequenter fieri non poterat, ut malum videretur bonum, & bonum ex adverso malum. Malum igitur morale oritur ex limitationibus facultatis cognoscitivæ, ac inprimis intellectus, cujus est judicare (*Psychol. empir.* §. 325.). Jam vis repræsentativa universaliter limitata cum quoad objectum, tum quoad modum repræsentandi objectum (*Psychol. ration.* §. 66.); Ac ideo quoque ipse intellectus, qui rationem sufficientem in ista vi habet (*Psychol. ration.* §. 387.); Adeoque hac posita, & ista ponitur (*Ontol.* §. 118.), iisdem limitationibus obnoxius est (*Psychol. empir.* §. 279.). Quoniam limitationes originariæ sunt, quæ per essentiam rebus insunt (*Theol. natur. part.* I. §. 894.); Limitationes facultatis cognoscitivæ, ac intellectus in specie, quoad objecta & modum ea repræsentandi utique originariæ sunt. Quamobrem ex protoplastarum lapsu patet malum morale ex limitationibus originariis animæ derivari; Consequenter per has limitationes fieri posse, ut actiones hominis malo morali inficiantur.

Nimirum essentiales determinationes, quas & essentialia entis simpliciter vocari solent, ipsam entis essentiam constituunt (*Ontol.* §. 143.). Quamobrem si determinationes essentiales fuerint limitatæ; Hæ ipsæ limitationes enti per essentiam insunt. Jam attributa per essentialia determinantur (*Ontol.* §. 146.); Adeoque una cum essentialibus insunt (*Ontol.* §. 145.), ac ideo insunt, quia essentialia insunt (*Ontol.* §. 166. 56). Limitationes igitur attributorum enti similiter insunt per essentiam. Utra-

que jam includitur in idea rei: Unde *limitationes originariæ* etiam dici poterant, quæ in idea rerum jam continentur. Ceterum hæc propositio nos convincit de unanimi consensu rationem atque revelationem inter. Etenim ex Historico sacro eodem modo ortum mali moralis docemur, quo eundem ex philosophia (*Theol. natur. part.* I. §. 897.) possibilem esse noscimus. Simulque patet Deum minime esse autorem hujus mali, licet in idea Divina contineantur hominis limitationes originariæ. Absque his enim limitationibus homo non fuisset homo, & si fingere quis velit Deum potuisse sibi repræsentare, sicque producere hominem absque limitationibus originaris, hoc est, illimitatum, absona somniat. Etenim nullum ens illimitatum esse potest, quod non sit verus Deus; Consequenter fingint Deum potuisse sibi repræsentare, ac producere hominem verum Deum. Quod per se absurdum.

§. 942.

Homo cur labilis.

Quoniam ex protoplastarum lapsu patet per limitationes originarias fieri posse, ut actiones hominis sint moraliter malæ (§. 941.). Deus vero hominem absque limitationibus originariis producere nequit (§. *citato in notis & Theol. natur. part.* I. §. 896.). Deus quoque hominem talem producere non potuit, ut impossibile esset actiones malas ab eodem perpetrari, seu Deus non potuit creare hominem illabilem; Consequenter eundem creare debuit labilem.

Stylo Theologis usitato dicendum erat: *Homo per essentiam suam est labilis* (§. 941.); Adeoque fieri non potuit, ut eum Deus crearet illabilem (*Theol. natur. part.* I. §. 557.). Qui essentias rerum arbitrarias fingunt, sumunt, quod probare nesciunt. Quid? quod anguntur

ac

ac miſere ſe torquent, ubi Deum mali autorem accuſare nolunt. Conſequentiarios imitare abhorremus, alias facillimum eſſet demonſtrare poſitis ideis arbitrariis Deum neceſſario mali, peccatique debere eſſe autorem. Nobis enim ſufficit veritatum agnitio, ſciolis relinquimus disputationes inanes, ſibique ſapiant conſequentiarii. E contrario recolenda hic ſunt animo, quæ de potentia libertate abutendi dicta ſunt in ſuperioribus (§. 424. *ſeqq.*). Ceterum jam luculenter patet, quod in anterioribus conſtare nondum poterat, potentiam abutendi libertate ex limitationibus originariis, ſeu ipſa eſſentia hominis reſultare. Etenim ſi intellectus non limitaretur formaliter, ſeu quoad modum repræſentandi objecta, nec bonum videri poterat, quod eſt malum, nec viciſſim malum, quod bonum eſt, quemadmodum Moſes *Geneſ.* III. 1. *ſeqq.* nos docet protoplaſtas bonum reputaſſe eſum fructus arboris, qui bonus iis videbatur in cibum, qui concupiſcentiam oculis, quique incrementum intellectus ſpoſponderat, cum tamen hoc apparens bonum revera erat malum. Etenim edendo hunc fructum commedebant fructum ab ipſo Deo interdictum ſub pœna mortis, ſeu committebant malum morale, cui malum phyſicum adhærebat, & viciſſim integritatem ſuam retenuiſſent, quæ revera bona erat quatenus nec malum morale commiſiſſent, nec phyſico obnoxii facti fuiſſent, ſi non ediſſent de hoc fructu interdicto, quod malum reputabant, putantes, nolle hoc modo incrementum intellectus, eſſe malum. Conſequenter protoplaſtarum intellectus niſi formaliter limitatus fuiſſet, nec potuiſſent appeti malum hoc verum ſub apparente hac ratione boni, nec bonum verum adverſabile fuiſſet ſub ratione apparente mali, quemadmodum in hoc eſu, ſeu in abuſu libertatis accedit. Atque hoc pacto potentia abutendi libertate ex limitationibus originariis re-

sultat. Denique non omnes in materia, quam distincte non agnoscunt, eadem iisdem terminis enunciant. Quamobrem necesse est, quæ eadem videntur, diversis modis tamen enunciare, ut satisfiat omnibus. Confer itaque quæ supra (§. 939. *in notis.*) dicta sunt.

§. 943.

Malorum moralium & physicorum nexus.

Malum morale est, quod inhæret actionibus hominum liberis (§. 929.). Quamobrem cum actiones liberæ sint in se malæ, quatenus tendunt ad imperfectionem agentis vel aliorum, ejusdemque signum sunt (*Theol. natur. part.* I. §. 371. *& Psychol. empir.* §. 565. *seqq.*); Ex malo morali consequitur imperfectio aliqua accidentalis vel interni, vel externi status agentis, aliorumque. Verum enim vero malum physicum est, quod statum mundi quoad effectus naturales imperfectiorem reddere censetur, quam foret, si alii essent (§. 929. *&* *Theol. natur. part.* I. §. 373.); Adeoque quoad homines in particulari, quod statum sive animæ, sive corporis, vel etiam statum eorundem externum imperfectiorem reddit, quam is foret, si idem abesset. Quamobrem ex malo morali consequitur malum physicum. Et quoniam malo morali posito, ponitur quoque physicum, neque etiam per essentiam atque naturam rerum, seu naturaliter (*Cosmol.* §. 509.) fieri potest, ut non ponatur: Id ipsum vero necessarium est, cujus oppositum impossibile (*Ontol.* §. 279.); Ex malo morali malum physicum necessario sequitur.

Si hæc generalis demonstratio ad casum aliquem particularem ex. gr. lapsum protoplastarum applicetur, hæc veritas ex revelatione multo clarius patet. Historicus sacer *Genes.* III. 1. *seqq.* *&* II. 16. 17. refert protoplastas commedisse fructum arboris interdictum sub mortis pœna, esu-

que

que hujus fructus mortales factos, qui absque eo immortales fuere, edisse vero eundem propterea quod bonus in cibum, quod excitabat concupiscentiam, quodque omnino desiderabilis, quia incrementum intellectui dabat. Sumo, quemadmodum (§. 941.) dixi, & quod in philosophia practica demonstratur, nimirum moraliter malum esse quod legi difforme, seu eatenus quid moraliter malum habendum esse, quatenus lege prohibetur (*Philos. pract. universs. part.* I. §. 244.); Appetitionem ac comestionem hujus interdicti fructus esse malum morale. Porro mors (*Psychol. ration.* §. 733.) est imperfectio hominis (*Ontol.* §. 504.), seu mortalitas statum hominis reddit imperfectiorem, quam foret, si is abesset; Consequenter cum respectu hominis malum physicum sit, quod statum ejus, vel ipsummet hominem imperfectioni cuidam obnoxium reddit, quemadmodum respectu totius mundi malum physicum est, ob quod ejus status imperfectior reddi censetur, quam foret, si idem abesset (§. 929. & *Theol. natur. part.* I. §. 373.); Patet mortem in numero malorum physicorum esse, inprimis cum ipsemet hic mundus adspectabilis censeatur hoc nomine imperfectior, quod per naturam causarum naturalium corpora humana fiant morti obnoxia. Quoniam igitur docente Mose ex comestione hujus fructus interdicti homo factus est mortalis, a quo liber fuisset, si ab eodem abstinuisset; Ex malo morali sequitur malum physicum, cui non fuisset locus in tota hac rerum serie, nisi in eadem locus esset malo morali. Et quia naturaliter fieri non potest, ut homo in mortem non incidat, si eum capit cibum, a quo mors per interdictum Divinum tanquam effectus proficiscitur (*Ontol.* §. 898.). Ex lapsu protoplastarum sole meridiano clarius est

ex malo morali necessario consequi malum physicum, seu malum physicum oritur ex malo morali.

Probe animadvertendum quod necessitas utique in casu propositionis præsentis non nisi hypothetica sit, quatenus nimirum supponitur, effectum naturalem quemcunque per miracula a Deo impediri posse. Verum enim vero nec de alia necessitate, quam quæ naturæ est qua, quæ in hoc mundo adspectabili contingunt, hypothetice necessaria sunt (*Cosmol.* §. 102.), in quo lapsus protoplastarum contigit, de quo hæc propositio agit; hypothetica præsens propositio intelliganda. Quamobrem Deus, qui non est autor mali moralis, sed hoc ortum suum ex limitationibus originariis hominis traxit (§. 941.); Hinc non Deus; at malum morale, seu limitationes originariæ mali physici causa sola sunt *per modo demonstrata.* Quare quoque nexus necessarius inter malum morale & physicum accurate perpendendus, cum ad intrinsecam actionum malitiam agnoscendam plurimum faciat (*Philos. pract. univers. part.* I. §. 59.). Quamobrem opus est, ut ad exemplum propositum de comestione fructus interdicti hominem mortalem facientis animum advertentes in aliis quibuscunque casibus similiter inquiramus in mala physica, quæ ponuntur, positis malis moralibus. Mala autem hæc physica consideranda sunt non modo in relatione ad corpus, verum etiam in relatione ad animam & statum nostrum externum. Ita protoplastæ cibum, seu fructum hunc desiderantes, propterea quod bonus in cibum, quod concupiscentiam excitabat, quodque desiderabilis promittendo intellectus incrementum, etsi is ab ipso Deo sub minis omnimodæ mortis interdictus, ubi in mortem incidit primum

mum per hominum, immo ſtatim poſt eſum ejus moleſtias ſentiebat, animus agebatur, pœnitebat facti & indignabatur ſibimetipſi *verſu 7. ſeqq.* Non ſolum mors (*Pſychol. ration.* §. 733.) in numero malorum phyſicorum corporis eſt. Atat illæ moleſtiæ, metus mortis, ſubſequensque mors, quibus perturbatur tranquillitas, immo perfectio animi, in numero malorum phyſicorum ſunt. Denique per eſum hujus a Deo interdicti fructus protoplaſtæ incurrebant inimicitiam ipſius Dei, cujus prohibitioni aurem benignum, quid? quod obſequium, obedientiamque præbere recuſabat, unde inimicitia reliqua oritur. Hæc ipſa inimicitia in numerum malorum phyſicorum reſpectu ſtatus hominis externi utique referenda. Etenim quæ per eſſentiam ac naturam animæ conſequuntur, non minus naturalia ſunt (*Pſychol. empir.* §. 69. 66. 67.), quam quæ per naturam ac eſſentiam corporum conſequi ſolent (*Cosmol.* §. 509.). Sane quemadmodum vulnus corpori inflictum naturale quid eſt; ita quoque dolor, qui percipitur in anima, naturalis eſt. Per ſe patet hujus propoſitionis uſus.

§. 844.

Maloruu phyſicorum hypothetica neceſſitas non tollit eorum contingentiam,

Numerus I. Lapſus protoplaſtarum nos docet mala phyſica ex malis moralibus neceſſario conſequi (§. 943.). Lapſus autem contigit in hoc mundo adſpectabili, quod, qui hiſtoriam Moſis *Geneſ.* III. legit, negare nequit. Verum enim vero quæ in mundo contingunt, hypothetice neceſſaria ſunt (*Cosmol.* §. 102.). Mala igitur phyſica hypothetice neceſſaria ſunt.

Numerus II. Quoniam porro mala phyſica effectus naturales ſunt (§. 929. & *Theol. natur. part.* I. §. 373.); Adeoque non ponuntur in univerſo, niſi poſita actione cau-

causæ efficientis (*Ontol.* §. 898.), id quod quoque ex lapsu primorum hominum evidenter patet (§. 943.); Hæc existere utique incipiunt, cum ante non existerent, seu mors, mortalitasque hominis lapso homine existere incepit, cui ante lapsum, docente Historico sacro, locus non erat; Adeoque mors & mortalitas, seu, quod hic perinde est, mala physica in successivorum numero sunt (*Ontol.* §. 569.). Sunt vero successiva in mundo contingentia (*Cosmol.* §. 80.). Ergo & mala physica contingentia sunt.

Numerus III. Et quia quæ in mundo contingunt, non desinunt esse contingentia, eo quod necessario contingunt (*Cosmol.* §. 103.); Nec mala physica ideo contingentia esse desinunt, quod sint hypothetice necessaria.

nec ipsum Dei decretum.

Numerus IV. Denique approbantibus sacris literis nec ipsum Dei decretum tollit contingentiam (§. 354.). Quare cum mala physica sint contingentia *per demonstrata Num.* II. Nec ipsa Dei decreta eorum contingentiam tollunt.

In gratiam claritatis paragraphi antecedentis hunc subjicimus, ut luculentius pateat non Deum, sel solas limitationes originarias omnis mali esse causam. Hæc velim, probe perpenderent omnes, tunc omnino ab omnibus errorum præcipitiis immunes essent.

§. 945.

Malorum physicorum inexistentia in idea mundi.

Ex mente Jacobi Deus totum hunc mundum adspectabilem, seu universam rerum præter ipsum existentium seriem sibi distincte repræsentavit (§. 169.). Quare cum repræsentatio rei dicatur idea, quatenus rem quandam re-

refert, seu quatenus objective consideratur (*Psychol. empir.* §. 48.). Idea igitur mundi in intellectu Divino continet omnia, quæ in eodem contingere possunt. Quoniam itaque mala physica tanquam effectus naturales (§. 929. & *Theol. natur. part.* I. §. 373.), causas efficientes in hac ipsa rerum serie, quæ mundum constituit (*Cosmol.* §. 55.), habent (*Ontol.* §. 898.), earum actione posita; ponuntur (*Ontol.* §. 886.), mala physica insunt ideæ mundi in intellectu Divino. Verum enim vero voluntatis Divinæ libertas non influit in ideas rerum (*Theol. natur. part.* II. §. 281.). Patet igitur mala physica ideæ mundi in intellectu Divino inesse independenter a voluntate libera Dei.

Probe notandus est modus, quo mala physica insint ideæ mundi, ne circa eorum inexistentiam oriantur difficultates inextricabiles. Qui enim nodos ejusmodi nectunt, perperam, precarioque sumunt, quod probare nesciunt, immo quod probatu impossibile, utpote origini idearum in intellectu Divino adversum, quasi Deus libere in hunc mundum introduxerit mala physica, non perspicientes, quomodo libertas Dei in actualitatem eorundem influat, quod ex superius demonstratis facillime intelligitur. Absit itaque, ut quis sibi metuat ab absoluta malorum physicorum necessitate, siquidem ea ideæ mundi citra liberam Dei voluntatem inexistere ponatur. Demonstravimus enim modo ea esse contingentia (§. 944. *Num.* II.), & necessitatem eorum hypotheticam contingentiæ non officere (§. 944. *Num.* III.). Subsistit igitur & hypothetica eorundem necessitas, & contingentia stante inexistentia in idea mundi independenter a libera Dei voluntate. Qui originem idearum non modo omnium

rerum in se spectatarum, verum etiam mundorum possibilium omnium in intellectu Divino ex ipso Deo satis meditatus fuerit, is satis superque perspiciet, quomodo mala physica prodeant ex possibilium combinatione, seu eorum in systemata redactorum relatione. Quæ vero manifesta sunt per ipsas rerum notiones: ea per rationes extrinsecas, sciolorumque figmenta obscurari minime debent: nec ob ea, quæ nondum intelligimus, tanquam erronea rejicienda, quæ apertæ sunt veritatis, quemadmodum revera faciunt, qui libero Dei decreto mala physica in ideam mundi introduci sibi imaginantur. Nec video hac stante fictione, quomodo Deus malorum non esset causa, quod blasphemum.

§. 946.

Decretum Dei æternum de mundo creando.

Quicquid Deus vult, id, scriptura magistra, omne ab æterno vult (§. 257.). Deus autem, qui per ideam mundi vi intellectus ipsius productam (*Theol. natur. part.* II. §. 100.), possibilem eundem esse cognoscebat (*Theol. natur. part.* II. §. 327.), & potentiam suam eidem producendo sufficere certius erat (*Theol. natur. part.* II. §. 89.), mundum producere voluit (*Theol. natur. part.* II. §. 349. 350.). Quamobrem etiam ab æterno voluit creare mundum. Sed determinatio voluntatis ad aliquid agendum vel non agendum decretum est (§. 318.); Deus igitur ab æterno decrevit creare mundum.

Æternitas decreti Divini ex dictis (§. 321. *seqq.*) quoque adeo manifesta est, ut eam in dubium vocare non possit, nisi qui naturam Dei perspectam minime habet, ac ideo manifesta crotradictione in natura Divina immutabili statuum successionem admittit (§. 176.). Quamobrem ne quis ex eo, quod intellectus, potentia & volun-

luntas Dei sint ratio sufficiens creationis hujus mundi adspectabilis, æternitatem creationis ejusdem perperam inferat (*Ontol.* §. 118.); sequens paragraphus probe animadvertendus erit.

§. 947.

Verbi ipsius Dei per *Jesaiam* Cap. XLVI. 10. מגיד מראשית אחרית ומקדם אשר לא־נעשו אמר עצתי תקום וכל־חפצי אעשה *Annuncians a principio ultima, & ab initio, quæ necdum facta sunt, dico consilium meum stabit, & omnem delectationem meam facturus sum.* Hæc verba, inquam, nos docent illud certo suo tempore evenire, quicquid Deus decrevit (§. 339.); Unde facillime colligitur Deum affirmare, quod decretum suum ab ejus executione differat. Sane nemo non ex seipso experitur, differre decretum ab ejus executione, atque adeo decretum duos continere diversos voluntatis actus, nimirum unum, quo decretum ipsum continetur, seu quo voluntas fertur in agendum (§. 318.), & alterum, quo executio decreti continetur, seu quo voluntas fertur in ipsam actionem, huncque referri ad ea, quæ agenti extrinseca sunt, veluti quod certo tempore quid agere velit (§. 339.). Quamobrem cum Deus ab æterno mundum creare decreverit (§. 946.), necesse non est, ut voluerit cum ipso decreto per potentiam suam mundum existere. Non igitur necesse est, posito decreto creationis cum eodem poni ipsam creationem, sed tantummodo eam tunc poni, quando Deo decernenti visum fuerit per potentiam suam existere mundum voluntati immutabili (§. 302.) convenienter effectu consequente, prouti in decreto continetur. Deus igitur nos docet non necesse esse mundum cœpisse, cum Deus eum creare decrevit, seu licet decretum Dei de con-

Mundus non cœpit esse cum decreto creationis.

dendo mundo sit æternum, mundus tamen minime æternus est, ast incœpit eo tempore, quo Deus eundem creare voluit, quod tempus Moses *Genes.* I. 1. vocat ראשית *principium*, *initium*.

In nobis quidem cum continua detur perceptionum & appetitionum successio, actus voluntatis, qui tendit in executionem decreti, renovatur, quando id exequendum: Ast in Deo, in quo nulla admittitur statuum successio (§. 176.), idem actus voluntatis, quo & decretum, & executio ejusdem continetur, immutabiliter subsistit. Neque adeo necesse est in Deo admittere mutationem ullam, si per potentiam ejus mundus existere incœpit, quando eundem existere ipsi visum ab æterno. Qui creationem ab æterno possibilem defenderunt vel Theologi, vel Philosophi, aliive, hæc, quæ a nobis demonstrata sunt, non satis distincte perpendentes, ex parte Dei nullam sibi videre visi sunt repugnantiam: enimvero cum potentiam Dei non esse extendendam ad impossibilia, ipsimet agnoverint, ulterius inquirendum erat, num æternam mundi creationem, verumne finitarum natura ferat, antequam tuto affirmativam amplecti daretur. Sed difficillimam hanc discussionem, ut jam nostram faciamus, quæstio magis curiosa, quam utilis, solisque Philosophis relinquenda, nobis necessitatem nullam imponit, contenti scire sacrum codicem affirmare disertis verbis creationem hujus mundi adspectabilis in principio, seu initio, hoc est, quam primum is incœpit existere, factam esse.

§. 948.

Cur ex parte Dei non detur casus, sed solum ex parte

Cum Deus, scriptura magistra, præsciverit ab æterno (§. 350.) omnes effectus rerum materialium, omnesque nostras cogitationes, seu quicquid in hac rerum serie existit

ſtit (§. 237.), aut, ſi mavis, ea omnino omnia, quæ omni tempore ventura ſunt (§. 350.); Fieri non poteſt, quin omnes etiam effectus præviderit, ex quocunque cauſarum naturalium, ſive ſecundarum concurſu reſultantes. Et quoniam hoc univerſum gubernans (§ 469.), omnia dirigit ad certum finem (§. 377.); Dubium non eſt, quin quoque effectus ex concurſu cauſarum alterius gratia agentium dirigat ad certum finem; Conſequenter eodem utatur tanquam medio ad eundem conſequendum (*Ontol.* §. 937.). Etſi itaque cauſæ naturales, ſive ſecundæ alterius effectus gratia agant, non vero ejus gratia, qui ex eorum concurſu reſultat, ſi eas in ſe ſpectes; Agunt tamen etiam propter finem a Deo intentum; Conſequenter quoque effectus ex eorum concurſu reſultantis gratia, ſi ad Deum referantur. Quamobrem cum concurſus cauſarum ad effectum aliquem producendum ideo Caſus dicatur, quod unaquæque alterius effectus producendi gratia agat, non vero ejus, qui ex eorum concurſu reſultat propter eos, quorum gratia agunt, quatenus in ſe ſpectantur (*Theol. natur. part.* II. §. 460.); Evidens omnino eſt, ſcriptura duce, ex parte Dei caſum admitti poſſe nullum, ſeu nihil caſu fieri, ſed tantummodo ex parte cauſarum ſecundarum, aut, ſi mavis, naturalium. *cauſarum ſecundarum.*

Hujus veritatis exempla quam plurima reperiuntur in ſacris: Illuſtre ſane eſt illud Joſephi *Geneſ.* XXXVII. *ſeqq.* Cap. XXXVII. 3. dicitur: *Iſraël autem deligebat Joſephum præ omnibus filiis ſuis*, hujus amoris ratio additur, nimirum *eo quod filius eſſet ipſi in ſenectute natus*, & propter hunc amorem *fecerat ei tunicam verſicolorem*, ſeu effectus hujus amoris erat, ut Joſepho da-

ret istam tunicam. Nec amor patris, nec ipse Josephus, nec hæc tunica causa sunt Josephum habuisse fratres, nec Israël hunc filium ideo amavit, ut a fratribus, & quidem omnibus simul odio prosequeretur vehementissimo; ast ratio sola quærenda est in fratribus his; Adeoque in concursu causarum ad effectum alterius gratia agentium, seu quatenus & Israëlis amor, & Josephus amatus, & tunica illa in se spectantur odium hoc casu existebat. Ita somnia Josephi vers. 5. *seqq.* eodem modo non erant causa naturalis increscentis hujus odii, sed ratione somniantis casu contingebat. Porro Israël vers. 13. *seqq. Josephum ad fratres misit, ut inquireret in incolumitatem fratrum, gregisque;* Adeoque noxum illud consilium fratrum, *ut eum morti traderent, & injicerent eum in unam ex cisternis, posteaque dicerent ad patrem bestia mala devoravit eum* versu 18. 19. 20. ratione Israëlis mittentis, Josephique missi minime naturaliter, sed solo casu existebat, quippe non missus, nec profectus, ut morti traderetur a fratribus, sed ut inquireret in eorum incolumitatem. Sic non minus casu accidebat, quod *Ruben Josephum e manibus reliquorum fratrum eripere desiderans iis dixit, ne effundite sanguinem; injicite eum in cisternam istam; quæ in hoc deserto, & manum ne immittite in eum: ut eriperet eum e manu illorum, eumque reduceret ad Patrem suum, & exuentes Josepho tunicam versicolorem, assumentesque eundem in cisternam illam* versu 21.---24. Non enim hoc naturaliter ex missione Josephi sequitur, sed ex concursu alterius rei, nimirum ex desiderio Rubenis fratrem suum ex morte eripere optantis. Non minus casus erat hanc *cisternam aqua vacuam fuisse*, & sic Josephum vitam in eadem conservare potuisse versu 25. Adde casu obtigisse, quod eo ipso tempore *Ismaëlitæ mercatores præterierint*, Ju-

Judaque fratribus suis consuluerit Josephum his vendere, ac hi eundem emerint, deducerintque in Ægyptum, versu 25. *seqq.* quia nemo sanus affirmabit hos eventus sequi ex missione Josephi, aut ex amore Israëlis, aut ex consilio fratrum. Itemque, casu obtigisse, patet, *Josephum in Ægypto a Potiphare emtum, atque eidem gratum fuisse, ita ut eundem præfecerit domui suæ, & quicquid possidebat, in ejus manus tradiderit* Cap. XXXIX. 1. *seqq.* Quis non videt casu factum esse, *ut uxor Potipharis Josephum videns lascivo amore eum ad concubitum invitaret, castusque puer lasciviam omnimode fugiens stratagematibus obscœnæ mulieris carceri injiceretur?* versu 7. *seqq.* Quem, quæso, fugit ratione Josephi casu contigisse, quod, dum hic carceri detentus, *duo servi Regis Ægyptiorum in dominum suum peccarent, in eundem carcerem conjicerentur, uterque somniaret, somniaque sua Josepho commemoraret, ac ita exequeretur, quemadmodum hic iis ex somniis prædixit?* Cap. XL. 1. *seqq.* Quis ignorat eodem modo casum esse *somnium Pharaonis.* Itemque ratione Josephi & Israëlis casus erat, *quod nullus hoc somnium interpretare potuerat, quod præfectus a poculis Pharaonis*, cui Josephus interpretavit somnium in carcere, recordatus præteritorum enarraverat hæc, ut *Regem convinceret solum Josephum somniorum esse interpretem, quod hic Rex Josephum accersiverat, hicque somnium illud Pharaoni interpretatus, ab eodem præpositus domui Regis, ac constitutus super universam terram Ægypti, ita ut nullus attolleret manum suam, aut pedem suum in universo Ægypto moveret, interdicente Josepho?* Cap. XLI. 1. *seqq.* Nonne casu accidit *annonæ summa caritas non solum in toto Ægypto, sed & in omnibus regionibus, ita ut ubivis fames esset intolerabilis?* Nonne casus erat, *quod Deus Pharaonè*

raoni hanc ubertatem præcedentium ſeptem annorum revelaverit ſomnino, ſubſequentemque hanc caritatem annonæ ſeptem ſequentium annorum, quodque Joſephum præfecerit Ægypto, & hic collegerit annis ſaturitatis omnem cibum, ut haberet, de quo viverent homines tempore famis? verſu 46. *ſeqq.* Quis ſanus affirmare poteſt ex amore Iſraëlis, iisque quæ Joſepho contigerunt ortam eſſe *annonæ caritatem* in terra Canaän, & *in domo Iſraëlis, ita ut hic filios ſuos mittere deberet in Ægyptum, ut compararent ſibi eſcam?* Cap. XLII. 1. *ſeqq.* Quis aſſerere audet ex hoc amore Iſraëlis, ac iis, quæ Joſepho contigerunt conſecutam eſſe triſtitiam Iſraëlis, quod *orbatus*, inquiens, *Joſeph non ſupereſt, nec Simeon ſupereſt, & Benjamin intercipere tis?* verſu 36. *quod ingraveſceret fames, quam hic una cum fratibus Joſephi magis, magisque, cunctando, ne deſcenderent cum Benjamine, in Ægyptum, paſſi.* Cap. XLIII. 1. *ſeqq. Quod ſe timuerent hi fratres, quum ducerentur in Joſephi domum, dicentes, de cauſa illius pecuniæ, quæ repoſita eſt in manticis noſtris* (videlicet juſſu ipſius Joſephi, quod ignorabant Cap. XLII. 25.), *nos introducimur: ut volutetur ſupra nos, & irruat in nos, mancipetque nos &c.?* verſu 18. *ſeqq. Quod eorum invaluerit horror, quum ſcyphus Joſephi, qui juſſu ipſius clam incluſus in manticam Benjaminis, in hujus mantica inveniebatur?* Cap. XLIV. 1. *ſeqq.* Sic ſolo caſu eviniſſe, quod impleretur ſomnium Joſephi, ex ipſo fratrum horrendo conſilio, quam certiſſimum eſt Cap. XLV. confer. XXXVII. 5. *ſeqq.* Uno verbo, qui totam Joſephi hiſtoriam accurate perpendit, hanc caſibus abundare affirmabit. Quamobrem cum Joſephus Cap. L. 19. inqueat. *Ne timeatis --- vos quidem cogitaveratis contra me malum, ſed Deus cogitavit illud in bonum* (convertere), *ut faceret*

ret ſicut eſt in die hoc, conſervando in vita populum multum, ſeu diſerte affirmat Joſephus ſuo exemplo totam ſuam vitam caſibus plenam a Deo directam eſſe ad conſervationem populi multi. Omnino patet ex parte Dei nullum admitti poſſe caſum, ſeu nihil caſu fieri, ſed ſolummodo ex parte cauſarum ſecundarum, ſeu naturalium.

Ex hac propoſitione luculenter patet, quod ex parte Dei nullus caſus poſſibilis ſit, quippe qui omnia ſua providentia ad certum finem, hoc eſt, ad ſuam gloriam manifeſtandam (§. 379.) dirigit, ſed caſus dari quamplurimos ex parte cauſarum naturalium. Concedi adeo poteſt Atheo, caſu fieri non nulla quamdiu ea, quæ in rerum natura eveniunt, referuntur ad ſolas cauſas naturales in hac rerum ſerie exiſtentes: Non tamen concedenda eſt eorum frivola conſequentia, quod nulla fiant providentia Divina. Etſi enim nondum convictus fuerit, dari Deum, convinci tamen poteſt, hoc non obſtante, quod intuitu cauſarum ſecundarum, aut, ſi magis arridet, naturalium caſu evenit, ſubeſſe providentiæ Dei, ſiquidem Deum dari ſupponatur, ſeu ejus reſpectu non fieri caſu. Id quod ex exemplo Joſephi manifeſtum eſt. Omnia de eodem recenſita ſi conſideres nonniſi cauſarum naturalium intuitu, per definitionem caſus dici omnino poteſt, immo debet, quod ea omnia caſu contigerunt. Non tamen inde inferre licet, ſi detur Deus, ea non ſine providentia Divina accidiſſe. Neque utilitate ſua caret, eo perduxiſſe Atheum, ut admittat, id quoad Deum caſu factum non eſſe, ſiquidem Deus detur, ſed finis cujusdam gratia, quem Numen providum intendit, etſi nobis non ſemper perſpectum, nec acumine noſtro detegendum. Quamprimum

enim eum ulterius conviceris dari Deum: absque omni hæsitatione jam admittet non sine providentia Divina hos omnes casus contigisse Josepho. Qui hypothesin, sub qua quid affirmatur, veram non agnoscit tamen ex hypothesi data necessario sequi, quod affirmatur; Is convincendus est veram esse hypothesin, ut nullum ipsi de veritate ejus, quod asseritur, superfit dubium. Non loquimur nisi experta iis, qui in lectione scriptorum sunt versati, & quorum rationes per principia Logica sunt manifesta, ex quibus facile demonstratur assertum, siquidem desideretur. Hoc cum sit Philosophi; hinc iis id ulterius pertractare relinquimus, contenti indicasse, quo modo & ipse Atheus ac Deista sit convincendus a Theologo Philosopho, qui principia philosophica demonstrata vera supponit. Quare cum affirmet Josephus omnes casus suos subesse Divinæ providentiæ, dubitari nequit ex parte Dei casum admitti nullatenus posse, nec non dari Deum. Ceterum propositio ipsa dudum defensa a scholasticis & communiter recepta, quamdiu philosophia Aristotelica in usu fuit. Quamobrem cum nihil habeat, quod a veritate recedat, sed ex ipsa scriptura pateat, & vulgo multa in communi sermone casu, seu fortuito fieri dicantur; Nostrum esse duximus demonstrare, quo respectu casus simpliciter ita dictus admittendus sit, ne, quando cum Atheis vel Deistis nobis est negotium, negemus, quod negari non debebat. Unde usus hujus propositionis per se evidens est, acutusque ejus fœcunditatem perspicit.

§. 949.

Ex eo, quod mala moralia

Ex protoplastarum lapsu patet per limitationes origina-

na-

narias fieri posse, ut actiones hominis malo morali inficiantur (§. 941.), & malum hoc per abusum libertatis in actiones hominum liberas (*Theol. natur. part.* I. §. 580.), Deus idem velle nequit (§. 565.), ac mundum hunc adspectabilem non elegit ob malum morale, quod in eo existit (*Theol. natur. part.* I. §. 582.), neque ipsum intendit tanquam finem (§. 408. 405. & *Theol. natur. part.* I. §. 668.), sed in idea mundi, quæ inest in intellectu ipsius, independenter a voluntate libera contentum (*Theol. natur. part.* II. §. 292.), tantummodo permittere decrevit (§. 373. & *Theol. natur. part.* I. §. 585.), nec ad actiones hominis malas concurrit, quatenus malæ sunt, sed quod malæ sint ab homine habent (§. 365. & *Theol. natur. part.* I. §. 883.), neque etiam is ad abusum libertatis, qua abusum concurrit (§. 467. & *Theol. natur. part.* I. §. 885.). Cur igitur malum morale sit possibile, cur actu sequatur, per ea intelligitur, quæ homini insunt, nec quicquam ejus Deo tribuendum; Consequenter ratio sufficiens mali moralis unice in homine continetur, nihil vero ejus in Deo (*Ontol.* §. 56.). Quamobrem cum causa mali moralis esse nequeat, in quo nihil prorsus rationis sufficientis actualitatis ejus continetur (*Ontol.* §. 881. 874.); Evidens est, Deum causam mali moralis, quod datur in mundo, minime esse posse. Falsum igitur est, ex eo, quod malum morale detur in mundo, inferri posse, quod Deus ejus causa sit; Unde porro cadit, ob existentiam mali moralis mundum non posse habere autorem sanctissimum, præsertim cum nec illius permissio repugnet justitiæ Divinæ (§. 539. & *Theol. natur. part.* I. §. 1076.); Adeoque nec Sanctitati Dei (§. 538. & *Theol. natur. part.* I. §. 1063.); Ratio itaque dictitat

dantur in mundo, inferi nequit, quod Deus sit causa peccati.

ac revelatio nos docet, ex eo, quod mala moralia dentur in mundo, inferri nullatenus posse, quod Deus sit causa peccati, neque inferri ex eo posse, quod mundus Deum, ens omnium sanctissimum atque justissimum, autorem habere nequeat, seu, si magis arridet, Deus sanctissimus, justissimusque mundi autor est, nec causa peccati, licet mala moralia dentur in mundo, at homo peccati causa est.

Ab antiquissimis temporibus hoc argumento usi sunt Athei ad existentiam Dei si non refutandam, saltem in dubium revocandam, quod Deus dicendus sit causa mali moralis, siquidem ponatur, eum esse mundi hujus adspectabilis autorem, quippe cui nunc malum morale inest. Et nodus hic multis insolubilis visus, ita ut constet non defuisse, qui eum secantes, cum de solutione ejus desperarent, duo mundi principia finxere, alterum videlicet bonum, malum alterum. Me temperare nequeo, quin recenseam lepidam illam fabellam, quam excogitare nonnulli ad principia jam data impugnanda, & ad probandum, ea recta semita ad Atheismum ducere. Perhibent nimirum juvenem vix viginti annos natum jam in Atheismum incidisse, nec ulli veritati religionis Christianæ assensum præbere posse, quod in mundo tot ac tanta extent mala, inprimis ab homibus tot scelera, tot flagitia commitantur, & hoc tamen non obstante a nobis, scriptura, rationeque ducibus, asseratur, mundum hunc adspectabilem esse omnium possibilium optimum. Talem enim mundum supponere debere autorem, qui sit causa mali;

Adeo-

Adeoque non Deum justissimum atque sanctissimum. Dici non potest, quantum de hoc figmento sibi gratulentur, in quo hi se invenisse arbitrantur, non quod pueri in faba. Immo hoc exemplum, si tale dici fabula lepida meretur, quibusdam sufficere videtur ad principium de mundo optimo audacter damnandum, quasi recta via ad Atheismum omnisque religionis contemtum ducat. Sed risum teneatis amici! Ecquis enim est, qui nesciat, ab antiquissimis temporibus eos, quibus malorum physicorum atque moralium in hac rerum serie inexistentia cum attributis Divinis pugnare visa est, de summa mundi perfectione ne somniando quidem cogitasse, quin potius eidem illa repugnare sibi persuasisse? Ecquis porro Christianus nescit ipsum Dei de hoc mundo judicum *Genes.* I. 31. (§. 249.)? Nonne absurdum est hoc Divinum judicium anilibus fabulis refellere velle? Absonum quoque est aliis persuadere velle, quod, si mundo optimo mala physica ac moralia insint, necessario sequatur non dari Deum, atque ridiculum videbitur attestato juvenis, qui vix vigesimum ætatis annum attigit, consequentiam contra ipsum Dei judicium probare velle. Mirum vero, quod impugnatores mundi optimi non potius inferant cum Atheis, mundum hunc non esse a Deo, cum summa ejus perfectio, quemadmodum ex dictis constat, probari non possit, nisi ex summa intellectus ac voluntatis Numinis perfectione. Juveni imperito condonandus est hic lapsus, quid vero cogitandum sit de viris hunc juvenem fingentibus, veritatis cultores judicent. Sane si Deus statuendus sit causa peccati, quod in mundo etiam optimo, hoc est, in serie rerum omnium perfectissima. malo morali locus sit; multo magis (si verbis venia datur) affirmandus peccati causa, si, qui existit, mundus non est optimus, sed Deus seriem rerum

ad actum producere potuit, quæ ab omni malo morali prorsus libera. Cum enim Deus cognoscat omnia, quæ possibilia sunt distincte (§. 198.); Ipsum fugere minime potuit, quod mundus absque malis physicis atque moralibus fieri possit. Et quoniam possibilia cuncta ad actualitatem perducere potest (§. 280.); Mundum quoque absque malis facere potuit. Quare cum liberrime eundem creaverit (§. 386. & 249.): Liberrima sua voluntate malum, quod ab eodem abesse poterat, in eundem invexit. Vides igitur, si mundus non sit optimus, qui existit, & a mundo optimo malum omne exulat; rationem, cur malum mundo insit, & in eodem ad actum perducatur, tandem contineri in Deo; Consequenter (sit venia dicti) Deum omnino dicendum esse causam peccati. Atque ita, quantum scio, argumentati sunt, qui ex malorum in hoc mundo inexistentia adversus existentiam Dei argumentum petiere. Refellitur autem hæc argumentatio, ubi ostenditur Deum elegisse mundum omnium optimum, & huic seriei rerum mala ita implicari, ut salva summa ejus perfectione inde auferri nequeant. Inde enim porro conficitur, quod Deus salva summa sua sapientia præsentem rerum seriem a malis liberam reddere non potuerit: quemadmodum hæc omnia fusius & adeo clare, scriptura duce, in superioribus exposuimus, ut nullum superesse possit dubium, quin Deus salva sactitate sua mala permiserit. Neminem igitur sanum movebit misera illa juvenis Athei exceptio, vel potius lepida fabula, quam cum recenserem, non sine ratione monui: Risum teneatis amici! Qui itaque concedunt Deum elegisse ac creavisse mundum omnium possibilium optimum, & hunc adspectabilem esse optimum, illi facillime demonstrare queunt

Deum

Deum nullatenus peccati causam esse, etsi mala moralia in eodem dentur, quemadmodum hoc evidenter patet ex hac ipsa propositione. E contrario, qui hunc mundum negant esse optimum, ideasque arbitrarias fingunt, quomodo Deum peccati causam non esse probabunt, non video. Usus igitur hujus propositionis manifestus est.

§. 950.

Deus, teste scriptura, qui elegit & produxit hunc mundum (§. 249.), salva sapientia sua summa atque perfectissima mala physica & moralia tollere non potuit ex hac rerum serie (§. 405. 426. & *Theol. natur. part.* I. §. 676.), abusum quoque libertatis, quo malum morale irrepit in actiones liberas (§. 941, 430. & *Theol. natur. part.* I. §. 580.), sapientissime permittere decrevit (§. 425. 938.), salva sapientia Divina non impediendum (*Theol. natur. part.* I. §. 715.). Similiter salva bonitate summa, quæ ipsi est, facere potuit hominem, qui libertati suæ abuti posset, & quem eadem abusurum prævidebat (§. 424. 430.), nec bonitati ejus repugnat, quod hominem in mala ruere sinat (*Theol. natur. part.* I. §. 725.), immo eidem acceptum ferendum, si mala physica ipsi imittit, ut adversus malum morale præmuniatur, vel ab eodem desistat, quia directio mali ad finem bonum tribuenda est bonitati Divinæ (§. 433. & *Theol. natur. part.* I. §. 734.), vel malum physicum minus immittit, ut eodem avertatur majus, & si permittit, ut malum morale minus committat, quo a majore avertatur (§. 433. & *Theol. natur. part.* I. §. 735.). Quamobrem sacer codex atque ratio nos docent, ex eo, quod dentur mala physica, nec non moralia in hoc

Cur a malis physicis & moralibus peti nequeat argumentum adversus bonitatem, sapientiamque autoris mundi.

hoc mundo, inferri nullatenus posse, autorem ejus non posse esse sapientissimum & summe bonum, seu ab his malis argumentari nequit adversus bonitatem, sapientiamque Dei.

Quibus mala negotium facessunt, iis maximi suboriuntur scrupuli quoad Divinam bonitatem. Neque enim iisdem convenire videtur, quod Deus tot malis locum fecerit in hoc mundo, quibus promiscue obnoxii sunt & pii & impii. Unde negarunt alii providentiam tantummodo Divinam, alii omnem dependentiam mundi a Deo; Consequenter nec Deum ullum mundi autorem admisere Athei facti (*Theol. natur. part.* II. §. 411.), quorum sacræ literæ passim mentionem injiciunt. Hisce vero scrupulis satisfaciunt, quæ ex superioribus & Theologia naturali *Ex. de Wolfii* hic citantur, modo eadem ita perceperis, quemadmodum in systemate hoc continentur, nimirum ut veritatis fueris convictus per principia, in quæ justa analysi resolvuntur demonstrationes. Neque enim existimandum est in rebus arduis, dubia, quæ angunt, & assensum firmum impediunt, unico ictu prosterni posse, cum assensus nonnisi successive generetur (*Logic.* §. 993. *& horæ subscivæ A°.* 1729. *Trim. vern. num.* 3.). Quodsi vero quis resolutionem istam instituere voluerit vel obiter, haud difficulter animadverteret, assensum hic vel maxime pendere a notione necessitatis essentiarum, ita ut idea confusa essentiarum arbitrariarum animo obversans eidem obstet, non avertentibus illis, qui, ubi assentiri voluerint, repugnantiam quandam in seipsis experiuntur. Quamdiu enim fingunt tur substantiæ tanquam subjecta vacua ad quaslibet determinationes intrinsecas recipiendas indifferentia, quas

Deus

Deus pro arbitrio indat (quæ est primaria notio deceptrix); multa videntur ut bonitati, sic ceteris attributis Divinis repugnare, quæ his merito rejectis minime repugnant. Quamobrem ad dispellendas tenebras præsentes plurimum lucis afferunt, quæ de origine idearum in intellectu Divino, tanta claritate exposuit *Ex Baro de Wolfius* (*Theol. natur. part.* II. §. 87. *seqq.*), quanta hactenus non facta ab aliis. Ceterum hinc simul intelligitur, quam sit necesse, ut distinctas Atheus habeat notiones attributorum Divinorum, etsi eorum realitates absque demonstratione non cognoscat, ne consequentias inferat, quas & ipse illigitimas sua sponte judicabit, ubi ad notiones genuinas attributorum Divinorum animum adverterit. Unde non minus necessarium apparet, ut, qui Atheos refutare voluerit, eos ad diverticula eorum ipsa sequatur, nimirum ut distinctis attributorum Divinorum notionibus instructi sint, easque familiares experiantur, ne Atheis largiantur, quæ negare tenebantur, qualia sunt ideæ arbitrariæ, & ex adverso negent, quæ concedenda erant; quare omnino cavendum ne intempestive nos alienis disputationibus immisceamus, hoc est, sine notionibus distinctis. Quantum studium, quanta cura sit adhibenda, ut nobis ideas distinctas comparemus, sicque secure Atheos refellemus, quivis sua sponte cernit. Præstantia itaque hujus propositionis per se palam est.

§. 951.

Quis facile incidat in Deismum.

Rex sapientissimus *Eccles.* VIII. 14. disertis ait verbis. *Sunt justi, qui laborant* (damna, incommoda, mala experiuntur), *quasi opera egerint impiorum: & sunt impii, quibus obtingit, quasi justorum facta habeant*, & cap. IX. 2. inquit. *His omnibus, quemadmodum omnibus reliquis unus est eventus*, nimirum *& justo & impio, bo-*

no ſive mundo ac immundo. Hi Rex ſummam Dei bonitatem atque ſapientiam admittit, quod paſſim ex ejus dictis luculenter patet: Bonitati autem, nec non ſapientiæ Divinæ non videri convenire, quod eadem ſors maneat bonos atque malos, pios ac impios, juſtos, injuſtosque quoad mala phyſica; Unde impius, ſive immundus ac injuſtus (ut verbis hujus Regis utar) in hanc facile adducitur ſententiam, quod Deus parum curet res humanas, mala phyſica vel prorſus ſublaturus, vel actionibus hominum convenienter diſtributurus, ſiquidem bonitate, ſapientiaque gubernaret hoc univerſum. Verum enim vero ſi quis Deum exiſtere concedit, eum tamen non curare res humanas ſibi perſuadet, Deiſta eſt (*Theol. natur. part.* II. §. 259.). Quamobrem nec Salomon diffitetur, ſi quis agnoſcit eſſe Deum, ſapientiæ tamen ac bonitati Divinæ parum convenire, quod quoad mala phyſica eadem maneat ſors malos & bonos, ſeu pios ac impios; in Deismum facile incidat.

Sic & Deiſtas, & fundamentum hoc eorum uberius proponit Aſaphus *Pſalm.* LXXIII. 1. *ſeqq.*, quod his maxime firmum eſſe videtur. Extra omnem controverſiam poſitum eſt; quod mala phyſica non minus experiantur, qui probitati vitæ ſtudent, quam qui ſceleribus, flagitiis, nec non quibusvis actionibus malis vitam ſuam contaminant. Nemo hoc negare auſit, niſi experientiæ quotidie obviæ contradicere velit, immo non diſſimulandum eſt juſtos ipſos in ſacro codice conqueri de eodem, quod ex locis citatis manifeſtum eſt. Quædam mala phyſica communia ſunt, ut a bonis averti non poſſint, quin ſimul ab iis immunes ſint mali, nec malos ferire queant, quin una boni iisdem obnoxii fiant. Pertinent huc damna, quæ ex ano-

næ

næ caritate *Geneſ.* XLII. 1. *ſeqq.* peſte, bello, tempeſtatibus horridis, incendiis furentibus &c. proveniunt. Alia, quæ particularia ſunt, veluti morbi Chronici, damna a tempeſtatibus data, eaque ab hominibus illata, injuriæ ab aliis datæ, & quicquid fortunæ adverſæ eſt, non minus in malos, quam in ipſos bonos fæviunt. Immo fortunam boni haud raro magis experiuntur adverſam, quam ipſi mali, quibus ſæpiſſime in mundanis (de quibus hic ſola quæſtio) ex voto cedunt omnia, ita ut dudum apud Germanos in proverbium abierit:

Je ſchlimmer holtz / je beßre Krücke /
Je ärger ſchelm / je großer glucke.

vel quod brevis dicitur: Dir ärgſten ſchelmen haben das beſte glucke. His proverbiis indigatur, quo quis ſceleratior, eo magis eidem favere fortunam. Non videntur hæc convenire ſapientiæ Divinæ. Quoniam enim Deus mundo providens omnia dirigit ad certos fines (§. 742. 476.); mala malis immittere debebat in terrorem, bonos vero ex adverſo bonis cumulare, ut a malis actionibus homines revocaret, ad bonas vero eosdem incitaret. Id enim conveniens voluntati ejus, qui alterum ad actiones alias committendas, alias vero omittendas obligare intendit (*Theol. natur. part.* I. §. 973.) quemadmodum, qui providentiam Divinam defendunt, quod homines ad actiones honeſtas committendas, turpes vero fugiendas obligat, contendunt. Nec videtur convenire bonitati Numinis, quod bonis male, malis ex adverſo bene fit. Etenim qui bonus eſt in alios, eos amat (§. 419. & *Theol. natur. part.* I. §. 700.), atque damna ab iis avertere, bona in eosdem conferre ſtudet (§. 415. & *Theol. natur. part.* I. §. 696.). Quodſi ergo Deus curaret res humanas, bene agentibus

ne male fiat, curaret. Experientia itaque cum rationi adversari videatur: Ad negandam providentiam Divinam haud difficulter sese multi adduci patiuntur; Adeoque in Deismum incidunt, si non in Atheismum. Verum enim vero argumentum hoc non videtur ad speciem compositum nisi iis, qui de arduis per transennam conspectis ex notionibus confusis judicant: Unde eos David *Psalm.* XIV. 1. merito stultos appellat, qui ideis confusis decipiuntur. Quanta enim opus sit discussione, quanto in discussione accumine, ne malorum physicorum ac moralium inexistentia in hac serie rerum turbet animum, ex dictis abunde intelligitur, præsertim si propositionum huc spectantium analysin in sua principia non neglexeris (*Logic.* §. 992.). Qui nodum hunc Gordium secant, non solvunt, respondentes, quæ ad rem non faciunt, fundamentum Deismi minime subvertunt, sed stabiliunt. Quam ardua vero hæc materia sit, docet Asaphus *Ps. citato vers.* 2; *Equidem*, inquiens, *pene declinaverant pedes mei, parum abfuit, quin effusi essent gressus mei*, hoc est, tam ardua hæc res est, ut & ipsi fideles eam non nisi summo labore cognoscant, ascendendo in ipsum sanctuarium Dei (ut verbis Asaphi utar) vers. 16. 17, hoc, ut penitus intelligatur, lubet sequentem subjicere paragraphum.

§. 952.

Fundamentum Deistarum subvertitur.

Autoritate sacrarum literarum Deo tribuenda est gubernatio, qua omnium omnino rerum in hoc universo actiones ad fines certos tandemque ultimum dirigit (§. 469.), seu Deus mundum gubernat, dum omnia inter se connectit. Et vel experientia obvia constat, corpora quoad conservationem pendere a corporibus aliis; Consequenter qua corpora rationem conservationis suæ habere in aliis corporibus (*Ontol.* §. 851.); Adeoque vi nexus rerum con-

conſervari (*Cosmol.* §. 10.). Quamobrem cum ſacro codice convenienter Deus rebus provideat, quatenus eas conſervat atque gubernat (§. 472.); Per nexum rerum in hoc univerſo iisdem providet. Atque ſalva ſua ſapientia ſumma, perfectiſſimaque ex hac rerum ſerie mala phyſica ac moralia; unde phyſica in alios redundare experimur, tollere nequit, nec ea obſtant, quo minus hujus mundi exiſtentiam & omnia, quæ in eodem ſunt, ſapientiſſime decreverit (§. 938.), ipſeque rerum nexus, cui ea inſunt, ſapientia Divina conſtitus (*Theol. natur. part.* I. §. 678.). Nec ſapientia ſua ſalva impedire poteſt Deus, ne homo in mala phyſica & moralia, unde phyſica in alios proficiſcuntur, ruat (§. 942. 939. 936. 425. & *Theol. natur. part.* I. §. 726.). Nec bonitati Divinæ repugnat, quod hominem in mala ruere ſinat (§. 430.) nec ex eo, quod homines ſint infelices (§. 422.) recte colligitur, quaſi Deus erga eos non ſit ſumme bonus (§. 440. 428. & *Theol. natur. part.* I. §. 709.), bonitateque ſua ſalva facere potuit hominem, qui libertate ſua abuti poſſet, & quem eadem abuſurum prævidebat (§. 430. 424.), a cujus adeo actionibus moraliter malis (*Theol. natur. part.* I. §. 580.) mala phyſica profectura noverat in alios & in ſeipſum (§. 943.). Quin potius ex adverſo bonitati ejus tribuendum, quod mala dirigat in bonum finem (§. 433.), quod homini immittat mala phyſica, ut adverſus malum morale præmuniatur, vel ab eodem deſiſtat (*Theol. natur. part.* I. §. 734.), quod immittat malum phyſicum minus, ut eodem avertatur majus (*Theol. natur. part.* I. §. 735.), quod hominem ponat ſub iis circumſtantiis, quibus mala phyſica, in quæ, ſub aliis, incidere poterat, avertuntur (§. 436. & *Theol. natur. part.* I. §. 736.): immo præcepta, nec non prohibitiones Dei a bonitate Divina proficiſcuntur

(§. 501. & *Theol. natur. part.* I. §. 992.), quibus obſervatis mala phyſica evitantur (§. 943.). Non igitur affirmandum, ſed negandum, mala phyſica in hoc mundo repugnare ſapientiæ ac bonitati Divinæ. Quamobrem ſi Deiſta hoc affirmat (§. 951.), quod erat negandum, affirmat. Errat, qui affirmat, quod negandum erat (*Logic.* §. 624.). Et hoc Salomon *Eccleſ.* VIII. 13. ſeu loco (§. 951.) citato *vocat vanitatem*, hoc eſt, vanas atque confuſas cogitationes eorum, qui Deismi ſeſe reos facere ex intuitu malorum ſinunt: Qui vero providentiam, ſapientiamque, nec non bonitatem Entis Perfectiſſimi probe perſpectam habent, de iis affirmat Aſaphus *Pſ.* LXXII. 17, *quod ingreſſi in ſanctuarium Dei animadvertant finem eorum*, ſeu ex fine impiorum detegi hæc Dei attributa, quemadmodum ex ipſa hac demonſtratione evidens eſt. Deiſta itaque, quod & Salomon & Aſaphus nos docent; errat, ſi mala phyſica in hoc mundo ſapientiæ ac bonitati Divinæ repugnare arbitratur, ſeu hoc eſt vanitas.

Vides itaque ſacro codici convenienter fundamentum Deismi malis phyſicis ſuperſtructum corruere, ſeu vanitatem eſſe per eorundem theoriam. Conſtat vero eandem eſſe omnium in Theologia naturali tota difficillimam, ita ut ad ipſum Dei ſanctuarium, ſeu Divina attributa ſit recurrendum. Quamobrem danda opera, ut principia, quæ in demonſtratione propoſitionis in medium adduximus, a poſteriori confirmentur, & ſimilibus illuſtrentur. Unde & Chriſtus parabola de Zizaniis inter triticum natis uſus, ut ideam quandam malorum ſeriei huic rerum ita implicatorum, ut ſalva ſapientia inde tolli nequeant *Matth.* XIII. 24. *ſeqq.* (§. 373.), animis attendentium ingeneraret.

ret. Diximus in paragrapho præcedente, quod error de repugnantia ſapientiæ ac bonitatis Divinæ atque malorum phyſicorum hominem de exiſtentia Dei perſuaſum facile adducat ad Deismum: neque enim Deismus effectus neceſſarius eſt. Nimirum, qui mala phyſica, inprimis quod eorundem in mundo diſtributionem, cum ſapientia Divina atque bonitate conciliare nequeunt; in dubitationem primum adducuntur, utrum mala phyſica eorundemque diſtributio ſapientiæ ac bonitati Numinis conveniat, nec ne. Quodſi ergo aut ſatis ſibi videntur certi de exiſtentia, de ſapientia, nec non bonitate Dei, aut parum certi ſunt; vel in dubitationem de providentia Divina, vel in dubitationem de ipſa Dei exiſtentia & ſapientia, bonitateque adducuntur. Prouti igitur ipſis videtur ſatis manifeſtum, mala phyſica & eorundem præſertim diſtributionem cum ſapientia ac bonitate Divina conſiſtere non poſſe, vel nondum ſatis exploratum: aut in Atheismum vel Deismum incidunt, aut de ipſa Numinis exiſtentia, vel ejus ſaltem providentia dubitant. Qui errant, non ſemper ex erronea hypotheſi inferunt, quæ neceſſario inde fluunt; Aſt in inferendis aliis non minus labuntur, quam in hypotheſi condenda, ſeu fundamentali errore ſtabiliendo. Modus errandi cum in infinitum variet; caſuum omnium poſſibilium ne quidem in Philoſophia ratio habenda eſt, multo minus in Theologia dogmatica. Sufficit enim ſolummodo ex ſacris literis oſtendiſſe, quinam atro carbone notandi, ac quomodo in errorem fundamentalem contingat lapſus, & inde deduxiſſe, quæ neceſſario fluunt. Etenim ea admittere tenetur, niſi inſanire velit, hypotheſeos falſæ aſſertor; ceteros vero errores, quos parum legitima illatione miſcet, ſtante ſua hypotheſi damnare tenetur, niſi errorem in voluntate ſua latere, oſtendere velit. Atque

hæc

hæc sufficere ad errores etiam Atheorum, Deistarumque ex scriptura confutandos, principiorum Logicorum, hermeneuticorumque gnarus haud ægre intelligit. Quæ enim ex hypothesi necessaria consequentia deducuntur, ad ejus falsitatem demonstrandam inserviunt, cum in eorum numero esse debeant, quæ veritati cuidam exploratæ, atque ex locis scripturæ manifestæ contradicant. Errores vero, qui in gratiam hypotheseos admittuntur, cum tamen ex eadem necessario non fluant, missos facere tenetur, nondum missa hypothesi, qui errat, propterea quod per hypothesin ipsam vel confutantur, vel saltem dubitationi obnoxii redduntur. Eodem modo Sapientissimus Rex, nimirum Selomon loco citato hos ipsos errores refutat, eos vocando הבל *vaporem*, *vanitatem*, aut quod *frustra* fit, quatenus hæc hypothesis falsa in vaporem, fumumve abit, vanaque est, & frustra sumitur. Notanda hæc sunt in genere de omni theoria errorum in Theologia dogmatica non tantum, sed & in ipsa Theologia naturali admittendorum, & ad alios quosvis errores, præsertim fundamentales, applicanda, ut præsentis instituti ratio perspiciatur. Unde acuti vel parum sufficienter intelligunt, cum necessitatem tradendi omnem Theologiam methodo scientifica, ejusque præ reliquis methodis præstantiam, tum quoque necessitatem ostendendi connubium rationem inter ac revelationem ei, qui de fide, religioneque sanctissima, quam D. T. O. M. revelavit, certus esse desiderat. Licet non dubito fore aliquos, qui hebetiores, quam ut methodi leges sufficienter introspiciant, qui mirabuntur, aut forsan ridebunt, immo metuo fore, qui frivole damnabunt, errorum systemata methodo demonstrativa condere, vel eorum fundamenta, quemadmodum hic fecimus, ex ipso sacro codice erue-

eruere, quasi errores non minus, ac ipsæ veritates demonstrari possint, ridentes, damnantesque, cujus nihil intelligunt. Dantur utique errorum systemata, quatenus absurdo uno posito, juxta illud vulgare, sequuntur plura, & quemadmodum fieri potest, immo accidit, ut qui ad omnia animadvertenda non omni sollicitudine, ac acumine animum advertunt, in vero systemate aberrent a veritate, ita in systemate errorum aberratur ab errore. Quemadmodum vero ad veritatis solidam cognitionem pervenire non licet nisi via demonstrationis systemate veritatum condito; ita nec immota datur errorum agnitio, nisi errorum systemate perspecto, quod a demonstrationibus vacuum esse nequit. In hoc autem systemate non demonstrantur errores, sed nexus errorum cum errore fundamentali in conspicuum producitur. Atque sic demum discimus, quo fundamento subverso totum corruat ædificium, ne in particularibus erroribus confutandis, inprimis hic Theologiam dogmatico elenchticam tradentes, inanem operam sumamus, & magno conatu nihil agamus. Non dubito dicta acutis, immo quibus solum veritas ac soliditas curæ, cordique est placere, eorumque benevolentia veritatis cultoribus omnino sufficit.

§. 953.

Diserte Deus per *Jesaiam* Cap. XL. 13. 14. rogat: ואיש עצתו יודיענו : את־מי נועץ ויבינהו וילמדהו בארח משפט *Et quis a consiliis ei, instruxit eum? Cum quo communicavit consilium, ut cognosceret (intelligeret), docceretque viam judicii?* Interrogando Deus his verbis evidenter docet impossibile prorsus esse, ut quis Deo consilium dare possit. Hanc impossibilitatem Gentium Doctor probat *ad Rom.* XI. 34., inquiens: Τίς γὰρ ἔγνω νοῦν Κυρίου, ἢ τίς σύμβουλος αὐτοῦ ἐγένετο; *Quis enim cognovit mentem Domini?* *Deus nullum ens præter se adhibet in decretum.*

mini? aut quis ei fuit a consilio? Hujus rei rationem reddit versu 36. Ὅτι ἐξ αὐτοῦ, καὶ δι' αὐτοῦ, καὶ εἰς αὐτὸν τὰ πάντα· αὐτῷ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν. *Nam ex eo, per eum, & in ipsum* (sunt) *omnia: Ipsi* (sit) *gloria in secula, amen.* Itaque per amen, seu per quoddam juramentum affirmat omnia propterea Deo consilium dare nullatenus posse, quia quicquid præter Deum est, etiam omnimodo a Deo est. Quomodo autem decretum Divinum ab ejus consilio pendeat (§. 318.), distincte docuimus. Quin itaque Deus nullum ens præter se existens in decretum adhibeat, immo nequidem adhibere possit, extra omnem dubitationis aleam posuerunt Jesaias, nec non Paulus.

Idem etiam posset probari ex ipsa notione consilii, decretique Divini (§. 316. 318.). Utrumque enim ab intellectu solius Dei dependet. Quare qui non habet Divinum intellectum, seu verus Deus non est, nec ei consilium dare, nec in decreto ipsius admitti potest, seu nullum ens; Consequenter nec ullus homo in eo admitti potest. Immo supra monuimus ex Dei consilio, eidem per eminentiam tribuendo, nec non decreto ingentem illam differentiam homines inter & Deum patere.

§. 954.

Sed consuluit Pater cum Filio, Spirituque Sancto.

Numerus I. Hoc tamen non obstante Dei Filius *Jes.* IX. 6. יועץ *consiliarius* Dei vocatur, nec non a *Zachar.* VI. 13. asseritur: עצת שלום תהיה בין שניהם *consilium pacis erit inter utrosque*, nimirum inter Jehovam Patrem atque Filium. Adeoque diserte constat Deum Patrem admittere Filium suum Jesum Christum in consilium ac decretum suum. Sane ratio, cur ullum ens præter Deum existens eidem a consilio esse nequeat, est, quod nullum

eo-

eorum intellectum Divinum possidere possit; Aſt Filius Dei intellectu Divino omnino gaudet, (§. 714.); seu omne id, quod intellectu Numinis ineſt, ineſt quoque eodem modo in intellectu Filii ejus; Conſequenter quia hic verus Deus eſt cum Patre (§. 743.); hinc ei omnino tribuendum Divinum decretum. Adeoque Dei Filius conſiliarius Dei vocatur, quia ei decretum Divinum ineſt, seu cum Patre conſuluit.

Numerus II. Ita Apoſtolus I. *Corinth.* II. 10. 11. inquit. Ἡμῖν δὲ ὁ Θεὸς ἀπεκάλυψε διὰ τοῦ Πνεύματος αὐτοῦ. Τὸ γὰρ Πνεῦμα πάντα ἐρευνᾷ, καὶ τὰ βάθη τοῦ Θεοῦ. Τίς γὰρ οἶδεν ἀνθρώπων τὰ τοῦ ἀνθρώπου, εἰ μὴ τὸ Πνεῦμα τοῦ ἀνθρώπου τὸ ἐν αὐτῷ· Οὕτω καὶ τὰ τοῦ Θεοῦ οὐδεὶς οἶδεν, εἰ μὴ τὸ Πνεῦμα τοῦ Θεοῦ. *Deus vero nobis (ea) revelavit per Spiritum ſuum. Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunditates Dei. Quis enim hominum novit ea, quæ ſunt hominis, niſi Spiritus hominis, qui eſt in eo? ita etiam ea, quæ ſunt Dei, nemo novit, niſi Spiritus Dei.* Ruminando ea, quæ (§. 760.) de his Pauli verbis docuimus, luculenter patet Spiritum Sanctum Dei impersrutabilia decreta (§. 325.) eo modo ſcrutari atque noſcere, quo quivis homo noſcit, quæ decernit, seu licet Divina decreta ſint impersrutabilia omnibus entibus præter Deum exiſtentibus, eadem tamen ſpiritui huic omnino nota eſſe. Ratio hujus aſſerti manifeſta eſt. Nullum enim ens præter Deum exiſtens propterea noſcit decreta Dei, quia non habet intellectum Divinum, seu Deus eſſe nequit. E contrario Spiritui Sancto competit omnis actus intellectus veri Numinis (§. 761.), idemque verus Deus eſt (§. 786.), ejusdem cum Patre, Filioque eſſentiæ (§. 798.) numero (§. 799.). Decreta igitur Divina, seu Patris ac Filii Spiritui

Sancto insunt, seu Sp. S. consuluit cum Patre, Filioque.

Vel etiam sic. Paulus I. *Corinth.* XII. 11. Spiritui Sancto tribuit decretum, quod sit suæ Divinæ voluntatis determinatio ab aliquid agendum, vel non agendum (§. 765. *Num.* II.). Quamobrem cum Spiritus Sanctus ejusdem numero essentiæ Divinæ cum Patre, Filioque sit (§. 798. 799.). Extra omnem dubitationis aleam positum est eundem cum Patre ac Filio consulere, eique decretum eorum inesse.

Demonstrata essentia Divina Filii & Sp. S., quemadmodum a nobis evidenter factum est, dubium nullum superesse potest, quod hi duo Patri non sint a consilio, decretoque. Ex demonstratis simul ratio manifesta est, cur nullum ens præter Deum existens Deo a consilio, aque decreto esse possit. Etenim nullum eorum essentiam habet Divinam, quam vero Filius, Spiritusque a Patre communicatam habet. Ipsum igitur Divinum decretum maximam illam Deum inter & cetera entia cuncta differentiam inuit. Hujus propositionis usus per se palam est.

§. 955.

Quomodo decretum Trinitatis sit unicum.

Pater cum Filio, Spirituque Sancto consulit, decernitque (§. 954.), quia Pater (§. 652.), Filius (§. 743.), nec non Spiritus Sanctus verus ille (§. 786.), numeroque unus est Deus (§. 813.); Consequenter quia una eademque est determinatio Divinæ voluntatis ad aliquid agendum, vel non agendum (§. 318.). Porro Filius (§. 717. 725.), Spiritusque Sanctus eandem numero (§. 753. 799.) habent cum Patre voluntatem (§. 765. *Num.* IV.), nec non Filius (§. 715.) & Sp. S. æque omniscii sunt, quemadmodum

dum Pater (§. 760.), seu eandem habent omniscientiam (§. 652. 753. 799.). Quare cum in eo differat decretum Divinum ab eo hominum, quod Divinum sit unicum (§. 345.), seu quod non modo unico voluntatis actu, quemadmodum vult, ita & decernat omnia, sed & de toto decernat, tanquam de toto, quia Deus omniscius est (§. 346.); Dubitari nequit decretum totius Trinitatis numero esse unicum, quatenus est ejusdem numero voluntatis Divinæ determinatio, seu quatenus omnes tres personæ eandem numero essentiam Divinam habent.

Qui S. S. Triados veram, distinctamque possident notionem, quoque distincte intelligere possunt, quomodo decretum trium personarum unum sit. Hæc probe perpendenda sunt, ne quis circa decretum essentiale Divinum unicum numero, & decreta œconomica harum trium personarum multiplicia, habendo diversa pro iisdem, in errorem incidat.

§. 956.

Angelus Gabriel nos docet Dei Filium vocari Jesum ab opere redemtionis, seu quod salvandos redemit (§. 696.), eosque salvando sese verum Deum esse demonstrat (§. 746;), idemque vocatur Christus, quia ad nos redimendos in summum sacerdotem, Regem atque Prophetam unctus (§. 756.). Et Spiritus nuncupatur Spiritus Sanctus, quatenus nos sanctificat (§. 759.), eique tribuitur justificatio nostra (§. 788.), justicando ac sanctificando is se verum probat esse Deum (791.), sic & per regenerationem (§. 792.), ac illuminationem nostram (§. 793.), immo is appellatur paracletus, quatenus a Patre, Filioque missus est, ut salutem totam nobis applicet (§. 796.). Ex his itaque facil- *Quomodo multiplex,*

lime colligitur in œconomia salutis, seu opere redemtionis totam redemtionem soli Filio, totam autem applicationem hujus redemtionis soli Spiritu Sancto; & per consequens quod remanet, nimirum judicium de salvandis soli Patri tribuendum esse ad mentem sacri codicis. Quare cum Deo actio per eminentiam competat (§. 516.), & judicium, redemtio, nec non salutis applicatio actiones sint, atque in determinatione voluntatis ad aliquid agendum, vel non agendum decretum consistat (§. 318.). Judicium, redemtio & applicatio salutis decreta sint, necesse est. Verum enim vero soli Patri competit judicium, soli Filio redemtio, solique Sp. S. applicatio ejus *per modo demonstrata.* Soli igitur Patri tribuendum decretum judicandi, soli Filio decretum redimendi ac soli Sp. S. decretum salutem per Filium impetratam applicandi. Quoniam porro Pater, Filius, Spiritusque Sanctus in modo habendi essentiam Divinam realiter differunt (§. 807.), & si distincte homo dependentiam rerum decretarum cognoscere vult, decretum Dei tanquam multiplex spectari debet (§. 347.). Quin judicium, redemtio, nec non salutis applicatio, seu decreta œconomica tanquam decretum multiplex considerari debeant, dubio caret.

Idem quoque ex historia nativitatis, vitæ & passionis Christi evidenter tanquam totidem exemplis patet, & opera, quæ Sp. S. attribuuntur, semper salutis applicationem respiciunt. Quare cum judicium de redemtione ac redimendis ab ipsa redemtione, & hæc iterum ab applicatione ejusdem differat, unumque ab altero dependeat, & objective decretum Divinum multiplex dici debeat, si hanc dependentiam distincte cognoscere volumus: Decretum hoc omnino multiplex spectandum. Dicta facillime intelligun-

guntur ab iis, qui ea, quæ de decretis Divinis (§. 345. *seqq. & inprimis* §. 348.) probavimus, perspexit. Ceterum hæc decreta salutamus cum quibusdam summis Theologis œconomica, quia ab iis, quæ ad essentiam Divinam pertinent discernuntur eo, quod solum fluant ex proprietatibus relativis trium personarum Divinarum, quarum quælibet ab altera distincta est, seu per decreta œconomica intelligimus decreta ob proprietates relativas S. S. Trinitatis distincte consideranda. Qui itaque notiones Triados habet veras atque distinctas horum decretorum sibi quoque distinctam ideam ad mentem scripturæ formare potest, id, quod maximi est momenti cum in œconomia salutis, tum in Theologia Exegetica, unde facillime explicantur loca S. S. alias difficillia.

§. 957.

Quia soli Patri judicium, Filio redemtio ac Sp. S. salutis applicato tribuitur (§. 956.). Loca S. S. in quibus docetur Deum decrevisse salutem hominis Patri, in quibus ipsa redemtio Filio, ac in quibus applicatio salutis Sp. S. tribuenda sunt. *applicatur.*

Ut usus propositionis præcedentis pateat, applicatioque ejus rite instituatur, hanc subjecimus. Cavendum tamen ne per incuriam decretum Divinum unicum & essentiale cum decretis œconomicis confundatur.

§. 958.

Homo labilis est, teste scriptura, quia eum Deus absque potentia abutendi libertate facere non potuit (§. 428.), seu Deus non potuit creare hominem, ut impossibile esset actiones malas ab eodem perpetrari (§. 942.). Quare cum lapsus hominis describatur *Genes.* III. 1. *seqq.* disertis *Homo lapsus est,*

ver-

verbis. Hominem revera lapsum esse, dubitari nequit.

Hominem lapsum esse adeo manifestum est, ut id quoque ratio dictitet. Adeoque non indiget, id ulterius probare velle.

§. 959.

adeoque puniendus,

Homo revera est lapsus (§. 958.), quod actiones pravit malas (§. 942.). Verum enim vero *Deus* propterea vocatur *vindex justus*, *Deusque fortis*, *qui quotidie minatur Psalm.* VII. 12, quia decrevit pœnas æternas, easque decretas male facientibus irrogat, seu ob justitiam vindicativam (§. 541.). Ob justitiam itaque vindicativam Deus decrevit punire hominem, seu irrogare pœnas æternas male facientibus.

Qui ea, quæ (§. 542. *seqq.*) de justitia vindicativa diximus, perspecta habet, agnoscit justitiam hanc omnino Deum decere & cum sanctitate, immo cunctis Divinis attributis convenire. Adeoque non nisi, qui confusas hujus justitiæ habet notiones nodos nectere potest, qui cum dissolvantur comparatione idearum distinctarum, a nobis absque necessitate solventur.

§. 960.

& quidem omnis homo.

Diserte Salomon *Eccles.* VII. 20, affirmat, *quod nullus homo justus sit in terra, qui faciat bonum, ac non peccet*, & ipse Deus *Genes.* VI. 5. asserit, *quod omne figmentum, cogitationesque cordis hominis non nisi malum sint omni tempore.* Male agendi facultas homini ita post lapsum essentialis est, ut quemadmodum *nec Æthiops cutem suam, nec pardus suas liventes maculas mutare queat, sic quoque non posse benefacere, edocti malefacere.* Ut adeo dubium superesse nequeat, hominem omnino omnem malefacere,

Qua-

Quare cum juſtitia Dei vindicativa velit, ut Numen decernat punire hominem, ſeu irrogare male facientibus pœnas æternas (§. 959.). Quin ob juſtitiam vindicativam Deus omnibus hominibus pœnas æternas irrogare decreverit, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt.

Ipſa ratio docet omnem hominem male agere juſtitiamque vindicativam velle Deum decernere pœnam cunctis hominibus, quia male agunt (*Theol. natur. part.* I. §. 1080.). Et hoc ſacer codex paſſim minatur, veluti *ad Rom.* V. 18. *per unum peccatum* (*reatum*) *veniſſe in omnes homines ac condemnationem*, *& omnes homines natura filii iræ eſſe Epheſ.* II. 3. Evidens itaque eſt Deum ob juſtitiam vindicativam non poſſe non decernere æternam pœnam, decretamque irrogare omnibus omnino hominibus. Quodſi vero hæc pœna non decernatur, aut irrogatur decreta rationem adeſſe debere aliam ſufficientem, qua juſtitiæ huic Divinæ ſatisfiat. Hæc ratio ſufficiens nobis a Deo ipſo revelata eſt, eamque indicavit eſſe redemtionem per Filium acquiſitam, perque Spiritum Sanctum applicandam, de qua in ſequentibus ſuo loco ex inſtituto ajendum erit.

§. 961.

Dei Filius propterea vocatur *Jeſus*, *quia liberabit populum ſuum a peccatis ipſorum Matth.* I. 21. & Gentium Apoſtolus *ad Rom.* V. 6. *ſeqq.* evicte docet, quod quemadmodum omnis homo in protoplaſtis lapſus, non niſi male facere poſſit; hinc juſtitia Divina vindicativa omnibus hominibus pœnam decernere, eamque decretam irrogare debeat; ita in Jeſu Nazareno Dei Filio eſſe rationem ſufficientem, qua huic juſtitiæ ſatisfiat; Adeo ut manente juſtitia Divina vindicativa omnis ille, pro quo hic ſal-

Si homo non punitur, ejus ratio.

vator satisfecit, ab hac pœna liberetur, eique vita æterna decernetur. Hoc ipse Redemtor quoque docet *Joh.* XVII. 3., inquiens: *Hæc autem est vita æterna, ut te cognoscant illum solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* Jesus itaque salvando seu satisfaciendo justitiæ vindicativæ Divinæ, ratio sufficiens est, quod Deus homines a pœna liberare, eisque vitam æternam decernere possit. Seu ille non punitur homo, pro quo Jesus justitiæ vindicativæ Dei satisfecit.

De decretis Divinis in genere agentibus, sufficit scire, quænam sit ratio sufficiens, qua Deus integra manente sua justitia vindicativa homines a pœna liberos decernere potuit. Qualis autem hæc satisfactio esse debeat, & quomodo ea homini adjudicetur, hic demonstrari nec potest, nec debet; At suo loco in œconomia salutis hæc omnia, scriptura duce, palam fient. Hoc primo intuitu intelliget, qui methodi leges perspectas habet, quia hic adhuc principiis antea demonstrandis caremus, quæque non nisi in œconomia salutis demonstrabilia. Verum enim vero hac propositione ostendimus scripturam sacram docere Jesum esse rationem sufficientem satisfactione sua, cur Deus homines a pœna liberatos, vitæquæ æternæ dignos decernere possit.

§. 962.

Quis punitur, & quis non. Quoniam revelatio evicte docet illum hominem, pro quo Jesus justitiæ Divinæ satisfecit, non puniri, seu Deum eum a pœna liberum decernere (§. 961.). Is punitur itaque pro quo Jesus non satisfecit, & viciſſim is mi-

minime punitur, seu decernitur a pœna liber, pro quo salvator satisfecit.

Idem scriptura diserte docet. Ex. gr. in parabola de judicio ultimo *Matth.* XXV. 31. *seqq.* Ubi Jesus expressis verbis distinguit inter oves & hœdos, inter eos, qui in vitam æternam introibunt, & eos, qui ad supplicium æternum condemnabantur, hoc est, qui minime punientur, distinguntur ab iis, qui æternam pœnam luent. Sic idem Messias *Joh.* XVII. 9. *Non rogat pro mundo, sed solum pro iis, quos dedit ei Pater.* Quare cum non detur ratio sufficiens liberationis a pœna æterna, quam redemtio, seu satisfactio justitiæ Divinæ vindictivæ per Christum (§. 961.), & hic salvator hanc distinctionem faciat inter oves & hædos, inter eos, pro quibus rogat, & mundum, pro quo non rogat, hique æternam adipiscuntur vitam, illi vero luent supplicium æternum. Facillime colligitur Jesum non satisfeciſſe pro omnibus hominibus, eumque æterna suferre supplicia, pro quo non satisfecit, eum autem ab omni pœna liberum esse, vitaque gaudere æterna, pro quo satisfecit. Posita enim ratione sufficiente, ponitur id, quod per eam potius est, quam non est (*Ontol.* §. 118.).

§. 963.

Quomodo se habeat puniendus & salvandus ante & post decretum quoad intellectum Divinum.

Quoniam res decretæ, ad mentem sacrarum literarum, præscibiles solummode fuere ante decretum, sed actu præscitæ post decretum (§. 355.). Et Jesus non satisfecit pro omnibus, eumque æterna luere supplicia, pro quo non satisfecit, eum vero ab omni pœna liberum judiciari, æternaque gaudere vita, pro quo satisfecit (§. 962.). Decretum Divinum Jesum non satisfacturum pro o-

mnibus hominibus, & eum æternam laturum pœnam, pro quo non satisfecit, illum autem, pro quo satisfecit, ab omni pœna liberum futurum, vitamque nasciſci æternam præscibile Deo fuit ante decretum, & actu præscitum post decretum.

Quamdiu Deum non actu decreviſſe concipimus, tamdiu affirmandum est Deo solum præscibile fuiſſe non omnes homines salvari, & quinam salvabiles, quinam non; postquam Deus concipitur decreviſſe, asseverandum quoque est eundem actu præscire quinam salvantur, quinam non. Hæc probe animadvertenda, cum quia passim in sacris paginis ad hanc differentiam respicitur, locaque alias difficultur intelligenda, facillime intelliguuntur, tum ne scioli, aut sua antea formata hypotheſi dediti consequentiariorum instar, inde absurdas deducant rationi, revelationi, immo Deo indignas consequentias.

§. 964.

Præscientia salvandi, damnandique, ejus libertatem non tollit.

Deus ipse testatur præscientiam Divinam nec libertatem, nec contingentiam tollere (§. 356.). Quare cum salvandus ac puniendus sit homo, seu ens contingens, quod Deus præscivit libertate sua abusurum (§. 424.). Hinc Præscientia Divina salvandorum & damnandorum libertatem minime tollit.

Qui præscibilitatem atque præscientiam abusus libertatis probe cognitam habet, scit in quantum præscientia abusus hujus libertatis a decreto pendeat. Ad difficultates, perversasque consequentias dispellendas, quæ hic oriri possent, ruminanda, quæ (§. 238.) docuimus. Nimirum præscibilitatem non modo expendi convenit ex parte Dei, quem-

quemadmodum a quibusdam fieri solet; verum etiam ex parte ipsius objecti, seu salvandi & damnandi, quod vulgo negligitur. Et vicissim homo est creatura Dei, qui omnia a Deo habet, quique abusum libertatis hominis permittere decrevit (§. 425.), nec eum per miraculum impedit (§. 426.) Tum enim veritas hujus propositionis liquido constabit, simulque apparebit, quam sit necesse notioni libertatis non admisceri, quæ a veritate aliena sunt, sicut faciunt, qui præscientiam librorum decretorum animæ negant, & quam absurdum sit, velle, Deum debuisse per miraculum abusum libertatis impedivisse. His prælibatis, omnes suapte corruunt consequentiæ.

§. 995.

Infallibilis præscientia salvandorum ac damnandorum.

Gentium Apostolus *Eph.* I. 3. 4. inquit: Ὁ Θεὸς καὶ Πατὴρ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ - - ἐξελέξατο ἡμᾶς ἐν αὐτῷ πρὸ καταβολῆς κόσμου, εἶναι ἡμᾶς ἁγίους καὶ ἀμώμους κατενώπιον αὐτοῦ ἐν ἀγάπῃ &c. *Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi - - eligit nos in ipso* (Jesu Christo) *ante jactum mundi fundamentum, ut simus sancti & inculpati in conspectu ejus cum charitate, qui prædestinavit nos, quos adoptaret in filios per Jesum Christum* &c. Hic de salvandis in Christo Jesu loqui Paulum, dubitari nequit. De iis vero affirmatur, quod Deus Pater ipsos eligit in filios suos, seu, ut salventur. Deus omniscius (§. 229.) hos ipsos eligisse dicitur ante jacta mundi fundamenta; Adeoque antequam quicquam præter Deum fuit; Consequenter priusquam ullus homo erat, seu quando homo adhuc futurus erat. Quare cum præscientia sit cognitio futurorum (*Theol. natur. part.* I. §. 271.) Deus salvandos elegit, priusquam erant, seu præscivit, quos eligeret. Sic diserte dicitur *ad Rom.* IX. 11. 13. *Esavum odio habuisse, nondum natum.* Consequenter Deus præscivit sese Esa-

vum, seu damnandos odio habituros. Verum enim vero præscientia Divina est infallibilis (§. 358.). Deus igitur infalliḃiliter præscit, quinam salvantur, quinam damnantur.

Certitudinem hujus veritatis perspectam habebit, qui intelligit, quomodo quis falli potest præscientia, & quare præscientia Dei infallibilis (§. 539.).

§. 966.

illorumque numerus veritatem determinatam habet.

Psalmo CXLVII. 4. *de Deo* dicitur, eum *supputare numerum stellarum, & quotquot sunt nominibus vocare.* Et Christus asseverat *Matth.* X. 30, *Deum numerare omnes capillos capitis nostri.* Psalmista non solum affirmat, Deum numerare stellarum multitudinem, sed & addit, ipsum has omnes appellare nominatim, seu propriis nominibus a se invicem distinguere. Nec veritati invita statuere licet, Deum quoque singulos capillos capitis nostri nominatim appellare, seu propriis suis nominibus a se invicem discernere. Porro *Esaias* Cap. XLIX. 15. de Deo ait: *An oblivisci potest mulier fœtus sui, ut non miseretur filii uteri sui? Etiamsi hæ oblivisci possint, tamen ego non oblivisear tui.* Quodsi hæc scripturæ loca combinare volueris, quemadmodum decet, per ea utique patet: Deum hominum multitudinem numerare, eosque nominatim appellare, seu nominibus propriis a se invicem distinguere, quemadmodum nomibus suis distinguit filios a se natos, eorumque misericordia sua minime oblivisci, etsi mater oblivisci possit filiorum suorum. Quod Deus nominatim, seu distinctissime sciat instar matris non oblivisscentis filiorum suorum, numerum salvandorum, quoque ex *Apocalyps.* II. 17. luculenter patet, ubi Deus *vicentibus*, seu salvandis promittit *dare calculum album, & in calculo albo nomen*

men novum, quod nemo novit, nisi qui id accepit. Nobis hic perinde est, quid quis per calculum album intelligere velit. Sufficit extra omne dubium, seu verum esse, quod Deus salvandorum nomen calculo albo inseruit; Adeoque nomina eorum distinctissime, ac citra omne erroris periculum scivit, & certius quam mater sine erroris periculo scit numerum, nominaque filiorum suorum. Unde dubio caret Deum certissime, distinctissimeque scire numerum salvandorum. Deus porro omniscius omnia scit quæ cognitu possibilia (§. 229.); Consequenter distinctissime quoque scit (§. 169.) numerum damnandorum. Verum enim vero Deo tribuenda præscientia omnium rerum (§. 237.); Deus igitur distinctissime præscit numerum salvandorum ac damnandorum, & quidem distinctius, certiusque quam mater filios suos. Quicquid vero Deus præscit, id veritatem habuit determinatam ab æterno (*Theol. natur. part.* I. §. 536.). Ergo numerus salvandorum; nec non damnandorum veritatem habuit determinatam ab æterno, seu Deus vere eorundem numerum determinavit.

Qui perpendit, quandonam dicta scripturæ non extra omnem scopum, nec detorquendo, sed extra scopum suum primarium, sacris literis non invitis, ad probandas veritates alias merito adhibentur (§. 173.), is facillime intelligit ex dictis allatis sequi sua sponte Deum distinctissime scire numerum salvandorum, licet hæc loca alium habeant scopum primarium. Et hæc cognitio distincta numeri salvandorum ac damnandorum quoque per consequentiam ex aliis veritatibus revelatis, veluti ex omniscientia Divina, demonstrari potuisset. Amamus autem & ipsam explicationem extensivam, cum ut fœcunditas rerum revelatarum

tarum pateat, tum ut acumen Lectoris sacri codicis acuetur, nihilque negligetur, quod sapientissimus Deus revelare voluit. Si denique addis, quæ (§. 361.) de veritate determinata diximus, ab erroris metu securus eris.

§. 967.

Differentia hujus numeri ante & post decretum spectati.

Ad mentem scripturæ puniendi & non puniendi, seu numerus salvandorum ac damnandorum (§. 966.) ante decretum Deo præscibilis fuit (§. 663.) Unde eodem modo, quo (§. 362.) differentia rerum constabat, ratum manet numerum salvandorum ac damnandorum ante decretum spectatum veritatem esse determinabilem.

Et non minus post decretum numerus hic veritas determinata est, quod ex citatis paragraphis evidens est.

Si porro probe perpenditur, quod (§. 363.) dictum est, facillime intelligitur, quomodo decretum Divinum influat in determinationem numeri salvandorum & damnandorum ab æterno. Si quidam negligit sibi familiares reddere notiones anteriores, in quas notio veritatis determinatæ contingentium ab æterno resolvitur, aut vi suæ hypotheseos de hac veritate judicat, is sibi tribuat, quod sibi de hac veritate falsos format conceptus, non revelationi, aut demonstrationibus inde legitime deductis.

§. 968.

Relatio hujus numeri ad præscientiam.

Scriptura duce scimus numerum salvandorum, damnandorumque non posse spectari tanquam præscitum ante decretum, sed demum post illud (§. 663.). Quamobrem cum ante decretum veritas hujus numeri solummodo determinabilis sit, post decretum vero determinata (§. 667.).

Hic

Hic numerus tanquam præscitus spectari non potest, quamdiu ejusdem veritas non est determinata, intelligitur autem præscitus, quam primum veritas ipsius determinata; Consequenter ratio sufficiens præscientiæ est ejusdem determinata veritas (*Ontol.* §. 56.). Quoniam igitur posita ratione sufficiente ponitur id, quod propter eam potius est, quam non est (*Ontol.* §. 118.); Numerus salvandorum atque damnandorum præscitur, quia veritatem determinatam non ideo habet, quia præscitur; Consequenter numerus salvandorum ac damnandorum veritatem determinatam ab æterno habuit, non quia Deus eum præscivit; sed Deus eum præscivit, quia veritatem determinatam ab æterno habuit.

Nimirum si numerum horum consideramus ante Dei decretum, eum Deo perspectum esse novimus, si Dei Filius salvandos salvaret, Sp. S. iis salutem applicaret, Paterque eosdem salvatos judicaret, fore, ut sub hac ratione salventur, reliqui damnentur. Quodsi jam porro concipimus Deum decrevisse eorum numerum hunc esse, nec plures, nec pauciores salvari; tum intelligimus, verum, fixumque numerum esse determinatum, seu per decretum Divinum certum fuisse ab æterno, hos salvari, nec alios, hos damnari, nec alios; Atque ideo Deo vi omniscientiæ suæ hunc numerum perspectum fuisse colligimus. Evidens hinc est, præscientiam hujus numeri a nobis concipi per determinatam ejus veritatem, minime vero determinatam ejus veritatem per præscientiam. Qui notiones, in quas hæc propositio resolvenda, & in superioribus propositas, sibi, quemadmodum decet, familiares reddidit, nodum Gordium in hac ardua doctrina solutum intueri potest, qui vero hæc negligit, sibi sapiat: si profert, cujus nihil intelligit. Quem

porro insignem usum habet propositio præsens in Theologia exegetica, perspiciet, qui scripturam intelligere desiderat.

§. 969.

Decretum Dei libertatem salvandorum ac damnandorum minime tollit.

Quoniam scriptura magistra decretum Dei nihil in re decreta immutat (§. 352.); Adeoque eandem relinquit, qualis spectatur ante decretum, (*Ontol.* §. 291.); Evidens est, quod id, quod ante decretum Divinum spectatur ut liberum, seu intelligitur libertate sua abusurum post decretum, id etiam intelligi libertate sua abusurum post decretum. Quare cum potentia abutendi libertate inhæsit ideæ hominis ante decretum, nec per hoc ab idea hominis separari potuit, ob eam tamen Deus existentiam hominis non decrevit (§. 939.), decrevit producere hominem, quia impossibile erat creare hominem illabilem, seu limitationibus originariis carentem (§. 942.), hoc est, non potuit creare hominem infinitum, seu Deum (§. *citato in notis.*). Et malum morale derivatur ex limitationibus originariis (§. 941.), ex malo morali autem malum physicum necessario sequitur. (§. 943.), seu ob malum morale necessario homo puniendus (§. 959.), aut, si mavis, damnandus; ac ob satisfactionem justitiæ Divinæ vindicativæ per Christum quidam homines non puniuntur, sed potius salvantur (§. 961.). Hinc per se patet decretum Dei libertatem salvandorum ac damnandorum minime tollere; seu illum damnari, qui sua abutitur libertate, illum autem salvari, pro quo salvator Divinæ justitiæ vindicativæ satisfecit.

Ex dictis itaque liquet decreto Divino nihil aliud tribui posse, quam, quod, qui in tempore existunt homines, non in statu puræ possibilitatis fuerint relictæ: minime autem homo abutitur libertate sua, quod Deus eum libertate

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823346366/phys_0418
DFG

te sua abusurum decrevit (§. 939.), sed quia abusus libertatis homini essentialis est ita, ut nisi in Deum mutetur, aut abusus hic semper per miraculum tollatur, quod Deum dedecet (§. 426.), non potuit non sua essentia abuti libertate. Et quatenus decrevit non omnes homines damnare, sed quosdam salvare, & quidem præcise eos, pro quibus salvator suæ justitiæ vindicativæ satisfecit, quique hanc satisfactionem sibi applicatam in se sentiunt, quod suo loco independenter ab hac propositione constabit. Verum enim vero quatenus Deus decrevit potius existere homines, quam non existere, & quid decrevit penitus intelligit (§. 334.) & facere potest, quæ decrevit (§. 274. & *Theol. natur. part.* I. §. 525.); Eatenus recte dicitur homines tales existere, quales eos Deus existere debere decrevit, & quatenus satisfactio salvatoris justitiæ vindicativæ Divinæ ratio sufficiens est, cur quosdam homines salvare possit (§. 962.); Eatenus quoque merito affirmatur hos potius decrevisse salvandos, quam alios. Hæc, qui probe intelligit, videbit doctrinam de salvandis, damnandisque planam esse, qui vero acumine eo destitutus, ita ut hæc perscrutari nequeat, revelationi, hæc docenti, fidem habeat.

§. 970.

Decretum salvandorum ac damnandorum est incomprehensibile,

Juxta sacrum codicem decretum Dei omni homini, immo omni enti intelligenti finito incomprehensibile est (§. 336.). Quare cum dubio careat decretum Divinum de salvandis ac damnandis esse decretum Divinum; Extra dubitationis aleam quoque positum est decretum Dei de salvandis, damnandisque omni homini omnique enti intelligenti finito incomprehensibile esse, quatenus nobis modum, quo hoc decre-

tum est, vel fieri potest, minime repræsentare valemus (*Theol. natur. part.* I. §. 170.).

Quoniam incomprehensibile dicitur cognoscibile, si modum, quo est, vel fieri potest, nobis minime repræsentare valeamus (*Theol. natur. §. citato.*), & (§. 336.) ostendimus quo sensu decreta Divina dicenda incomprehensibilia. Facillime colligitur nullum ens intelligens finitum ea comprehendere unquam posse; Adeoque, quod Deus voluit, ut de ejus decretis sciamus, id necessario revelare debuit. Ex his iterum facillime intelligitur, ultra revelationem in doctrina de Divinis decretis non progrediendum esse, sicque intelligimus, quæ Deus de salvandis ac damnandis revelavit; intelligimus omne id, quod Deus sapientissimus necessarium judicavit, ut sciamus. Quare minime solliciti sumus respondere ad inanes quæstiones, quas, qui ultra revelationem sapere vult, inprimis, qui principiis hujus salutaris doctrinæ caret, ex confusis, deceptricibusque sibi formatis notionibus, instituere potest: Quia hic in ipsam Divinam Sapientiam injurius, prius discere debet cognoscere Deum.

§. 971.

& imperscrutabile.

Scriptura nos docet decreta Divina esse imperscrutabilia (§. 325.). Verum enim vero decretum Dei de salvandis ac damnandis est decretum Divinum. Decretum igitur Divinum de salvandis, damnandisque est imperscrutabile, quatenus rationes hujus decreti nobis penitus perspectæ non sunt, easque minime assequi valemus.

Decreta Divina esse incomprehensibilia ac imperscrutabilia passim scriptura affirmat, eaque simul rationem sufficien-

cientem damnandorum, nimirum malum morale, & salvandorum, nimirum satisfactio Christi Divinæ justitiæ vindicativæ salvandis applicata, indicat. Quemadmodum vero jam (§. 293.) monuimus, imperscrutabilitatem voluntatis Divinæ non obstare, quo minus eandem, quantum fieri potest, scrutemur; ita quoque eadem minime obstat, quo minus in rationes decretorum Divinorum inquiramus, quantum eas assequi nobis licet, inprimis quia ipse Deus quasdam rationes suorum decretorum, quantum scilicet ad salutem cognitu necessarium est, revelavit. Atat! quia hoc loco solummodo de decretis Divinis in genere agendum est, & disquisitio eorum specialis proprie ad œconomiam salutis ac Theologiam exegeticam pertinet, sufficit rationi hujus instituti hic satisfeciisse, atque notiones dedisse necessarias, fœcundasque, ex quibus, qui eas intelligit, reliqua ad ductum sacrarum literarum facillime colliguntur.

§. 972.

Paulus *ad Eph.* I. 3. 4. inquit. *Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi*, ἐξελέξατο ἡμᾶς ἐν αὐτῷ, *elegit nos in ipso* (Jesu Christo) *ante jactum mundi fundamentum, ut simus sancti & inculpati in conspectu ejus cum charitate, qui prædestinavit nos, quos adoptaret in filios per Jesum Christum &c.* Ex contextu per se manifestum est Paulum hic loqui de salvandis in Jesu Christo. Quare cum satisfactio justitiæ Divinæ vindicativæ per Jesum sit ratio sufficiens salutis salvandorum (§. 961.); Hinc merito affirmat Gentium Apostolus salvandos per Jesum Christum salvari. Verum enim vero non omnes homines salvantur. Etenim *Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, pertulit multa cum iræ cohibitione vasa iræ, compacta ad interitum. Ad Rom.* IX. 22. hoc est, ut *Quos Deus elegit.*

Deus oſtenderet juſtitiam ſuam vindicativam in damnandis, abuſum libertatis eorum per miraculum ſatisfactionis Jeſu Chriſti auffere noluit, ſed eos ad interitum, ſeu ad damnationem reſervavit. Unde facillime colligitur eos dici in ſcriptura electos, quibus ſatisfactio juſtitiæ vindicativæ Divinæ per Chriſtum impetrata ad ſalutem applicatur.

Hæc propoſitio paſſim in ſacro codice confirmatur, veluti *Matth.* XXII. 14. *multi ſunt vocati, pauci vero electi* &c. quique eandem reſolvit, intelligit Deum ſalvandos elegiſſe dici eo ſenſu, quo ſenſu communi convenienter aliquid elegiſſe dicitur.

§. 973.

Electio eſt ſpecies decreti.

Paulus docet loco citato *Deum nos elegiſſe pro benevolo affectu voluntatis ſuæ.* Hoc alio ſenſu accipi non poteſt, quam quod Deus nos non eligat, niſi eligendi nos ipſi jam fuit ſeria voluntas, antequam nos eligeret; non autem eligere, niſi quod eligere quis poteſt benevolo affectu voluntatis ſuæ ad certum quid ſtatuendum neceſſario; Adeoque Deus determinavit voluntatem ſuam ad eligendum, quod elegit, eo modo, quo ens intelligens eandem determinare poterat benevolo affectu. Verum enim vero iſta voluntatis ad aliquid agendum determinatio appellamus ad mentem Pauli decretum (§. 318.). Atque adeo liquet ad mentem Apoſtoli electionem pertinere ad decretum Divinum, ſeu eſſe ſpeciem Divini decreti.

Qui itaque notionem poſſidet diſtinctam Divinorum decretorum, is non minus facillime acquirere poteſt notio-

tionem distinctam electionis. Illustrationis gratia paragraphum sequentem subjicimus.

§. 974.

Numerus I. *Ad Eph.* I. 4. Paulus ait *Deum nos in Christo elegisse ante jacta mundi fundamenta*, hoc est, antequam quicquam præter Deum erat. Mundus enim, & omne, quicquid præter Deum est, sunt synonyma (§. 5.). Quare cum ante mundum, seu rerum præter Deum existentium creationem, earumque successione tempus non detur (§. 57. & *Ontol.* §. 574.). Deus nos elegit, quando tempus adhucdum non erat. Unde idem est ac si Paulus dixisset, Deus nos elegit ab æterno. *Electio est æterna,*

Quod quoque sic patet. Electio est actus voluntatis Divinæ, teste Paulo (§. 973). Verum enim vero quicquid Deus vult, hoc ab æterno voluit (§. 257.). Ergo quemcunque Deus elegit, eum ab æterno elegit.

Vel sic. Decreta Divina sunt æterna (§. 321.). Electio decreti species est (§. 973.). Electio igitur æterna est.

Numerus II. Decreta Dei sunt imperscrutabilia (§. 325.); Electio ejus species est (§. 973.). Ergo electio est imperscrutabilis. *imperscrutabilis,*

Numerus III. Decretum Dei liberum est (§. 327.); Ergo electio quoque libera est (§. 973.). *libera,*

Numerus IV. Decretum Divinum non est casus purus, seu non est actus ratione sufficiente destitutus (§. 329.). Ergo electio etiam non est casus purus, sed rationem habet sufficientem (§. 973. 961.). *nec casus purus,*

Nu-

sed immutabilis, *Numerus* V. Decretum Dei est immutabile (§. 330.). Ergo electio quoque est immutabilis (§. 973.).

nec ea Deum pœnitet. *Numerus* VI. Deum nunquam pœnitere potest ejus, quod decrevit (§. 332.). Ergo Deum electio pœnitere nequit (§. 973.).

Ex his porro facillime colligitur, omne id, quod de voluntate Divina, quodque de Dei decreto demonstratum est, quoque de electione affirmandum esse, nec indiget acutis laudare hujus propositionis usum, quippe qui per se palam est.

§. 975.

Electio quid Quoniam scriptura illos vocat electos, quibus satisfactio per Christum impetrata ad salutem applicatur (§. 972.), & quia electio ad decreta Divina pertinet, seu est species decretorum Dei (§. 973.); Hinc evidenter patet ad mentem sacri codicis per electionem exprimi decretum illud Divinum de salvandis.

Unde denuo patet omne id sibi esse familiare reddendum, quod de decretis Divinis ex sacris paginis demonstravimus, priusquam notio electionis distincta formari potest. His autem bene perspectis hanc notionem ultro fieri distinctam. At, qui tanto acumine non gaudent, ut dicti veritatem introspicere queant, addere lubet sequentes paragraphos.

§. 976.

Quomodo se habeant electi ante & post electionem. Quoniam illi nuncupantur electi, quibus satisfactio per Christum impetrata ad salutem applicatur (§. 972.), & electio est decretum Dei de salvandis (§. 975.); Res vero decretæ ante decretum tantummodo sunt præscibiles, at actu præscitæ post decretum (§. 355.). Hinc electi ante de-

decretum ſolummodo erant eligibiles, poſt decretum autem actu electi.

Quamdiu Deum non actu elegiſſe concipimus, affirmat ſcriptura Deo ſolum præſcibile fuiſſe, quis ſit elegibilis, quis non ſit talis; Atat! poſtquam Deus concipitur actu decreviſſe hunc elegire, illum non eligere, ſacer codex aſſerit, Deum actu, ſeu nominatim præſcire, quis ſit electus, quis non. Licet Deo ſimul omnia inſint, quæ eidem actu ineſſe poſſunt, hoc tamen minime obſtat Deum concipi poſſe, immo a nobis concipiendum eſſe tanquam qui conſuluit, quid decernendum, quid non decernendum, ut nobis diſtinctas acquirere poſſimus decretorum Divinorum notiones, quas, quia entia finita ſumus, ſimul, ſeu unico ictu, quemadmodum hoc in Deo, ente illo infinito fit, nobis repræſentare minime valemus. Id, quod & ipſi Mathematici facere conſueti, reſolvendo propoſitionem datam in omnia ſua principia, in quæ reſolvi poteſt ac debet, ut datæ acquirant notionem certam atque diſtinctam. Et Deum velle nos hac via ad notiones decretorum diſtinctas pervenire, patet ei, qui ſcripturam cum adhibenda attentione perluſtrat.

§. 977.

Scriptura teſte præſcientia Divina nec libertatem, nec contingentiam tollit (§. 356.). Quare cum electus maneat homo, ſeu ens contingens, quod Deus præſcivit libertate ſua abuſurum (§. 424.). Hinc præſcientia Dei electorum contingentiam, aut abuſum libertatis minime tollit. *Electio electi libertatem non tollit.*

Hanc propoſitionem Salomon *Eccleſiaſt.* VII. 20. ita effert: *Nullus homo juſtus in terra, qui faciat bonum,*

ac non peccet. Adeoque, quia & ipse electus manet homo, ac homo ob limitationes suas originarias influentes in suas actiones incidit in malum morale, aut, si mavis, peccat, & ipse electus peccat. Absonum itaque, est statuere electum non posse peccare.

§. 978.

Differentia electorum ante & post decretum spectatorum.

Electi ante decretum considerandi solum eligibiles (§. 976.). Quamobrem cum elegibile sit, quod in se tale est, ut possit eligi, seu cujus electio non involvit contradictionem; Adeoque electionem tanquam futuram cognosci posse non repugnat (*Ontol.* §. 85.); Electio ante decretum talis deprehenditur, ut futuram fore agnoscatur, siquidem ejus seriei rerum, ad quam spectat, existentia decernatur. Quoniam itaque quid determinabile est, si quid de eodem affirmari possit, etsi nondum affirmari debeat (*Ontol.* §. 105.). Juxta scripturam electio ante decretum spectata veritas determinabilis est.

Jam vero electi post decretum actu præsciuntur (§. 976.); Consequenter hi ut futuri agnoscuntur (*Theol. natur. part.* I. §. 231.). Quoniam itaque post decretum certum est, electos exstituros, & veritas eorum determinata est, de quibus alteram contradictionis partem affirmari, alteram negari oportet (§. 361.). Sacer codex nos docet electos post decretum esse veritatem determinatam, seu esse veritatem determinatam hos ipsos esse electos.

Hujus propositionis membrum posterius etiam sic patet. Gentium Apostolus *Eph.* I. 3. 4. affirmat: *Deum nos elegisse ante jactum mundi fundamentum.* Hoc est, quando adhuc nihil præter Deum erat, id est, Deus nos elegit ab æterno; Consequenter Deus nos tanquam electos futu-

ros

ros esse ab æterno agnovit. Quare cum electio pertineat ad Divinum decretum, quod idem Paulus l. c. docet (§. 973.); & post decretum res nascisuntur determinatam veritatem ab æterno (§. 360.). Paulus nos docet per decretum electionis electos ab æterno veritatem determinatam nactos esse, seu Deum ab æterno eligisse eligendos.

Ex his facillime intelligitur, eum scire, quinam sint electi, quinam non, qui Divinum illud electionis decretum probe perspectum habet, & vicissim, qui hoc decretum nescit, nescit quoque quinam electi sunt: Hoc autem decretum incomprehensibile ac imperscrutabile est (§. 970. 971.); Quare nescimus, quinam electus sit, nec ne. Deus vero tanta de decretis suis revelavit quanta ad salutem scitu necessaria sunt (quod suo loco independenter a dictis constabit). De electione itaque, ac de electis tantum ex scriptura discere possumus, quantum sufficit ad salutem. Cavendum igitur ne temere de electione & electis judicemus, seu in decretum Dei, hoc est, in ipsum Deum injurii simus. Quemadmodum vero superius (§. 293.) jam monuimus, imperscrutabilitatem voluntatis Divinæ non obstare, quo minus eandem, quantum datur, scrutemur; ita quoque eadem minime obest, quo minus in rationes decreti electionis atque quinam elegendi, qui non, inquiramus, quantum has rationes assequi licet. Ut ubi rationes possibiles reperimus, in iis acquiescendum, ubi nullas perspicere possumus, non est judicandum, ne temere judicetur. Denique quia revelatio propterea data est, ut sciamus, quæ creditu necessaria sunt, eo ipso, quod Deus eam dedit, voluit, ut inquiramus in decretum electionis, & scrutemur, num simus electi. Reliqua, quæ adhuc de

decreto electionis dici possent, ex demonstratis facillime collegi possunt, & executio hujus decreti ad œconomiam salutis pertinet.

§. 929.

Quos Deus reprobavit.

Juda epist. sua versu 4. inquit: Παρεισέδυσαν γάρ τινες ἄνθρωποι οἱ πάλαι προγεγραμμένοι εἰς τοῦτο τὸ κρῖμα, ἀσεβεῖς, τὴν τοῦ Θεοῦ ἡμῶν χάριν μετατιθέντες εἰς ἀσέλγειαν, καὶ τὸν μόνον δεσπότην Θεὸν, καὶ Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν ἀρνούμενοι. *Subirrepserunt enim quidam homines jamdudum præscripti ad hanc damnationem (hoc judicium), impii, qui Dei nostri gratiam transferunt ad lasciviam (ad petulantem peccandi libidinem), & solum illum herum Deum ac Dominum nostrum Jesum Christum negant.* Diserte hic Judas loquitur de hominibus ad damnationem jamdudum præscriptis, redditque rationes hujus damnationis, nimirum quia impii, & hanc impiatem explicat, quod Dei, seu summi Domini gratiam transferant ad petulantem peccandi libidinem, & quod solum nostrum salvatorem Jesum Christum negant. Quare cum non alia detur electionis ratio, quam satisfactio Divinæ justitiæ vindicativæ per Christum (§. 961.), qui hunc, ejusque satisfactionem negat, omnino a justissimo Deo damnari debet, negat autem hanc satisfactionem libidine petulanter peccandi. Unde facillime intelligitur eos esse jamdudum, seu ab æterno damnatos, qui petulanti peccandi libidine satisfactionem Christi negare ostendunt. Hos Theologi quoque reprobatos vocant; Adeoque est reprobatio illud æternum Dei decretum damnandi damnandos.

Si quis omne id, quod de Divino decreto diximus reprobationis decreto applicat, is facillime sibi reprobationis notionem distinctam formare potest. Unde, ne ultra ne-

neceſſitatem prolixi ſimus, hanc applicationem L. B. relinquimus.

§. 980.

Paulus de prædeſtinatione ita loquitur *ad Rom.* VIII. 29. *Prædeſtinatio Deo aſſerta quid?*
Ὅτι ὃς προέγνω, καὶ προώρισε συμμόρφους τῆς εἰκόνος τοῦ Υἱοῦ αὐτοῦ. *Quia quos præſcivit, etiam prædeſtinavit conformandos imagini Filii ſui.* Quod idem eſt, ac ſi Apoſtolus dixiſſet: Deus eos prædeſtinavit conformare imagini Filii ſui, quos præſcivit. Prædeſtinatio itaque præſupponit præſcientiam. Quare cum præſcientia ſit cognitio futurorum (*Theol. natur. part.* I. §. 231.), præſcientia Deo aſſerenda eſt cognitio, qua Deus ab æterno novit, quæ futura ſunt (§. 237. & *Theol. natur. part.* I. §. *citato.*). Prædeſtinatio igitur ad mentem Pauli præſupponit Divinam, æternamque cognitionem futurorum, ſeu eos Deus prædeſtinavit, de quibus cognovit omnia omnino futura (§. 169.). Quid Paulo ſit conformare imagini Filii ſui, hic inquirendi locus non eſt, quia ſufficit, ſi ſcimus, quinam illi prædeſtinati ſint; hos Apoſtolus accuratius deſcribit verſu 28 & 30, nimirum, *quos ex præſtituto vocavit, quos quoque juſtificat, quos etiam glorificat, qui Deum diligunt, & quibus omnia ſimul adjumento eſſe debent ad bonum.* & *Eph.* I. 11, *qui ſunt laudi gloriæ Divinæ.* Qui has locutiones Paulinas refert ad objectum, cui eæ applicabiles, facillime intelligit, has ſolis competere electis; Ut adeo idem ſit, ac ſi Paulus dixiſſet, Deus prædeſtinavit electos. Id, quod ſuo loco, quando de eligendis ajendum erit, independenter a jam dictis evidenter conſtabit. Unde per ſe patet Paulo prædeſtinatos eſſe electos, de quibus Deus ab æterno omnia omnino futura cognovit; ſicque prædeſtinationem eſſe decretum illud Divi-

num de electis, de quibus Deus ab æterno omnia futura cognovit.

Quoniam sese præscientia Divina extendit ad omnia omnino præscibilia (§. 237.), & decretum Divinum circa cunctas res versatur, ita ut nihil adeo vile videri debeat, cujus conservationem ac gubernationem Deus non decreverit ab æterno (§. 478.). Non solum autem electi, sed & reprobati in entium numero sunt. Theologi decretum Dei non solum de electis, sed & de damnatis, quos & de quibus Deus ab æterno omnia futura cognoscit, exprimentes, utuntur vocabulo prædestinationis.

Si quis intelligit, quid cum de Divinis decretis, tum de decreto electionis, tum de eo reprobationis diximus, is quoque omne id, quod de prædestinatione dici potest, distincte intelligere potest, ac objectiones in hac doctrina errantium per se corruunt; Adeo ut eas refutare supervacaneum sit. Si jam parte sequente exornaverimus doctrinam de angelis, quoque facillime demonstrari potest, quo jure Theologi sanctos ac damnatos angelos affirmant esse prædestinatos: Nimirum quia sese & præscientia & decretum Dei extendit etiam ad ipsos angelos. O! Deus T. O. M. da nobis testimonium, quod simus prædestinati, ita ut omnia nobis simul adjumento sint ad bonum, & electi ad gloriam Dei nostri.

F I N I S.

Partis primæ Theologiæ Dogmaticæ.

I N-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823346366/phys_0430
DFG

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM,

In quo numeri paragraphos denotant.

A.

Abnegatio voluntatis propriæ, 492
Abusus libertatis. ejus præscibilitas & præscientia 424. permissio 425. an Deus ipsum per miraculum impedire potuit 426, quod ulterius vindicatur 427. num ejus permissio Divinæ bonitati repugnet 430. error refellitur 431. ejus abutendi potentia quomodo spectetur in decreto Dei 939. eum decretum Dei non tollit. 969
Acquiescentia in seipso Deo tribuenda 604. ulterius illustratur. 605
Actio quomodo Deo competat. 516
Actiones bonæ, ad eas Dei concursus. 504
Actiones liberæ, cur homo eas secundum voluntatem Dei determinare debeat 491. ad eas Deus homines obligat 494. circa eas, quid Deus præsciat 497. ulterius corroboratur. 498
Actionum Divinarum rectitudo 523. notanda 524. quomodo æstimanda 525. justitia. 535
Actuositas continua Deo competit 111. ejus notio 112. Dei Filio competit. 709
Actus intellectus Divinus est 202. ratio Dei est 222. notanda 223. ac voluntas Dei. 264
Actus ad extra & ad intra quinam. 859
Actus personales quinam 853. quot 854. sunt actus per eminentiam 855. & quidem necessarii, essentiales & æterni 856. eorum convenientia 857. differentia 858. sunt actus ad intra. 859
Adoratio probat Filium Dei revera verum esse Deum. 749
Æqualitas trium Divinarum personarum. 814
Æternitas quid. 61
Æternitas Dei probatur 61. confirmatur 62. notio ejus 63. qualis 64. ejus definitio 65. cur accurate investigenda 66. error refellitur 67. vindicatur 74. non est tempus infinitum 74. Num. II. voluntatis Divinæ 257. decretorum Dei 321. notanda. 322. Filii Dei 699. Num. VI. Spiritus Sancti 781. Num. X. electionis 974. quænam ab æterno habeant veritatem determinatam 360. ulterius explicatur. 361
Affectus, iis Deus caret 569. Ulterius explicatur, 570. quo sensu Deo tribuenda 571. error refellitur. 572
Alternatio statuum Deo repugnat 176. notanda. 177
Amabilitas Dei summa 592. notanda. 593
Amor Dei universalis erga omnes creaturas 418. ejus nexus cum bonitate 419. quo sensu Deo tribuendus tanquam affectus 594. exceptionibus occurritur. 595

Amor

Amor sui ipsius in Deo 590. notanda. 591
Anima, earum creatio 453. similitudo eas inter & Deum. 550
Annihilari Deus neqnit 54. error refellitur 55. Dei Filius nequit 699. Num. IV. & Spiritus Sanctus. 781. Num. VIII.
Antitrinitarius quis 875. refutatur 879
Antitrinitarius antiscripturarius quis 876. quot. 877
Antitrinitariissmus quid. 875
Apperceptio in Deo cur continua. 231
Appetitus sensitivus Deo nullo modo convenit 566. confirmatur & ab exceptionibus liberatur. 567
Arbitrariæ ideæ in Deo reiciuntur. 205
Ariani refutantur. 883
Artemus refutatus. 881
Aseitas Dei 25. Spiritus Sancti. 781. Num. IV.
Athei refelluntur. 24
Attributa Divina, ad ea demonstranda, quænam cautio adhibenda, 166. quænam attributa Deo non tribuenda 167. ulterius explicatur. 168. quomodo ad eorum notionem perveniatur 551. ulterius expenditur. 552
Attributum proprium quid. 844
Auditus quo sensu Deo tribuatur. 192. quid significet 193. confirmatur. 193
Auris quo sensu Deo tribuatur 196. error refellitur. 197
Αὐτόθεος ejus definitio 655. quo sensu Pater 655. Filius 754. & Spiritus Sanctus. 802
Autoris institutum. 1
Aversatio sensitiva Deo nullo modo convenit. 568

B.

Baptismus docet Sp. S. verum esse Deum. 794
Beatitudo summa Deo competit 546. ulterius illustratur & vindicatur 547. Dei est incommunicabilis 548. error refellitur 549. summa Filii Dei. 741
Beneficia hominum inter se, bonitati Divinæ accepta ferenda sunt 436. propositionis usus. 437
Benignitas quo sensu Deo tribuatur 639. ulterius explicatur 940 quis eam exerceat 640. ea quis multus dicendus sit. 640
Bonitas Deo tribuenda 415. Dei est immensa 416. notanda 417. eam inter & amorem quis nexus 419. num ei permissio abusus libertatis repugnet 430. error refellitur 431. de ea homo non eodem, quo Deus, modo judicare potest 432. eidem tribuenda est directio mali ad bonum finem 433. notanda 434. ad eam referendus usus rerum naturalium 435. & si quid boni ab aliis hominibus in nos transfertur 436. propositionis hujus usus 437. nec non si in iis ponimur circumstantiis, quibus bonorum physicorum & moraliuni evadimus compotes 438. notanda 439 ejus diffusio 440. magnitudo 441. est incomprehensibilis 442. & immutabilis 517. Spiritui Sancto asserta. 773
Bona quomodo a malis in hoc universo dependeant. 407. notanda. 408
Bonum quid 504. quid Deo dicatur. 61
Bonus quis sit. 451

C.

C.

Carpocrates refutatur. 881
Casus quid 948. cur non detur ex parte Dei, sed solum ex parte causarum secundarum. 948
Casus purus quid 329. decretum Dei non est. 329
Causa quid. 673
Cerinthus refutatus. 880
Christus cur dicatur Dei Filius. 756
Classicus locus quid. 147
Cœlum & terra Hebræis mundus est. 4. 6. 14. 19
Cognitio historica omnis Deo competit 208. ab exceptionibus liberatur. 209. qualis Deo tribuenda 212. usus hujus propositionis 213. Symbolica Deo perspecta est 227. ulterius probatur. 228. omnium rerum Deum decet 170. error refellitur. 171
Cognoscit Deus omnia simul 186. semetipsum 206. notanda. 207
Commiseratio quo sensu Deo tribuenda 598. notanda 599. unde ea sit. 600
Commune quid. 660
Commune jus quid. 660
Communis res quid. 660
Communicatio quid. 660
Communicavit Pater essentiam Filio 660. & Spiritui Sancto. 801. Num. II.
Competere uni soli quid. 667
Compositus non est Deus 78. error refellitur 79. non est Dei Filius 702. nec Spiritus Sanctus. 782. Num. III.
Concursus quid 463. Dei ad actiones creaturarum 463. notanda 464. ad actiones malas 465. notanda 466. ad abusum libertatis 467. non concurrit ad hominis imperfectionem 468. ad actiones bonas 504. Spiritus Sancti. 774
Conditio sub ea data, quid fieri debeat, Deus noscit 245. notanda. 246
Conservatio quid 15. 155. rerum Deo tribuenda 459. ulterius probatur 460. Dei Filio 734. & Spiritui Sancto tribuenda. 776
Conservator unicus quis sit 151. ejus definitio 152. confirmatur 153. error refellitur. 154
Conservatrix potentia Deo propria est & incommunicabilis. 462
Consilium, seu *consultatio* quid. 316. quo sensu Deo tribuitur 316. notanda 317. & Spiritui Sancto. 765. quomodo decretum præcedat. 919
Consuluit Pater cum Filio, Spirituique Sancto. 954
Contingentiam non tollit Dei decretum 354. nec præscientia Dei. 356
Contingentium actus relatio ad præscientiam 364. adhuc clarior redditur. 365
Contra rationem quid sit. 903
Corporaliter in habitare quid. 742
Corporeus Deus non est 88. quod ulterius confirmatur 89. cautela 90. error refellitur. 92
Corruptibile quid 83
Creatio quid 443. hujus mundi, ejus finis 377. notanda 378. ea Deus manifestavit gloriam suam 379. animarum 453. ex nihilo facta est 443. notanda. 444. Dei Filio tribuenda 720. notanda 721. & Spiritui Sancto competit. 768
Creator unicus quis 151. definitur 152. confirmatur 153. error refellitur 154. unicus Deus est. 445

Creatrix potentia ſoli Deo propria eſt. 445
Creatura quid 156. quænam 449. ab exceptionibus liberatur 450. quam late vocabulum ſumendum 451. definitio noſtra ab exceptionibus liberatur 452. eæ ſunt Speculum perfectionum Divinarum 454 quomodo id ſint 455. qualis cauſa ſit. 558
Cultus Dei quid 817. Trinitatis. 817
Cupiditas quo ſenſu Deo tribuenda. 622

D.

Damnandorum numerus veritatem determinatam habet 966. differentia hujus numeri ante & poſt decretum ſpectati 967. ejus relatio ad præſcientiam 968. libertatem non tollit Dei decretum 969. decretum circa eos eſt incomprehenſibile 970. & imperſcrutabile. 971
Decent Deum decreta ſua 341. quicquid vult 272. notanda 273. num deceat eum per miraculum impedire abuſum libertatis. 426
Decernit Deus, cujus rationem homo intelligere nequit 337. quod eſt optimum 338. quomodo decernat in particulari 343. quod melius eſt in toto 930. omnia ſapientiſſime 936. etiam mali moralis permiſſionem 937. & cur. 938
Decreta Dei ſunt æterna 321. notanda 322. non ſunt temporaria 323. error refellitur 324. Deum decent 341. Deo digna ſunt 342. incomprehenſibilia 336. inperſcrutabilia 325. notanda 326. libera ſunt 327. notanda 328. Deus ea penitus intelligit 334. Deum non pœnitent 332. ab iis dependet futuritio rerum 339. notanda 340. certitudo executionis eorum 349. fons errorum circa ea 344. cur de iis agendum 918. cur in ſe intilligibilia 920. qui ea noſcit, noſcit etiam futura. 922
Decretum quid 318. quo ſenſu Deo tribuendum 318. Dei cur ſit unicum 345. notanda 346. quomodo multiplex 347. notanda 348. non eſt caſus purus 329. Sed immutabile 330. notanda 331. in re decreta nihil mutat 352. notanda 353. nec contingentiam, nec libertatem tollit 362. quomodo hoc pateat 363. permiſſivum mali moralis 371. notanda 372. ejus univerſalitas 478. ulterius explicatur 479. Sp. S. competit 765. Num. II. quomodo in eo Dei, ſpectetur potentia abutendi libertate 939. dependentia entis ab eo 940. id non tollit contingentiam malorum phyſicorum 944. æternum de creando mundo 946. id libertatem ſalvandorum ac damnandorum minime tollit 969. de ſalvandis, damnandisque eſt incomprehenſibile 970. & inperſcrutabile 971. Trinitatis quomodo ſit unicum 955. quomodo multiplex 656. applicatur. 957
Defectum nullum admittit Spiritus Sanctus. 782. Num. V.
in *Deismum* quis facile incidit. 951
Deiſta quis 951. eorum fundamentum ſubvertitur. 952
Dependens quid. 11

Dependentia entis a decreto Divino. 940
Desiderium quo sensu Deo tribuendum 629. notanda. 630
Desperatio Deo repugnat. 620
Deitas tota Christo inhabitat 742. hinc verus dicitur Deus. 743
Θεός nomen Divinum est 688. exceptionibus occurritur 689. ita vocatur Pater 690. est nomen omnium trium, qui dicuntur verus Deus 691. quo sensu in sacris occurrat 692. ita vocatur Filius 751. & Spiritus Sanctus. 797
Dei cognoscendi principium 12. 99. definitio 21. definitionis fœcunditas 22. ac consensus 23. aseitas 25. constans identitas 39. Dei notio 20. continua actuositas 111. præsentia 155. omnipræsentia 157. unitas 147. ratio 163. ejus apperceptio continua est 231. Scientia visionis 241. recordabilitas 239. decreta *vide decreta*, præscientia 365. libertas in constituendo fine 386. judicium de manifestatione gloriæ suæ 389. ab exceptionibus liberatur 390. sapientia 401. judicii diversitas a nostro de usu rerum 485. bonitas 415. immensa est 416. notanda 417. Amor universalis erga omnes creaturas 418. amoris hujus nexus cum bonitate 419. bonitati num repugnet abusus libertatis permissio 430. de ea, quomodo homo judicet. 432. unitas quanti habenda 647. Filius, *vide Filius Dei*. Patris definitio. 867
Dei veri signum naturale est electio mundi optimi. 295
Deo existentia est essentialis 75. membra corporis humani, quo sensu tribuuntur 108. vita 115. independens 120. qualia prædicata 124. qualis vis 126. intellectus 128. & voluntas tribuitur 132. repugnat localis motus 161. quænam non tribuenda 167. ulterius expenditur 168. repugnat somnus 174. quo sensu tribuuntur sensus 189. visus ac auditus 192. oculus 195. & auris 196. ideæ rerum sunt essentiales 203. competit cognitio historica 208. & Symbolica ei perspecta est 227. qualis cognitio ei tribuenda 212. qualis ratio 214. maxime placet perfectissimum 297. quo sensu tribuendum consilium 316. decretum 318. propositum 319. modi per eminentiam 513. quomodo insint, quæ de eo prædicantur 518. cur tribuatur pluralitas. 809
Deum non dedecet ullius rei cognitio 170. nec permissio mali 375. non pœnitet facti 276. nec decreti 333. inter & animam similitudo. 550
Deus a se est & in existendo 12. & in durando 19. primus est & ultimus 27. immutabilis 34. ortu atque initio caret 44. interitu atque fine 48. annihilari nequit 54. non est in tempore 56. est æternus 61. sempiternus 68. non compositus, sed simplex 78. nec extensus 80. sed incorruptibilis 82. qui corporeus esse neqnit 88. est insensibilis, nec imaginabilis 93. sed invisibilis 96. qui nec pingi, nec sculpi potest 100. sed per figuras hieroglyphicas repræsentabilis 105. qui vi activa gaudet 113. & Spiritus est 135. in-

independens 139. necessarius 141. infinitus 514. & perfectissimus 303. qui organa sensoria non habet 143. est unus 147. totum mundum in intellectu suo sibi repræsentans 169. qui non dormit, sed semper vigilat 174. nec statum alternat 176. quique cognoscit omnia simul 186. sensu ac imaginatione caret 187. semetipsum cognoscit 206. & historicus summus est 210. omniscius 229. scientiam simplicis intelligentiæ habens 233. quomodo recordabilitatem, præscibilitatemque cognoscat 243. qui novit, quid sub data conditione fieri debeat 245. elegit, produxitque mundum optimum 249. cur non velit sine motivis 251. qui non vult impossibilia, sed quicquid vult, possibile est 253 possibilitas non sufficit, ut velit 259. penitus intelligit, quicquid vult 261. omnia simul vult 262. semetipsum ad volendum determinat 268. quomodo seipsum velit 583. vult, quod ipsi placet 270. quod ipsum decet 272. facere potest, quicquid vult 274. quod vult, non pœnitet 276. est omnipotens 278. plura facere potest, quam quæ homo intelligere valet 285. miracula facit 286. motusque cohibet 288. velle potest, quæ homo non intelligit 294. est sufficientissimus 308. quomodo quid velit in particulari 312. decreta sua intelligit 334. decernere potest, cujus rationem homo intelligere nequit 337. decernit, quod est optimum 338. nihil decernit ob malum metaphysicum 366. nec mala physica, quatenus talia 369. per mundi creationem manifestavit gloriam suam 379. quomodo finem consequatur 387. media qualia eligat 391. fines particulares, quos constituat 393. quis ultimus finis 395. fines, quomodo subordinet 397. mala ad bonum dirigit 405. nihil frustra facit 409. & hinc ab hominibus differt 410. est sapiens 401. mundum ex nihilo creavit 443. non concurrit ad hominis imperfectionem 468. omnia gubernat 469. omnium creaturarum dominus est. 489. & quidem summe bonus 509. qualis sit substantia 512. est Sanctissimus 528. justissimus 533. beatissimus 546. qualis causa sit 558. nec bonum apparens vero, nec minus majori præferre potest 560. error refellitur 561. non vult omnia simul 564. caret affectibus 569. verus, est Deus triunus 873. decernere nequit, quod attributis ipsius repugnat 921. quomodo decernat 930. nullatenus peccati causa est, quod dantur mala moralia in mundo 949. nullum ens præter se adhibet in decretum 953. quos elegit 972. quos reprobavit. 979

in *Divinitate* non datur subordinatio. 824

Differentia realis trium Divinarum personarum 808. confirmatur. 810

Digna Deo decreta sua. 342

Directio malorum ad bonum finem est justitiæ divinæ. 538

Displicet Deo quid 582. malum. 626.

Diversum quid. 807

Dominium quid 487. Deo tribuendum

dum 487. cur 488. rerum a Deo hominibus conceſſum 505. quale hoc ſit 506. ejus uſus & abuſus, in quo conſiſtat 507. ulterius explicatur 508. Dei Filio tribuendum. 736
Dominus omnium creaturarum eſt Deus 489. & quidem ſumme bonus 509. ab exceptionibus liberatur. 510

E.

Elegit Deus hunc mundum. 382
Electio quid 301. hujus mundi, ejus finis. 377
Electio, ſeu quos Deus elegit 972. eſt ſpecies decreti Dei 973. eſt æterna 974 imperſcrutabilis 974. Num. II. libera 974. Num. III. nec caſus purus 974. Num. IV. ſed immutabilis 974. Num. V. nec ea Deum pœnitet 974. Num. VI. quid 975. ea non tollit libertatem electorum. 977
Electi quomodo ſe habeant ante & poſt decretum 976. eorum differentia ante & poſt decretum. 978
per *Eminentiam* quid Deo inſit. 189
Ens neceſſarium Sp. S. eſt. 741. Num. III.
Entis dependentia a Dei decreto. 940
Eſſentia quid 657. divinæ infinitudo 511. Dei quid 657. notanda 658. Spiritus Sancti Divina. 786. 798. Divina eſt incomprehenſibilis. 899
Exandeſcentia quo ſenſu Deo tribuenda. 633
Executio decretorum Divinorum certa eſt. 349
Exiſtentia quid 76. Deo eſt eſſentialis 75. error refellitur 77. Sp. S. eſt eſſentialis. 782. Num. II.
Exiſtibile quomodo cognoſcatur. 232
Expectatio quo ſenſu Deo tribuenda. 618
Extenſus Deus non eſt 80. error refellitur 81. non eſt Dei Filius 702. Num II. nec Spiritus Sanctus. 782. Num. IV.
Eutychiani refutantur. 895

F.

Facere Deus poteſt, quicquid vult 274. notanda 275. quod decrevit. 923
Facultas nec intellectus 202. nec ratio Dei eſt. 222
Faſtidium quo ſenſu Deo repugnat 636. quo vero eidem tribuendum 637. ab exceptionibus liberatut. 638
Fata ſiniſtra providenriæ Divinæ ſubſunt. 482
Favor quo ſenſu Deo tribuendus 614. notanda 615
Figura hieroglyphica quid 105. Deus per eas repræſentari poteſt 105. ſcriptura affirmante 106. cautela 107 ſic & Filius 707. Num. II. nec non Sp. S. 782. Num. X.
Filius quid. 693
Filius Dei quid 868. cur dicatur 694. cur unigenitus 695. cur dicatur Jeſus 696. is primus eſt & ultimus 697. errandi anſa detegitur, veritasque vindicatur 698. ſemper idem eſt, immutabilis, ortus ac initii, finis atque interitus expers, qui annihilari nequit, nec in tempore eſt, ſed æternus 699. & ſempiternus 700. notanda 701. qui non eſt compoſitus, ſed ſimplex, nec extenſus 702. aſt incorruptibilis 703, incorporeus 704. nec ſenſibilis, nec ima-

ginabilis 705. neque visibilis 706. qui nec pingi, nec sculpi potest, potest tamen per figuras hieroglyphicas repræsentari 707. ei competit vis activa 708. & continua actuositas 709. notanda 710. vivit 711. vita independente 712. ei competit intellectus 713. quo sibi repræsentat totum mundum, ejusque intellectus purus est, illimitatus, infinitus, simultaneus, incomprehensibilis, perfectissimus, maximus, immensus, qui caret sensu ac imaginatione, estque actus non facultas 714. est omniscius 715. exceptionibus occurritur 716. ei competit liberrima voluntas 717. estque spiritus 718. & omnipræsens illocaliter, cui motus localis repugnat 719. cuique creatio tribuenda 720. notanda 721. qualia ei tribuenda prædicata 722. qualis vis 723. motiva voluntatis ejus 724. voluntas ejus est æterna, simultanea, non facultas, sed actus & infinita 725. est omnipotens 726. qui patravit miracula 727. est spiritus perfectissimus 728. cujus essentia infinita 729. unde spiritus infinitus 730. unus 731. sapientissimus 732. qualis substantia, modi ei per eminentiam tribuendi, quomodo ei competat actio, & quomodo illi insint, quæ de ipso prædicantur 733. conservatio ei competit 734. & dominium 736. actionum ejus rectitudo 737. est summe sanctus 738. ac justus 739. ejus summa voluptas 740. atque beatitudo 741. quomodo ei tota Deitas inhabitet 742. ab essentia Divina verus dicitur Deus 743. quod confirmatur 744. ab operibus Divinis vocatur verus Deus 745. in specie ab opere redemtionis 746. ab honore Divino 747. a gloria Divina 748. ab adoratione 749. & a baptismate verus vocatur Deus 750. appellatur Jehova & Θεὸς 751. habet cum Patre eandem essentiam 752. numericam 753. quo sensu sit αὐτόθεος 754. cum Patre ἀτιωδῶς idem est, differt autem ab eo ὑποστατικῶς 755. cur dicatur Christus 756. est colendus cultu Divino 871. quo sensu sit ordine secundus. 819. a Patre & Sp. S. differt. 807. Num. II. ejus principium est Pater 672, sed non ejus causa 673. solius Spiritus Sancti principium est. 680 Num. II.

Finis quid 27. Deo repugnat 48. ejus notio 49. ejus sensus 50. definitur 51. ulterius probatur 52. error refellitur 53. ejus expers est Dei Filius 699. Num. IV. & Spiritus Sanctus. 781. Num. VI.

Finis electionis & creationis hujus universi 377. usus hujus propositionis 378. permissionis mali 380. notanda 381. a Deo intentus est optimus 384. exceptionibus occurritur 385. quomodo is consequatur 387. Deus quomodo eum consequatur 387. libertas Dei in eo constituendo 386. malum physicum & morale quomodo ad eum se habeat 383. particularis quomodo a Deo constituatur 393. vindicatur 394. Dei ultimus qualis 395. notanda 396. quid 395. eorum subordinatio 397. usus hujus propositionis. 398.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823346366/phys_0438
DFG

398. directio malorum ad finem ultimum 403. exceptionibus occurritur. 404
Fortuna providentiæ Divinæ subest 482. quomodo se habeat a decreto 924. quomodo eam Deus decernat. 925
Frustra Deus nihil facit 409. hinc ab hominibus differt. 410
Fuga quo sensu Deo tribuenda 627. notanda. 628
Futuritio rerum a Dei decreto dependet 339. notanda. 340

G.

Gaudium quo sensu Deo tribuendum 584. notanda. 585
Generatio quid. 654
- - - - *Divina* quid 654. Filii Dei est essentialis & necessaria 663. ex Patris natura fluens & a voluntate independens 664. error refellitur 665. est naturalis 666. Patri soli competens 667. & æterna 668. quod confirmatur 669. perfectior humana 670. Patri placet. 671
Generavit Pater Filium proprie. 661
Gloria Deus eam creatione mundi manifestat 339. circa eam Dei judicium 389. ab exceptionibus liberatur 390. quo sensu Deo tribuenda 609. adhuc illustratur 619. ea probat Dei Filium verum esse Deum. 748
Græcæ ecclesiæ error. 897
Gratiosus cur dicendus Deus. 641
Gratitudo cur Deo repugnet. 613
Gubernatio quid 469. rerum omnium Deo tribuenda 469. mundi quomodo a Deo fiat 740. usus propositionis 471. Spiritui Sancto taibuenda. 775
Gubernator mundi unicus quis 151. ejus definitio 152. confirmatur 153. error refellitur. 154

H.

Hieroglyphicus significatus quid. 105
Historica cognitio omnis Deo competit 208. quod ab exceptionibus liberatur. 209
Historicus summus est Deus 210. quod probatur. 211
Homo quam habeat facultatem patrandi miracula 314. notanda 315. in eorum felicitatem Dei voluntas tendit 420. objectionibus occurritur 421. eorum infelicitas unde 422. notanda 423. an Deus eos illabiles facere potuerit 428. error refellitur 429. aliorum beneficia Deo accepta ferenda sunt 436. notanda 437. servi Dei sunt 490. Deo obligati 491. cur sit labilis 942. & lapsus est 958. adeoque puniendus 959. & quidem omnis homo 960. si non punitur, ejus ratio 961. quis punitur, quis non. 962
Honor Divinus probat Dei Filium verum esse Deum. 747

I.

Idea quid. 863
Ideæ rabitrariæ in Deo non sunt. 205
Ideæ rerum Deo sunt essentiales 203. notanda. 204
Identitas Dei unde cognoscitur 39. ejus notio 40. quid 41. ulterius confirmatur 42. error refellitur 43. Filii Dei 699. Spiritusque Sancti 779. Num. V. trium Divinarum personarum 812. attributorum essentialium Trinitatis 852.

Jesus

Jesus cur dicatur Dei Filius. 696
Jehova est nomen Dei proprium & essentiale 684. ab exceptionibus liberatur 685. est nomen Patris 686. omnium trium, qui dicuntur verus Deus 687. quo sensu in sacris occurrat 692. est nomen Filii Dei 751. Spiritusque Sancti. 797
Illabilem an Deus hominem facere potuerit 428. error refellitur. 429
Illimitata est ratio Divina 218. notanda 219. est potentia Divina. 282
Illimitatus est intellectus Divinus 183. notanda 184. est Spiritus Sanctus. 781
Illocalitas, seu illocalis præsentia quid 159. Dei 159. error refellitur 160. Filii Dei 719. Sp. S. 785
Illuminando Sp. S. sese verum Deum esse probat. 793
Illuminatio quid. 793
Imaginabilis quid 93. Deus non est 94. error refellitur 95. Dei Filius non est 705. nec Spiritus Sanctus. 782
Imaginatio non est in Deo 187. probatur & ab exceptionibus liberatur 188. per eminentiam Deo tribuenda 553. notanda. 554
Imaginationis vis quid. 93
Imago quid. 102
Immensitas bonitatis Divinæ 416. notanda 417. intellectus Divini 178. notanda 179. error refellitur 180 potentiæ Divinæ 283. notanda 284. rationis Divinæ 224. & sapientiæ 413. notanda. 414
Immutabilitas quid 35. Dei unde agnoscatur 34. ejus notio 36. definitio 37. confirmatio 38. ulterius adstruitur 42. error refellitur 43. voluntatis Divinæ 302. decretorumque 330. notanda 331. sapientiæ, bonitatis ac potentiæ Divinæ 517. Filii Dei 699. Num. II. atque Spiritus Sancti 779. Num. IV. electionis. 974
Imperscrutabilia sunt Dei decreta 325. notanda. 326
Imperscrutabilitas sapientiæ Divinæ 411. notanda 412. electionis. 974 Num. II.
Impleri quid. 156
Impossibilia cur Deus non velit 253. ulterius explicatur. 254
Incipere Deus nequit. 52
Incommunicabilitas bonitatis Divinæ 548. error refellitur 549. potentiæ creatricis 447. ab exceptionibus liberatur 448. potentiæ conservatricis. 462
Incomprehensibilitas magnitudinis bonitatis Divinæ 442. decretorum 336. intellectus 172. error refellitur 173. rationis Divinæ 220. cur 221. voluntatis 291. essentiæ Dei 899. modique eam habendi. 900
Incorporeitas Dei 91. error refellitur 92. Filii Dei 704. & Spiritus Sancti. 782. Num. VII.
Incorruptibilitas quid 83. Dei unde cognoscatur 82. demonstratur 83. confirmatur 84. ejus notio 85. definitio 86. error refellitur 87. Filii Dei 703. & Spiritus Sancti. 782. Num. VI.
Independentia Spiritus Sancti. 781 Num. V.
Indiscernibilium principium. 153
Individuum quid. 830
Individibilitas Spiritus Sancti. 782
Inexistentiæ differentia 519. ulterius explicatur. 520
Infallibilitas præscientiæ Divinæ 358. probatur. 359

Infelicitas hominum unde 422. notanda. 423
Infinitudo essentiæ Divinæ 511. intellectus Dei 183. notanda 184. rationis 218. notanda 219. voluntatisque 290. essentiæ Filii 729. & Sp. S. 778
Infinitus Spiritus est Deus 514. quod ab exceptionibus liberatur. 515
Ingenitus quid 682. quomodo Pater 682. notanda. 683
Initium Deo repugnat 44. ejus notio 45. definitio 47. error refellitur 53. repugnat Dei Filio 699 Num. III. & Spiritui Sancto. 781 Num. VI.
In loco esse quid. 156
Insensibilitas Dei 93. quid 94. error refellitur 95. Filii Dei 705. Spiritusque Sancti. 782 Num. IX.
Intellectus quid 128. Deo competit 128. quod confirmatur 129. Dei quid 130. error refellitur 131. est incomprehensibilis 172. ab errore liberatur 173. & immensus 178. notanda 179. error refellitur 180. est purus 181. illimitatus & infinitus 183. summeque perfectus 198. notanda 199. maximus 200. notanda 201. actus est & non facultas 202. quo Deus sibi totum mundum repræsentat 169. quomodo se res ante & post factum habeant quoad eum 355. quomodo sibi mundum repræsentet 456. & talis est Filio Dei 713. 714. nec non Spiritui Sancto 761. unus Divinus est tribus personis 850. errores refutantur. 851
Intelligentia simplicis scientiæ in Deo est 233. notanda 234. quousque ea extendenda 235. quid Deus per eam cognoscat. 247
Intelligit Deus, quicquid vult. 261
Interire quid. 49
Interitus Deo repugnat 48. quo sensu 50. definitur 51. ulterius probatur 52. error refellitur 53. repugnat Dei Filio 699 Num. IV. & Spiritui Sancto. 781 Num. VII.
Invidia cur Deo prorsus repugnet. 601
Invisibilitas Dei 96. quid 97. cautela 98. error refellitur 99. Filii Dei 706. Spiritusque Sancti. 782
Ira quo sensu Deo tribuenda 631. exceptionibus occurritur. 632
Irrisio quo sensu Deo tribuitur 602. ab exceptionibus liberatur. 603
Judicium Dei de modo manifestandi gloriam suam 389. ad exceptiones respondetur 390. ejus diversitas a nostro de usu rerum 485. notanda. 486
Jus quid. 488
Jussus quid. 498
Justificari quid. 788
Justificatio quid 788. tribuitur Spitui Sancto. 788
Justitia summa Deo asserta quid 533. exceptionibus occurritur 534. actionum Divinarum 535. ei est directio malorum ad bonum finem 538. & remissio mali moralis 539. ab exceptionibus liberatur. 540
Justitia vindicativa Deo competit 541. notanda 542. ea Deum decet 543. error refellitur 544. ejus convenientia cum sanctitate. 545
Justum quis se præbeat. 788
Justus est Deus in creatione, conservatione, gubernatione 536. ac in

in naturæ ordine 537. Filius Dei. 739

L.

Labilis cur sit homo. 942
Lætitia Dei de seipso 586. rerum ab ipso diversarum quo sensu Deo tribuenda. 587
Libere quis decernit. 327
Libera sunt Dei decreta 327. notanda. 328. est voluntas Divina 265. notanda. 266
Libertas Dei in constituendo fine 386. electionis. 974
Libertatem decretum 354. & præscientia Dei non tollit. 356
Libertatis abusus ejus præscibilitas 424 permissio 425. an eum per miraculum deceat impedire 426. quod ab exceptionibus liberatur 427. num ejus permissio bonitati repugnet 430. error refellitur 431. concursus Dei ad eum 467. ejus potentia, quomodo spectetur in decreto Dei. 939
Limitationes originariæ quid. 941
Locus in eo esse quid sit. 156
Locus classicus quid. 147
Longanimitas quo sensu Deo tribuenda 642. notanda. 643
Lubenter velle quid. 301
Lubentia voluntatis Divinæ. 301
Lux intellectus quid. 782

M.

Magnitudo intellectus Divini 200. notanda 201. potentiæ Divinæ 280 notanda 281. præscientiæ Divinæ 251. ac rationis 216. notanda. 217
Majus quid. 815
Malum ejus permissionis ratio 373. notanda 374. ejus permissio Deum non dedecet 375. notanda 376. eorum directio ad finem ultimum 403. ab errore liberatur 404. Deus ea dirigit ad bonum finem 405. notanda 406. hæc directio bonitati Dei tribuenda 433. notanda 434. modus, quo bona a malis in hoc universo dependent, penitus investigatur 407. atque vindicatur 408. ejus permissio & directio est providentiæ Divinæ 480. ejus directio ad bonum finem est justitiæ Dei 538. omne malum Deus ab æterno non vult 565. quid quoad Deum 623. exceptionibus occurritur 624. cur Deo displiceat 626. eorum sublatio particularis. 932
Malum Metaphisicum, ob id Deus rem nullam decernit 366. notanda 367. num id a decreto dependeat 926. qualem perfectionem ab ente excludat. 927
Malum morale Deo displicet 368. cur Deus id permittat 380. quomodo se habeat ad finem mundi 383. ejus præscientia & decretum permissivum 371. notanda 372. ejus permissio est justitiæ Divinæ 539. id non repugnat mundo optimo 928. nec majori perfectioni mundi 929. & non [illegible] necessarium est 931. eo sublato mundus non esset perfectior 933. [illegible] cum physico nexus 943 ex eo, quod hoc detur in mundo, inferri nequit, quod Deus sit causa peccati 949. ab eo cur peti nequeat argumentum adversus bonitatem, sapientiamque autoris mundi. 950

Malum physicum Deus non decrevit, quatenus est tale 369. usus hujus propositionis 370. quomodo se habeat ad finem mundi 383. id non repugnat mundo optimo 928. nec majori perfectioni mundi 929. non nisi hypothetice necessarium est 931. eo sublato mundus non esset perfectior 933. cum morali nexus 943 ejus hypothetica necessitas non tollit ipsius contingentiam 944. nec ipsum Dei decretum 944. Num. II. ejus inexistentia in idea mundi 945. ab iis cur peti nequeat argumentum adversus bonitatem & sapientiam autoris mundi. 950
Manichæi refutati. 893
Maria Deitatis persona esse nequit. 846
Media qualia Deus eligat 391. 399. quod vindicatur 392. notanda. 400
Membra corporis humani quo sensu Deo tribuantur 108. quid per ea intelligendum 109. error refellitur. 110
Memoriâ quo sensu Deo tribuenda 555. & quidem absolute maxima. 556
Metaphysicum malum vide malum.
Metus cur Deo repugnet. 619
Minus quid. 815
Miracula Deus facere potest 286. eorum patrandi collatio qualis 314. notanda 315. Filii Dei 727. & Spiritus Sancti. 769
Missio Spiritus Sancti. 804
Mitti quis dicatur. 804
Modi Deo per eminentiam tribuendi 513. ut & Dei Filio 733. Num. II. nec non Sp. S. 779
Modus providendi 483. error refellitur 484. habendi essentiam Divinam. 900
Morale malum id Deus sapientissime decrevit 937. cur 938. reliqua vide sub malo morali.
Motivum quid 251. cur Deus non velit sine iis 251. voluntatis Divinæ 252. unde desumantur 255. quod vindicatur 256. noluntatis Dei 562. notanda. 563
Motus quid 161. localis Deo repugnat 161. error refellitur 162. eos Deus cohibere, aliosque producere potest 288. localis Dei Filio repugnat. 719
Multiplex quomodo Dei decretum spectatur 347. notanda. 348. decretum Trinitatis 956. applicatur. 957
Mundus eius vocabulo proprio Hebræi carent 3. quid per eum intelligatur 5. 6. existentiæ suæ rationem non in se 8. sed in Deo habet 9. 10. cui hæc propositio æquipolleat 11. a Deo conservatur 15. & ita in duratione sua a Deo dependet 16. 17. 18. eum totum Deus in intellectu suo sibi repræsentat 169. qui existit, Deo maxime placet 299. notanda. 300. quid sit 300. ejus electionis & creationis finis 377. usus hujus propositionis 378. ejus creatione Deus manifestavit gloriam suam 379. quomodo se habeat ad finem & cur Deus eum elegerit 382. ad ejus finem quomodo se habeant malum morale & physicum 383. Deus eum creavit ex nihilo 443. error eorum, qui eum necessarium esse sibi imaginantur, refellitur 446. quomodo intellectum Divinum repræsentet 456. quomodo potentiam, liberrimamque Dei vo-

luntatem 457. usus harum propositionum 458. is non cœpit esse cum decreto creationis. 947
Mundus optimus Deus eum elegit & produxit 249. notanda. 250. est signum naturale veri Dei 295. & Spiritus perfectissimi 304. notanda 305. ejus productio signum naturale omnipotentiæ est, & minimus perfecti tale signum non est 306. notanda 307. qui negant eundem, eorum error refellitur. 388
Mysterium quid. 906

N.

Nasus quo sensu Deo tribuendus. 646
Naturæ ordo a Deo turbari potest. 289
Naturæ leges a Deo in prima rerum creatione præscriptæ. 461
Naturale quid 666. ea fiunt secundum providentiam. 481
Necessitas absoluta quid. 823
Nescire quid. 793
Noëtiani refutantur. 888
ad Nolendum Deus semetipsum determinat. 268
Noluntas Deo asserta. 559. motivum ejus 562. notanda. 563
Noluntas reprobans quid. 588
Non vult Deus omnia simul. 564. & omne malum ab æterno. 565
Nomen Dei essentiale & proprium. 684
Nota quid 860. personarum quid 860. quales eæ 861. & quænam. 862
Notanda circa caput primum. 165
Notio quid. 863
Notio distincta quid. 863
Notio vera quid. 864
Notio personarum Divinarum est distincta 863. & vera 864. quænam 865. & quot sint. 866

O.

Obedire alteri quid. 314
Obligat Deus homines ad actiones suas juxta voluntatem ipsius determinandas. 494. notanda. 495
Obligatio hominis qualis 493. Divina quo tendat. 496
Obligatio passiva quid. 493
Oculus quo sensu Deo tribuendus. 195
Odium quo sensu Deo tribuendum 596. notanda. 597
Ὁμοίωσις quid 836. num tribuenda personis. 836
Ὁμοουσία quid 835. trium personarum. 835
Olfactus quo sensu Deo tribuendus 644. notanda. 645
Omnipotentia Dei 278. notanda 279. signum naturale est productionis mundi optimi 306. notanda 307. Filii Dei 726. & Spiritus Sancti. 767
Omnipræsentia quid 157. Dei 157. notanda 158. Filii Dei 719 nec non Spiritus Sancti. 784
Omniscientia quid 229. Dei 229. notanda 230. Filii Dei 715. Spiritusque Sancti. 760
Opera Divina Filii Dei 745. & Spiritus Sancti. 787
Optimum Deus decernit. 338. quid dicatur Deo. 621
Optimus est finis Dei. 384
Ordo quid 821. trium personarum 821. cur dicatur. 822
Ordo naturæ quid 289. a Deo turbari potest 289. est providentiæ Divinæ. 480

Ordo neceſſarius quid & perſonarum cur dicatur. 823
Ordo originis quid. 822
Organa ſenſoria quid 143. Deus non habet 143. quo ſenſu ea de Deo neganda 144. quo ei tribuenda 145. error refellitur 146. quo ſenſu de Sp. S. neganda. 782
Oriri quid. 45
Ortus Deo repugnat 44. Filio Dei 699. Num. III. & Sp. S. 781. Num. VII. ejus notio 46. definitio 47. error refellitur. 53

P.

Paracletus cur vocetur Spiritus Sanctus. 796
in Particulari quid Deus velit 312. uſus hujus propoſitionis 313. quomodo Deus quid decernat. 343
Pater quid 653. verus eſt Deus 652. cur ita dicatur 653. quomodo αὐτόθεος 655. eſſentiam ſuam largitus eſt Filio 659. eamque communicavit Filio 660. quem proprie genuit 661. ejus eſt principium 672. ſed non cauſa 673. & Filius ſunt principium Spiritus Sancti 679 eſt principium reliquorum duorum 680. non vero cauſa 681. quomodo ingenitus 682. notanda 683. vocatur Jehova 686. & Θεὸς 690. a Filio & Sp. S. differt 807. iis non eſt major 815. ab exceptionibus liberatur 816. quo ſenſu ſit primus 818. is Filio, Spirituique Sancto ſubſtantiam largitus eſt 826. quæ eſt eadem numero 827. & primaria 828. ſed modus habendi eandem realiter differt 829. eſtque colendus cultu Divino. 870
Peratæ refutati. 894
Perfectio quomodo ad eas Dei cognoſcendas perveniendum. 551
Perfectiſſimus eſt Dei intellectus 198. notanda 199. voluntas 296. Filius Dei 728. & Spiritus Sanctus. 771
Perfectiſſimum in ſuo genere Deo maxime placet 297. notanda. 298
Permittere definitur. 371
Permiſſio mali ejus ratio 373. notanda 374. ea Deum non dedecet 375. mali moralis eſt juſtitiæ Divinæ 539. exceptionibus occurritur. 540
Permiſſivum decretum mali moralis 371. notanda. 372
Perſona quid 832. earum differentia probatur. 650. notanda 651. quo ſenſu ſint idem 812. & unus Deus 813. id quo æquales ſint 814. ea eſt, quæ poſſidet ſubſtantiam individui 830. tres ſunt 832. notanda 833. non ſunt nudæ relationes ad creaturas 842. quomodo concipiendæ 843. non diſtinguuntur proprietatibus eſſentialibus, ſed relativis 844. per quas in eſſe ſuo conſtituuntur 845. & quidem numero tres 849. earum attributa eſſentialia eadem ſunt 852. quinam actus 853. quot 854. actus ſunt per eminentiam 855. & quidem neceſſarii, eſſentiales & æterni 856. earum convenientia 857. & differentia 858. ſunt actus ad intra 859. earum notæ 860. quales 861. & quænam 862. earum notio eſt diſtincta 863. vera 864. quænam 865. & quot. 866
Phyſica mala vide malum Phyſicum.

Photiniani refutati. 886
Pingi Deus nequit 100. quod confirmatur 101. & demonstratur 102. Filius Dei 707. Spiritusque Sanctus nequeunt 782. Num. X. ejus definitio 102. notio 103. error refellitur. 104
Placet Deo quicquid vult 270. definitur 297. ei maxime, quod est perfectissimum in se 297. notanda 298. & quidem mundus, qui existit 299. notanda 300. quo sensu Deo quid placeat 579. objectum quod 580. notanda. 581
Pluralitas cur Deo tribuatur. 809
Pneumatomachi refutantur. 885
Pœnitentia quid 276. Deus duci nequit, quod facit & vult 276. ab exceptionibus liberatur 277. quo sensu Deo tribuenda 606. ulterius explicatur 607. qualis illa sit, 608
Pœnitet Deum nunquam Suorum decretorum 332. notanda 333. cur. 335
Possibile quomodo cognoscatur a Deo 232. id est, quicquid Deus vult 253. notanda. 254
Possibilitas sola non sufficit, ut Deus quid velit 259. notanda. 260
Potentia Dei est absolute maxima 280. illimitata 282. immensa 283. immutabile 517. ea captum nostrum transcendit 285. omni naturæ superior 287. cujus signum naturale productio mundi optimi. 306
Potentia conservatrix est incommunicabilis. 462
Potentia creatrix soli Deo propria est 445. & incommunicabilis 447. quod ab exceptionibus liberatur. 448
Praxeas refutatur. 883
Præceptum quid. 498
Præcepta Divina circa actiones liberas 497. corroborantur 498. eorum fons 501. ab exceptionibus liberatur 503. ea non sunt nuda consilia. 502
Prædestinatio Deo asserta quid. 980
Prædicata Deo 124. Dei Filio 722. & Sp. S. qualia tribuenda 782. Num. XI. cur in ea inquirendum 125. quomodo ea Deo insint. 518
Præscibilitas quomodo a Deo cognoscatur 243. probatur 244. abusus libertatis. 424
Præscientia Deo 237. Spirituique Sancto asserta 764. abusus libertatis 424. error refellitur 238. qualis 350. notanda 351. ea nec contingentiam, nec libertatem tollit 356. error refellitur 357. est infallibilis 358. quod ulterius probatur 359. ad eam relatio actus contingentium 364. adhuc clarior redditur 365. mali moralis 371. notanda 372. salvandi ac damnandi, eorum libertatem non tollit 964. ea est infallibilis 965. ad eam relatio eorundem numeri. 968
Præsentia Dei demonstratur 155. se producit ad omnes omnino res 156. ejus magnitudo 521. ea est successionis nescia, seu simultanea. 522
Præsentia illocalis quid 156. Dei demonstratur 159. error refellitur. 160
Primitas quid 31. ejus notio 30. Deo 26. Dei Filio 697. & Spiritui Sancto competit 781. Num. IX. cautela 32. error refellitur. 33

Primus omnium entium Deus est 27. etiam in oppositione ad idola. 28. 29
Principium quid 27. 672. Filii 672. & reliquorum duorum Pater est. 680
Principium indiscernibilium ejus usus. 153
Processio Spiritus Sancti quid. 674. 675
Prohibitio quid 499. Divina quænam 499. notanda 500. earum fons 501. eæ non sunt nuda consilia 502 ab exceptionibus liberatur. 503
Propositum quid; & quo sensu Deo 319. Spirituique Sancto tribuendum 765. Num. III notanda. 320
Πρόσωπον quid & quot. 841
Proprietas essentialis quid. 844
Providentia quid 472. Deo 472. Spirituique Sancto tr buenda 777. error refellitur 473. est æterna atque immutabilis 474. ab errore liberatur 475. ejus objectum 476 error refutatur 477. ei est naturæ ordo, permissio atque directio mali 480, secundum eam naturalia fiunt 481, eidem fata sinistra, nec non fortuna subsunt. 482
Providendi modus 483. errores refelluntur. 484
Pudor cur Deo repugnat 611. exceptionibus occurritur. 612
Puniendus homo cur 959. & quidem omnis 960. si non punitur, ejus ratio 961. quis? quis non 962. quomodo se habeat ante & post decretum quoad intellectum Divinum 963. præscientia ejus libertatem non tollit 964. præscientia hæc est infallibilis. 965
Pura est ratio Divina 225. notanda. 226
Puritas intellectus Divini 181. notanda. 182

R.

Ratio Deo asserta 163. & Sp. S. 762. cautela 164 qualis Deo tribuenda 214. ulterius probatur 215. ejus magnitudo 216. est illimitata, infinitia 218. incomprehensibilis 220. actus est, non facultas 222. immensa 224 & pura 225. cur homini incomprehensibilis, & quid inde sequatur 221
Ratio proxima, remota & ultima quid 310. quando voluntas Dei 310. notanda. 311
Recordabilitas Deo asserta 239 & vindicata 240. quomodo Deus eam cognoscat 243. probatur. 244
Rectitudo actionum Dei 523. Filii Dei 737. notanda 524. quomodo ea æstimanda 525. difficultas nostri judicii de ea 526. usus hujus propositionis. 527
Regeneratio quid, & quomodo Spiritus Sanctus per eam verum Deum esse probet. 792
Reprobatio quid & quos Deus reprobavit. 979
Res quomodo se habeant ante & post decretum Dei. 265
Revelare quid. 793
Roellius notatus. 662

S.

Sabelliani refutati. 888
Salvandus quomodo se habeat ante & post decretum quoad intellectum Divinum 963. Dei præscientia ejus libertatem non tollit

lit 964. præscientia hæc est infallibilis 965. eorum numerus veritatem determinatam habet 966. differentia hujus numeri ante & post decretum spectati 967. hujus numeri relatio ad præscientiam 968. eorum libertatem Dei decretum non tollit 969. quod est incomprehensibile 970. & imperscrutabile. 971
Samosatenus refutatus. 882
Sanctificatio quid 529. Spiritui Sancto tribuenda 790. & per eam se se probat verum Deum. 791
Sanctitas quid 529. Dei 528. Filii Dei 738. summa est 530. ulterius adstruitur & ab exceptionibus liberatur 531. quibus in rebus se exerat 532. ejus convenientia cum justitia. 545
Sanctum quis se præbet. 529
Sapientia Deo asserta 401. notanda 402. Filio Dei 732. & Sp. S. 772. est imperscrutabilis 411. notanda 412. immensa 413. notanda 414. & immutabilis 517. in decreto condendi mundi 934. summa est. 935
Sapientissime Deus decrevit mali moralis permissionem 937. & cur. 938
Scire quid. 793
Scientia simplicis intelligentiæ Deo asserta 233. notanda 234. per Deus noscit, quæ sub data occasione fieri debent 247. ejus hujus præpositionis. 248
Scientia visionis Deo asserta 241. notanda. 242
Sculpi Deus 100. Dei Filius 707. Spiritusque Sanctus nequit 782. Num. X. quod confirmatur 101. ulterius demonstratur 102. notio 103. error refellitur. 104
Sempiternitas Dei unde cognoscatur 68. explicatur 69. ejus notio 71. quid 72. cur eam adstruximus 73. error refellitur 74. Filii Dei 700. Spiritui Sancto tribuenda. 782
Semi-ariani refutantur. 884
Sensus eo Deus caret 187. exceptionibus occurritur 188. quo sensu 189. & quomodo per eminentiam Deo tribuendus 190. notanda. 191
Servus quid 490. homo Dei est. 490
Signum naturale quid. 295
Similitudo quid. 836
Simplicis intelligentiæ scientia quousque ea extendatur 235. & quomodo res in eadem spectentur. 236
Simplicitas Dei 78. Filii Dei 702. nec non Spiritus Sancti 782. Num. III. error refellitur. 79
Sociniani refutantur. 887
Somnus Deo repugnat 174. notanda. 175
Spes quo sensu Deo tribuitur 616. vindicatur. 617
Spiritualitas Dei 135. quid 136. Filii Dei 718. cautela 137. error refellitur. 138
Spiritualis vita quid & quis eam vivat. 659
Spiratio Spiritus Sancti quid 675. Deo est essentialis, & naturalis 676. ex Patris, Filiique natura fluens & a voluntate independes, cujus error refellitur 677. est æterna. 678
Spiritus quid 135. quo sensu vocabulum de Deo sumendum. 757
Spiritus independens est Deus 139. cui hæc propositio æquipolleat. 140
Spiritus infinitus est Deus 514. quod ab

ab exceptionibus liberatur. 515
Spiritus neceſſarius eſt Deus 141. error refellitur. 142
Spiritus perfectiſſimus eſt Deus 303. ejus ſignum 304. notanda. 305
Spiritus Sanctus a Patre, Filioque procedit 674. cur Spiritus Patris ac Filii dicatur 758. cur Spiritus Sanctus 759. is eſt omniſcius 760. ei competit intellectus Divinus 761. & ratio 762 Symbolica cognitio eidem perſpecta eſt 763. ei competit præſcientia 764. conſilium, decretum, propoſitum atque liberrima voluntas 765 is facere poteſt, quicquid vult 766. eſt omnipotens 767. ei competit creatio 768. & miraculorum pertratio 769. eſtque Spiritus 770. & quidem perfectiſſimus 771. ſapientiſſimus 772. qui ſumme bonus 773. concurrit ad actiones hominum 774. gubernat 775. & conſervat omnia 776. eique competit providentia 777. eſt ens infinitum, & quidem ſpiritus infinitus 778. ſubſtantia per eminentiam, cui modi per eminentiam tribuendi, quomodo eidem inſint, quæ de ipſo prædicantur, eſt immutabilis, ſemper idem, nec in tempore 779. errores refutantur 780. eſt illimitatus, quænam ei inſint, eſt ens neceſſarium, a ſe, independens, qui nec initium, nec finem habet, ortus atque interitus expers, quique annihilari nequit, ſed primus eſt & ultimus, æternus 781. & ſempiternus, cui exiſtentia eſſentialis, qui non eſt compoſitus, ſed ſimplex, nec extenſus, quique nullum defectum admittit, ſed eſt incorruptibilis, incorporeus, indiviſibilis, inſenſibilis, nec imaginabilis, nec viſibilis, qui nec pingi, nec ſculpi poteſt, ſed per figuras hieroglyghicas repræſentabilis, qualia ei tribuenda prædicata, nec habet organa ſenſoria 782. eſt unus 783. omnipræſens 784. ſed illocaliter, cuique localis motus repugnat 785. ab eſſentia Divina verus dictus Deus 786. ab operibus 787. ei tribuitur juſtificatio 788. notanda 789. ſanctificatio 790. juſtificando ac ſanctificando ſeſe verum Deum eſſe probat 791. quemadmodum & per regenerationem 792. nec non per illuminationem 793. atque baptismum 794. cur vocetur Spiritus veritatis 795. & paracletus 796. quomodo is ſit noſter exhortator, conſolator, advocatus atque patronus 796. nomina Divina ei tribuenda 797. eandem habet cum Patre & Filio eſſentiam 798. numericam 799. cur in eam inquirendum 800. hanc a Patre ac Filio accepit communicatione 801. is eſt αὐτόθεος 801. quo ſenſu ſit nec genitus, nec ingenitus 803. & mitti dicatur 804. error refellitur 805. quo ſenſu non loquatur a ſemetipſo 806. is a Patre & Filio differt 807 Num. III. quo ſenſu ſit tertius 820 quid 869. eſt colendus cultu Divino. 872
Spontaneitas voluntatis Divinæ. 269
Status in Deo non alternatur 176 notanda. 177
Subordinatio quid 824. in Divinitate non

non datur. 824
Subſtantia qualis Deus 512. Dei Filius 733. & Sp. S. 779. Trinitatis perſonæ. 825
Subſtantia primaria quid. 828
Subſtantia ſingularis quid. 830
Sufficientiſſimus ſibi ipſi quid 308. eſt Deus 308. notanda. 309
Suppoſitum quid 831. qualia ſint Pater, Filius & Spiritus Sanctus 831. an ex parte. 837
Supra rationem eſſe quid. 901
Symbolica cognitio quid 227. hæc Deo perſpecta eſt 227. & Spiritui Sancto 763. quod probatur. 228

T.

Tædium quid 577. quo ſenſu Deo tribuendum 577. ulterius explicatur. 578
Temporaria non dantur decreta Dei 323. error refellitur 324. non eſt volitio Dei. 258
Tempore omni conceptibili exiſtit Deus. 70
Tempus Deo 56. Dei Filio 699. Num. V. Spirituique Sancto repugnat 779. Num. VI. quod demonſtratur 57. & confirmatur 58. ejus notio 59. error refellitur. 60
Tempus infinitum quid 74. ab æternitate Dei differt. 74
Tenebræ intellectus quid. 182
Termini eccleſiaſtici de iis monitum. 656
Terror Deo repugnat. 620
Tetratheitæ refutati. 896
Theodatus Byzantinus refutatur. 881
Timor Deo repugnat. 620
Trinitas quid 874. confirmatur 847. exceptionibus occurritur 848. ab Antitrinitariismo abhorret 878 & a tritheismo 890. ei toti eadem eſt eſſentia numerica 891. hujus doctrinæ ſumma capita 898. eſt ſupra rationem 901. nec in mundo rationali continetur 902. nec contra rationem eſt 903. nec impoſſibilis 904. ſed poſſibilis 905. eſt myſterium 906. indemonſtrabile 907. poſſibile 908. nec rationi contradicens 909. aſt ſcitu neceſſarium 910. adeoque revelandum 911. nec negandum 912. nec extra revelationem cognoſcibilis 913. errant, qui eam ex ratione demonſtrare volunt 914. nec ex Platonicorum Schola oriri potuit 915. eſt diſtincta ac vera 916. nec non credenda. 917
Trinitatis decretum quomodo ſit unicum 955. quomodo multiplex 956. applicatur. 957
Tres dicuntur Deus 648. exceptionibus occurritur 649. hi differunt inter ſe 650 notanda. 651
Tritheismus quid 889 refutatur. 892
Tritheiſta quid. 889
Triſtitia quo ſenſu Deo tribuenda 588. cur ea in Deo non arceat gaudium. 589

U.

Ultimatio Deo competit 26. ejus notio 30. quid 31. cautela 32. error refellitur. 33
Ultimus entium eſt Deus 27. Dei Filius 697. & Sp. S. 781. etiam in oppoſitione ad idola. 28. 29
Unicum Dei decretum 345. notanda.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823346366/phys_0450
DFG

da. 346
Unicus creator, conservator & gubernator est Deus 151. quid 152. confirmatur 153. error refellitur. 154
Unigenitus quis & cur Dei Filius dicatur. 695
Unitas Dei 147. Dei Filii 731. & Sp. S. 783. confirmatur 148. quid 149. error refellitur 150. Dei quanti habenda 647. trium Divinarum personarum 813. earum intellectus. 850
Οὐσία quid 834. trium personarum 834 Dei 657. notanda. 658
Οὐσιωδῶς *essentialiter* quando sumenda nomina Jehova & Θεὸς. 692
Usus rerum naturalium ad bonitatem Dei referendus. 435

V.

Velle cur Deus possit, cujus ratio homini ignota 294. Deus nihil potest sine motivis 251 quod ipsum decet 272. notanda 273. omnia simul 262. notanda 263. quod ipsi placet 270. notanda. 271
Veritas determinata quid 361. quænam eam habeant 360. quomodo ea pateat 361. differentia ejus ante & post decretum 362. quomodo hæc pateat. 363
Veritas logica quid. 795
Veritas transcendentalis, seu *metaphysica* quid. 795
Vetatio quid. 499
Vis Divina qualis 126. cur in eam inquirendum. 127
Vis activa Dei 113 Filii Dei 708. qualis 723. error refellitur. 114
Visionis scientia Dei 241. notanda. 242
Visus quo sensu Deo tribuendus 192. quid significat 193. confirmatur. 194
Vita Deo 115. Deique Filio tribuitur 711. ejus confirmatio 116. quid 117. cautela 118. error refellitur 119 est independens 120. 712. ulterius confirmatur 121. definitur 122. error refellitur. 123
Vita creaturarum a Deo dependet. 557
Vita Spiritualis quid & quis eam vivit. 659
ad Volendum Deus semetipsum determinat. 268
Volitio temporaria Dei impossibilis est. 258
Voluntas approbans quid. 583
Voluntas liberrima quid 131. Deo 132. Dei Filio 717. Spirituique Sancto competit 765. Num. IV. quid 133. ejus motivum 252. 724. unde sumitur 255. notanda 256. est æterna 257. 725. non fertur in incognitum 261. actus est non facultas 264 725. Num III libera ab omni coactione externa 265. independens 267. spontanea 269. infinita 290 725. Num. IV. incomprehensibilis 291. imperscrutabilis 292. summe perfecta 296. lubentissima 301. immutabilis 302. simultanea 725. Num. II. quando ea allegari possit tanquam ratio 310. notanda 311. ea tendit in hominum felicitatem 420. quod ab exceptionibus liberatur 421. error refellitur. 134
Voluntatis propriæ abnegatio quid. 492
Voluptas quid 297. 573. summa Dei 573. Filii Dei 740. notanda 574.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823346366/phys_0451
DFG

qualis illa sit 575. cur in eam inquirendum. 576

Y.

Ὑπόστασις quid 838. tres asserimus 838. quod confirmatur 839. notanda. 840

Ὑποστατικῶς *personaliter* quando sumuntur nomina Jehova & Θεὸς. 692

Z.

Zelotes cur Deus dicatur 634. exceptionibus occurritur. 635

FINIS.

IN-

INDEX
LOCORUM SCRIPTURÆ SACRÆ,
QUÆ
In hac parte citantur & explicantur.

VETERIS TESTAMENTI.

GENES.

Cap.	vers.	paragr.
I.	1.	2. 169
		183. 237
		249. 256
		443. 451
		947
	16 *seqq.*	469
	26.	809
	26. 27.	792
	27.	443. 453
		550
	28. 29. 30.	505
	31.	249. 299
		382. 415
		792. 921
		930. 949
II.	1.	249
	4.	687
	7.	212. 443
	16.	508
	16. 17.	941
III.	1 *seqq.*	941. 942
		943. 944
		958
	7.	943. 944
	8.	162. 108
	9.	227
	22.	559. 809
IV.	1.	685
IV.	14. 16.	108
V.	1.	792
VI.	5.	227. 614
		792. 960
	6.	277. 606
	8.	614
	14.	227
VII.	1.	227. 614
VIII.	21.	644. 792
XI.	5. 7.	162
XII.	1.	227
XIII.	16.	172
XV.	4.	227. 669
XVI.	5. 10.	172
XVII.	1.	172. 278
XVIII.	21.	162
XIX.	24.	810
XXI.	33.	62
XXII.	17.	227
XXIV.	12. 14.	440. 639
	49.	440
XXVI.	2.	227
XXXI.	6.	280
	29.	283
XXXII.	11.	619
	12.	172
XXXV.	9	227
XXXVII. *seqq.*		948
	11.	601
XXXVIII. 1 *seqq.*		405

Cap.	vers.	paragr.
XXXVIII.	7.	625
XLII.	1 *seqq.*	951
XLV.	5.	433. 436
		438. 465
	7.	436 438
		465
	8.	436. 438
		465. 469
XLVI.	26.	669
L.	29.	405

EXODI.

III.	4.	227
	6.	611
	14.	75. 227
		658 684
	15.	684
VI.	2. (3).	685
VIII.	10.	148. 647
IX.	14.	148. 647
	27.	533
XV.	11.	148. 647
XVII.	2. 7.	797
XX.	4.	101
	5.	101. 541
		601. 634
		494
	6.	494
	7.	685
XXV.	10.	227
XXVI.	30.	470
XXVIII.	41.	756
XXIX.	29.	756
XXXI.	23.	470
XXXIII.	19.	641
XXXIV.	6.	641. 642
	9.	489
	14.	634 647

LEVIT.

VIII.	12.	756
XIX.	2.	528. 529
		637
XX.	23.	577
XXIV.	16.	685
XXVI.	1.	101
	11. 14. 15.	536. 537
	17.	505
	27. 30.	536. 537

NUMER.

VI.	24. 26.	811
XI.	10.	631
XIV.	2 *seq.*	751
	17.	489
	18.	642
XVI.	33. 35.	751
XXI.	24 *seqq.*	751
XXIII.		332
	23. (19).	162. 276
		349
XXV.	3.	631
	11.	633

DEUTER.

IV.	15.	101
	24.	634
	35.	148
V.	8.	101
	9 (15).	634
	10 (16).	639. 640
	25.	508
VI.	4.	147
	13.	685
	15.	631. 634
VII.	4.	631
IX.	16. 19.	
	20.	633
X.	8.	685
XI.	17.	631
	26. 27.	
	28.	422

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823346366/phys_0454
DFG

LOCORUM SCRIPTURÆ SACRÆ.

Cap.	vers.	paragr.
XX.	20.	505
XXI.	5.	685
XXX.	19.	422
XXXII.	39.	808
	40.	121
XXXIII.	10.	646

JOSUÆ.

I.	1. 2.	490
III.	10.	115
X.	12. 13.	286. 921
	14.	314
XXIV.	19.	601. 634

JUDIC.

V.	13.	505
VIII.	19.	116

RUTH.

III.	13.	116.

I. SAMUEL.

VIII.	22.	227
IX.	16.	756
X.	9.	469
XV.	35.	276. 606
XVI.	1. 13.	756
XVII.	26. 36.	811
XIX.	6.	116
XX.	21.	116
XXIII.	10 *seqq.*	245
XXVI.	7.	174

II. SAMUEL.

VII.	4 *seqq.*	227
	11.	505
	15.	639
	23.	811

Cap.	vers.	paragr.
XVII.	7.	330
XXII.	47.	116

I. REGUM.

III.	16. 28.	401
IV.	30. 34.	401. 413
V.	12.	401
VIII.	27.	160
XIX.	11. 12.	159

II. REGUM.

XIX.		530
	16. 18.	116

II. CHRONIC.

VI.	18 *seqq.*	160
XXX.	9.	641

NEHEMIÆ.

IX.	6.	13. 151
		462
	17.	641. 642
	31.	641
XIII.	22.	239

ESRÆ.

II.	2.	669

JOBI.

V.	10.	459. 469
XII.	7. 8.	
	9. 10.	24
XXIII.	13.	622
XXXVII.	23. 24	619
XXVIII.	25 *seqq.*	459. 469

PSAL.

PSALMI.

Cap.	vers.	paragr.
I.	1.	546
II.	4.	602
	7.	686. 693
V.	5.	368
	6.	596
	8.	639
VII.	12.	541. 959
VIII.	5.	555
X.	12.	108
XIII.	6.	639
XIV.	1.	951
XVIII.	47.	116
XIX.	3.	609
XXV.	8. 9.	523. 545
	16.	641
XXXI.	8. 17.	639
XXXIII.	6.	768
	11.	330
	18.	108
	22.	639
XXXVI.	6. 8.	
	11.	639
XL.	7. 8.	756
	9.	132
XLIV.	27.	639
XLVIII.	15.	64
LIII.	2.	24
LVII.	11.	440
LIX.	9.	602
LXVII.	7. 8.	811
LXXIII.	1. *seqq.*	951
	17.	952
LXXXIII.	19.	684
LXXXVI.	15.	641. 642
LXXXIX.	7. 12.	283
XC.	2.	12. 62
	4.	58
XCII.	16.	545
XCIV.	9.	188. 194
		212
XCV.	7--11.	797
XCVII.	7.	101
CII.	26. 27.	
	28.	27 39
		48. 62
		169. 699
CIII.	2.	62
	8.	641
	17.	62. 642
CIV.	14.	310 409
	19. *seqq.*	469
CV.	25.	469
CVI.	1.	415
CVII.	1.	415
CX.	1.	686
CXI.	4.	641
CXV.	3.	274 923
CXVIII.	1.	415
CXIX.	64.	440
CXXI.	3. 4.	174. 231
CXXXVI.	3 *seqq.*	289
CXXXIX.	2.	237. 350
	4.	194
	7. 8.	784
	7---10.	156. 160. 161
CXLIII.	10.	759. 773
CXLV.	8.	642
	9.	418. 598
	17.	533
CXLVII.	4.	966
	4. 5.	172. 173
		178. 260
	8. 9.	415. 469

PROVERB.

Cap.	vers.	paragr.
I.	26. 27.	602
VIII.	22. 23.	698. 699
	22--30.	27. 44
XIV.	17.	642
XVI.	4.	403
	33.	469
XXVII.	4.	601

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823346366/phys_0456
DFG

ECCLES.

Cap.	vers.	paragr.
I.	4.	469
VII.	20.	792. 960. 977
	29.	257. 792
VIII.	13.	952
	14	951
IX.	2.	951
XII.	3. (1).	451

JESAIAS.

V.	2. 7.	618
	27.	174
VI.	1.	105
	3.	811
	3 9.	797
IX.	6.	601. 954
XI.	2.	772
XIV.	17.	940
	27.	330. 339
		922
XXIX.	23.	530
XL.	13. 14.	809 953
	25.	530
	28.	64
XLII.	8.	350. 684
		747. 748
	9.	350
XLIII.	8.	350 647
	9.	350
XLIV.	6 (1).	28. 75
		148 350
		356 647
	7. (2).	75 350
		3 6
	8. (3).	647
	10. (15).	101
	19. (24).	29
XLV.	5. 6.	148 808
	12.	277
	18.	469

Cap.	vers.	paragr.
XLV.	21. 22.	148
XLVI.	5 *seqq.*	101
	9.	198. 203
		206
	10.	198 203
		206. 227
		237. 339
		924. 940
		947
XLVIII.	3--6.	350
XLIX.	7. 8.	686
	15.	966
	18.	116
LIII.	7.	105
	9.	162
LX.	13. 14.	108
LXVI.	1.	108

JEREMIAS.

X.	10.	121
XIV.	10.	537
XVIII.	3--6.	487
	8. 10.	606
	23.	194
XXII.	24.	116
XXIII.	5. 6.	751
	23.	156. 161
	24.	81. 156
XXXI.	33.	797
XXXII.	17. 18.	280

EZECHIEL.

I.	26. 27 28.	105
II.	23.	105
V.	11.	116
VIII.	2 4.	105
XIV.	16.	116
XVI.	45.	537
XXXIII.	11.	420
XXXVIII.	32.	629

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823346366/phys_0457
DFG

INDEX

DANIELIS.

Cap.	vers.	paragr.
IV.	35 (3.).	265. 267 268 269

HOSEÆ.

IV.	14.	685

JOËLIS.

II.	13.	642

AMOS.

IX.	2, 4.	160
	3.	108. 160

JONAS.

IV.	2.	642

MICHÆ.

V.	1.	669

NAHUM.

Cap.	vers.	paragr.
I.	2.	634
	3.	642

HABAC.

I.	12.	62

TZEPHAN.

III.	17.	587. 590

ZACHAR.

VI.	13.	954

MALACH.

II.	10.	148. 151

SAPIENT.

XIV.	3.	473

NOVI TESTAMENTI.

MATTHÆI.

Cap.	vers.	paragr.
I.	12.	669
	21.	696. 746 961
II.	2.	749
	4. 5. 6.	669
	11.	749
III.	16.	105. 648 782. 807
III.	17.	270. 271 605. 671 693. 807
IV.	3 6.	690
	8 - 11.	749
	10.	750
V.	44.	434 435 497. 595
	45.	416. 469
	48.	416 497
VI.	25 *seqq.*	476. 477

Cap.	vers.	paragr.
VII.	12. 21.	132
VIII.	2.	749
IX.	18. *seqq.*	727. 749
X.	1.	727
	16.	105
	20.	674. 757
	29.	208 476
	30.	170. 172. 208 476 966
	31.	476
XI.	25.	489
	26.	270
	29.	105
XIII.	24.	373. 375 380. 932 933. 952
	57.	756
XVI.	16.	684. 690 714. 716
XVII.	5.	579
XVIII.	20.	719
XIX.	16.	416
	17.	211. 416
	19.	497
	21.	416
	26.	691
XX.	12.	814
XXII.	14.	972
	44.	489
XXIV.	24.	756
XXV.	31. *seqq.*	368. 962
XXVI.	42.	132
XXVII.	19.	739
	46.	824
XXVIII.	9. 17.	749
	19.	750. 757 759. 794 807. 821 847
	20.	719

MARCI.

Cap.	vers.	paragr.
I	24.	738
II.	7.	746
III.	15.	727
V.	22. *seqq.*	727
VI.	4.	756
XII.	29 32.	148
XVI.	17. 18.	286 314
	20.	314

LUCÆ.

I.	35.	738
	37.	280
II.	4--7.	669
	40. 52.	716
III.	22.	648
IV.	17. *seqq.*	756
	34.	738
VI.	35.	640
	36.	600
VIII.	12. *seqq.*	727
XV.	7.	584
	12. 13.	658
XX.	21.	737
XXIII.	3.	751
	47.	739
XXIV.	39.	89. 90 137. 143
	52.	749

JOHAN.

I.	1.	648
	3.	720. 721
	14--18	648
	19.	690
	32.	799
II.	1. *seqq.*	727
	11.	272

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823346366/phys_0459
DFG

Cap.	vers.	paragr.
III.	7. 8.	792
	13.	719
	16.	256. 257
		418. 653
		695. 731
		743
	36.	631
IV.	24.	89 103
		303
	44.	756
V.	17.	111. 709
		734. 735
	18.	747. 814
	22. 23.	747
	26.	120. 711
		712. 659
	28. 29.	659
	30.	132
	31.	650
	32. 37.	650. 807
VI.	38.	132
	69.	714
VII.	17.	132
	42.	669
VIII.	54.	652. 653
X.	30.	677. 678
		753
	33.	688
XI.	1 *seqq.*	727
	4. 14.	
	20. 21.	
	32. 39. *seqq.*	748
XIV.	9.	840
	16. 17.	650. 807
	17.	760. 795
	26.	650. 796
		804
	28. 29.	816
XV.	26.	105. 650
		674. 795
		796. 799
		804
XVI.	13.	795. 796

Cap.	vers.	paragr.
XVI.	13.	806
	16. 26.	795. 796
	30.	714. 716
XVII.	1.	648
	3.	648. 649
		652. 961
	5.	648. 652
	6 8.	648
	9.	962
	24.	717
XIX.	34.	799
XXI.	17.	194. 716

ACTA.

I.	9. 10.	816
	11.	700
	16.	764
II.	4 *seqq.*	763. 769
	23.	371. 465
	26.	744
III.	12.	727
	14.	739
	16.	727
IV.	10.	746
	12.	746. 751
	27. 30.	738
V.	1 *seqq.*	786
	3. 4.	648 649
		674 676
		757. 759
VIII.	18.	315
XIII.	2.	759
	33	654. 686
		693
XIV.	15. 16.	116
XV.	18.	129. 169
		172. 183
		194 237
		239 924
XVII.	24.	17. 129
		155. 156
		161. 459

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823346366/phys_0460
DFG

Cap.	vers.	paragr.
XVII.	24.	472. 489
	25.	17. 155
		156. 308
		403. 459
		472. 489
		613
	27.	95. 155
	28.	17. 155
		459 463
		465 472
		489. 505
XX.	21 28.	748
XXVIII.	25. 26.	797

ROMAN.

I.	1.	490 736
	18.	631
	19.	75. 377
		379. 387
	20.	5. 75
		295. 304
		306. 377
		379. 387
		389. 403
		454. 455
		688. 744
	23.	82. 100
	25.	100. 445
		449 451
II.	4.	639
III.	5.	631
	10 12.	791
	30.	148
V.	6 *seqq.*	961
	18.	960
VIII.	9.	674 807
	13.	774. 775
		757. 774
		775. 796
	15.	744
	16.	105. 796. 799
	23.	744

Cap.	vers.	paragr.
VIII.	26 *seqq.*	773
	28.	980
	29.	735. 980
	30.	980
	32.	653. 654
		661. 662
		693
IX.	5.	648. 743
		744. 751
	11. 13.	965
	18.	132. 327
	22.	272. 341
		404 631
		972
	23.	272. 341
		404
XI.	22.	639
	33.	292 294
		325. 334
		411. 414
	34.	128 809
		953
	35.	613
	36.	768
XV.	4.	433. 434
XVI.	26.	62. 64

I. CORINT.

I.		749
	9. 10.	721
	21.	270
	30.	751
II.	7.	793. 795
	9.	778. 780
		793. 795
	10.	760. 778
		780 793
		795. 954
	11.	129 954
	13.	760
	14.	793. 795
	16.	713

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823346366/phys_0461
DFG

Cap.	vers.	paragr.
IV.	7.	212. 438
VI.	9. 10.	788. 790
	11. 759.	788. 790
VIII.	4.	148
	5.	689
	6.	4 148
		689. 690
X.	9. 10. 11.	751
XII.	8. 765.	769. 783
	11.	765. 769
		783. 954
XV.	53.	83

II. CORINTH.

I.	11.	841
III.	6.	799
IV.	4.	689
VI.	18.	278
IX.	4.	839
XI.	17.	839

GALAT.

I.	1.	721
IV.	6.	674. 757
		897
	18.	689

EPHES.

I.	3.	965. 972
		974. 978
	4.	256 965
		972. 974
		978. 925
	5.	132. 270
	11.	316. 318
		319. 919
		926. 939
		980
	18.	793
II.	3.	960

Cap.	vers.	paragr.
II.	7.	539
	10. 15.	735
III.	11.	321
	20.	285
IV.	6.	148
	18.	793
	24.	792
	30.	588
V.	6.	631

PHILIPP.

I.	19.	674. 757
		897
II.	6.	814
III.	19.	689

COLOSS.

I.	15.	96. 669
		734. 735
	16	4. 669
		721
	17.	4. 734
		735
II.	9.	742
III.	5. 6.	631
	10.	792

I. THESSALON.

IV.	3.	528

II. THESSALON.

II.	4.	689

I. TIMOTH.

I.	17.	64 96.
		401. 413
II.	5.	148. 731

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823346366/phys_0462
DFG

LOCORUM SCRIPTURÆ SACRÆ.

Cap.	vers.	paragr.
IV.	4.	451
VI.	15.	546
	16.	98
	17.	116

II. TIMOTH

I.	9.	257. 925

TITI.

III.	5.	792

HEBRÆOR.

I.	3	839. 840
	4-13.	720. 721
	6.	749
	8.	648. 756
	9	756
	10.	10 48
		698. 699
		714. 732
		736
	11.	10 48
		698. 699
	12.	48 62
		698 699
II.	6.	555
III.	7--10.	797
	11.	631
IV.	13.	169 183
		194. 239.
		714
	14.	714. 756
V.	5. 6.	756
	10.	
VI.	3.	631
	17.	330. 331
VII.	3.	699
	24.	83
IX.	14.	781
X.	16.	797

Cap.	vers.	paragr.
X.	38.	582. 626
XI.	3.	443. 444
	10.	211
	16.	611
	27.	96

JACOBI.

I.	17.	34 56
		438
	18.	622
II.	26.	535

I. PETRI.

II.	22.	162
	23.	105
III	12.	108
IV.	19.	445
V.	6.	108

II. PETRI.

I.	12.	793
	17.	579
	21.	793
II.	18.	744
	19.	505
III.	8.	58
	9.	559
	16.	434

I. JOHAN.

I.	5.	82. 793
IV.	7-10.	592
	9.	653
	19.	418
	24.	757
V.	5.	714 716
	7.	648 799
		807 821
		873

V.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823346366/phys_0463
DFG

INDEX LOCORUM SCRIPTURÆ SACRÆ.

Cap.	vers.	paragr.
V.	18. 19.	744
	20.	648. 663
		697 743
		744. 751

JUDÆ.

IV.	4.	979
	25.	401 493

APOCALYPS.

I.	4.	658
	6.	748
	7.	700
	8.	26 68
		697. 700
		726
	11.	26. 697
		700

Cap.	vers.	paragr.
I.	17.	697. 700
	18.	700
II.		966
IV.	2. *seqq.*	105
	8.	658 811
V.	6.	105
	9. 12.	
	13.	748
	14.	62
X.	6.	62
XIII.	18.	128
XIV.	4.	622
	10.	633
XV.	1.	633
	7.	62. 633
XVII.	17.	469
XIX.	15.	633
XXII.	13.	26. 27

FINIS.

ers.	paragr.	Cap.
4.	451	X.
7.	546	XI.
9.	98	
7.	116	

MOTH

9.	257.925	
T I.		I.
	792	II.

ÆOR.

839.840	II.
720.721	
749	III
648.756	IV.
756	V.
10 48	
698.699	
714.732	
736	I.
10 48	
698.699	
48 62	II.
698 699	
555	III.
797	
631	
169 183	
194.239.	
714	
714.756	I.
756	IV.
631	
330.331	
699	V.
83	
781	
797	

vers.	paragr.
38.	582.626
3.	443 444
10.	211
16.	611
27.	96

JACOBI.

17.	34 56
	438
18.	622
26.	535

I. PETRI.

22.	162
23.	105
12.	108
19.	445
6.	108

II. PETRI.

12.	793
17.	579
21.	793
18.	744
19.	505
8.	58
9.	559
16.	434

I. JOHAN.

5.	82. 793
7-10.	592
9.	653
19.	418
24.	757
5.	714 716
7.	648 799
	807 821
	873

V.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823346366/phys_0469
DFG